HISTORIA V.P. DOMINICI A IESU MARIA, DISCALCEATORUM ORDINIS...

Nicolas Auroux, Philippe : de la Très Sainte Trinité

Digitized by Google

C. 59. e.

NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 B
26

HISTORIA
V.P. DOMINICI
A IESV MARIA,
DISCALCEATORVM ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO: CONGREGATIONIS S. ELIÆ PRÆPOSITI GENERALIS.

In qua mirabilis eius Vita, Virtutes Heroicæ, eximia Miracula, & communicationes Diuinæ deſcribuntur.

Per R. P. Fr. PHILIPPVM
A SANCTISSIMA TRINITATE
Eiuſdem Ordinis Religioſum.

Per il Noviziato.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EM-NUELE

LVGDVNI,
Sumptibus ANTONII IVLLIERON
Typographi & Bibliopolæ Cleri.

M. DC. LIX.

Cum Approbat. Doctor. & permiſſu Superiorum.



CLARISSIMO DOMINO

PAVLO DE SEMVR

EQVITI MELITENSI.

Regi à Conſiliis Status, & Propræfecto Generali Claſſium Gallicarum in mari Mediterraneo, &c.

A *Multo jam tempore*, Eques Clariſſime ac Illuſtriſſime, *deſiderabam aliquod ſolemne teſtimonium reuerentiæ, gratitudinis, & antiquæ amicitiæ Tibi ſcriptis meis exhibere: Reuerentiæ quidem, ob heroïca quàmplurima tua geſta, quæ Te ſingulis admirabilem, & inimicis Galliæ formidabilem reddiderunt: Gratitudinis autem, ob innumera tua nobis collata beneficia, præſertim in Tolonenſi Conuentu: Antiquæ tandem amicitiæ, Cum ab ipſis penè incunabulis ſimul educati, mutuam, eamque ſinceram familiaritatem in puerilibus annis contraxerimus.*

Cum

Cum totus orbis Chriſtianus eximia tua facta collaudet, & celeberrimum nomen tuum vbique reſonet, non poſſum ipſe tot inter meritorum tuorum præcones ſilere : ſed ſuauiter compellor ea ſaltem indicando, ſcriptis meis ad remotiſſimas etiã regiones diffundere, & æternitati commendare. Tuus ad fretum Neapolitanum conflictus Italiam ſtupore compleuit, cum vix quinque nauibus inſtructus, potentem quatuordecim nauium, totidemque triremium claſſem inimicam audacter prouocans, & in ipſo fermè portu generosè aggreſſus, ſic bellicis tormentis contriuiſti, quod ad portum redire coëgeris, & hoc caſu nimis attonitam, tuæque celebris victoriæ ſpectatricem effeciſti. Aliàs ad obſeſſum portum Longonem per mediam hoſtium claſſem potentiſſimam, cum inſigni eius dedecore & damno naues duas auxiliatrices induxiſti. Anno 1654. *Illuſtriſſimum Principem Guiſanum ad ipſam Neapolis oram contra regni illius potentiſſimi reſiſtentiam inuexiſti. Et anno* 1655. *Inclytum Vindocinenſem Dominum totius maris Gallici Præfectum in littore Barcinonenſi, deterrita plurimumque contrita*

trita hoſtili claſſe, victorem effeciſti. Hæc, & alia multa, quæ breuitatis cauſa prætermitto, inſignia merita, Te apud Chriſtianiſſimum Regem noſtrum effecerunt commendabilem, qui Te plurimis honorum titulis ac dignitatibus, vt Propræfecti Generalis Gallicarum claſſium in mari Mediterraneo, & corona Comitis, Liliiſque in tuo ſtemmate iam decorauit, majorum meritiſſimum præmiorum. Tantum eſt tuum ſupra mare imperium, quod audito ſolum Nomine tuo, fortiſſimarũ nauium Duces vltrò ſe aliis illud vſurpantibus (vt ab ipſiſmet didici) præuento certamine tradiderint, dolentes poſtea ſe deluſos videndo. Tam fœlici omine mare percurris, tanta gloria in omnibus triumphas, quòd ſi veterum Romanorum tempore vixiſſes, qui excellentes homines inter Diuos in præmium virtutis referebant, Te ſine dubio Neptunum credidiſſent, vel illo potiùs excluſo, Te Deum maris conſtituiſſent. Sed quod maiori dignum eſt laude, ſcio Te libentius contra Chriſtiani nominis inimicos piratas, iuxta tuam profeſſionem religioſam, quàm contra Regni Gallici hoſtes pugnaturum;

quamvis eius obſequio Te totum addixeris, & paucos in fidelitate æquales habere glorieris: laudabilem hanc pugnam à Te propoſitam ſuſcepiſſes, ſi iuſtis tuis votis alij, quorum intererat, obſecundaſſent.

Carmelitis Diſcalceatis plurimùm affectus ſemper extitiſti, eiſque non ſolùm multa beneficia, donaque pretioſa Conuentui noſtro Tolonenſi in ornatum Eccleſiæ contuliſti: ſed etiam Teipſum deuouiſti, cum eis tuæ directionem conſcientiæ iam à pluribus annis commiſiſti. Vnde ipſe iiſdem beneficiis & proprio nomine, & titulo Superioris obſtrictus, hîc grati animi monumentum apponere decreui.

Cum in Inſulis Maſſiliæ adiacentibus, vulgò du Chaſteau Dif *nominatis, Pater tuus vices Gubernatoris ageret, ipſe vix trium annorum puerulus illuc adductus ſum, & tecum etiam paruulo educatus ac conuerſatus fui, cum Parentes noſtri eadem ferè patria oriundi, eodemque militiæ exercitio enutriti, ſingularem amicitiam contraxiſſent.*

His inductus motiuis, Eques Clariſſime, *hoc*

hoc Tibi opus, mole quidem paruum, ſed æſtimatione maximum offero; in cuius lectione delectationem ac ſimul vtilitatem, vt ſpero, percipies: ſi pietate delectaris, ibi Virum piſſimum, ac multiplici opinione ſanctitatis inclytum videbis: ſi generoſi dotibus animi gloriaris, Ipſum etiam generoſum, & pij conflictus gloria conſpicuum inuenies: & ſi tuis in neceſſitatibus inuoces, fidelem erga Te Patronum experieris. Cuius hiſtoriam, tanquam munus pretioſum, ipſe Tibi virtutis tuæ venerator, tuorum beneficiorum memor, & antiquus amicus offero; Diuinam Majeſtatem tuis votis propitiam implorans, & perpetuum tibi obſequium exhibens.

Tuæ Dominationis

Seruus humilis & addictiſſimus
Fr. PHILIPPVS à Sanctiſſima Trinitate Carmelita Diſcalceatus.

Prologus ad Lectorem

PRodigium tibi ſanctitatis exhibeo, Lector beneuole, dum mirabilem Venerabilis Patris noſtri Dominici à Iesv Maria vitam deſcribo: Prodigium, inquam, & virtutum, & miraculorum, & cœleſtium communicationum; quæ omnia tam liberali manu conceſſit ei mirabilis in ſanctis ſuis Dominus, vt ad exarandam eius vitam, non exaggeratione, non floſculis Rhetoricæ opus ſit; quin potiùs tanta eſt eorum copia à primis eius vitæ momentis, etiam ante natiuitatem (præuenit enim eum Dominus in benedictionibus) quòd maior pars memoriæ exciderit, altera pars vltrò dimittatur, quæ poſſent alterum illuſtrem Sanctum relata decorare; ſed hic non apparerent, maioribus & eminentioribus comparata, cum non ſit ordinaria Dominici noſtri ſanctitas.

Ex plurimis plura ſelegi dicenda; non vberiori ſtilo, ſed conciſo; non ſermone florido, ſed ſincero; non elegantibus verbis, ſed ſimplicibus, vt hiſtorico potiùs quàm oratorio more procedam. Quapropter & multas digreſſiones, quæ Lectoris animum diuertere poſſunt; & multas rerum ponderationes, quæ properantem valent retardare; & multas dilucidationes, quæ diutiùs occuparent, ſciens & volens euitabo; maximè quia deſcribenda hic, ſunt multa, ſunt magna, ſunt euidentia, ita quòd me multitudo confundat, magnitudo multum opprimat, euidentia plurimùm offuſcet.

Quæ hic referam, certiſſima credo: quæ enim vel minimum dubio locum præbent, reiicientur. Non enim fictis aut dubiis rebus indigeo, cum me veriſſimarum relationum copia inopem faciat, tot enim occurrunt mirabilia, quòd animo deſponderem, ſi non affectu ſpeciali Venerabilem hunc Virum proſequerer, eiuſque patrocinio confiderem, quod

aliàs

aliàs mihi & in vita, & in morte, & poſt mortem gratiosè promiſit.

Multas legi & vniformes tanti Viri relationes. Primò quidem diffuſam eius hiſtoriam ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino Ioanne Caramuele Abbate montis Serrati, & electo Roſonenſi Epiſcopo, ſuis ſcriptis aliiſque titulis notiſſimo, ac maiorum meritiſſimo dignitatum, qui in ea conſcribenda & ingenij ſubtilitatem, & iudicij ſoliditatem, & eruditionis vniuerſalitatem demonſtrauit, cuius colloquio mihi nuper Romæ frui conceſſum eſt; ipſumque ſemper venerabor tum propter inſignia eius merita, tum quia de noſtrò benè meritus Carmelo, tunc quia mea opera qualiacumque pro innata ſua vrbanitate ſe venerari profeſſus eſt.

Legi etiam V. P. N. Aloyſij à Sancto Ioſeph prouinciæ Pedemontanæ Præſulis meritiſſimi elegantem de hac vita hiſtoriam, Italico conſcriptam idiomate, quæ nunc typis mandatur, & cuius compendium diligenter tranſcriptum conſeruo.

Legi tandem in noſtro generali archiuio Romano memorias huius vitæ authenticas, ſicut & relationes R. P. Petri à Matre Dei Senenſis Confeſſarij & comitis perpetui V. P. N. Dominici, cui ex obedientia ſeu præcepto R. P. N. Præpoſiti Generalis dictus V. P. omnes conſcientiæ ſinus aperiebat, & cœleſtium communicationum arcana manifeſtabat.

Inſuper plura ex auditu didici de mirabilibus N. Dominici, referente tam eodem R. P. Petro, quàm Chariſſimo mihi Fratre N. Anaſtaſio à S. Franciſco, qui V. P. N. curam ſuſcipiens, multis annis inſeruiens aſſiduè, ſingularum penè actionum, Diuinarum paſſionum, ac omnium eius motuum & aſpirationum teſtis extitit oculatus; & ex his quæ videbat, ad alia inquirenda, ad ſolatium & vtilitatem animæ ſuæ pia curioſitate mouebatur; cui V. Pater plura vel neceſſitate compulſus, vel gratitudine erga ſuum nutritium ductus referebat.

Ipſe quoque teſtis oculatus extiti multorum mirabilium: pro maximo namque duxi diuino fauore mihi conceſſo, quòd per duos annos cum dimidio ſancta eius præſentia in

eodem Conuentu B.Mariæ de Victoria (quò tanquam ſeminariſta prouinciæ noſtræ Gallicæ tunc vnicæ fueram deſtinatus) imò & paterna eius benignitate frui datum eſt: quin pro ſpiritualis augmento conſolationis, dolente prædicto Fratre Anaſtaſio, ſemel ipſi contigit inſeruiſſe.

Ex his, vt ita dicam, Archiuiis, cuncta dicenda depromam, quæ eadem fidelitate ac ſinceritate referam, qua didici. Si quis autem ſcire voluerit, cur poſt enumeratos illuſtres Viros, qui ſcribendo hanc hiſtoriam triumpharunt, ipſe munus ſcribendi ſuſceperim, aut ſponte potiùs aſſumpſerim. Reſpondeo, quòd ex vna parte me V. P. N. obſtrictum ſentio: cum enim ad miſſiones pro conuerſione infidelium in Perſidem aliaſque regiones Orientales mandatu Superiorum Ordinis cum Apoſtolica benedictione Roma diſceſſurus eſſem, & à præfato eius Confeſſario audiuiſſem hac V. P. N. prærogatiua gaudere, quòd adhuc mortalis inuocantibus ſe, licet multum diſtantibus, opportunè ſuccurreret, præuidens me in illis Barbarorum regionibus in multas neceſſitates tam animæ quàm corporis incurſurum, ſub ipſo diſceſſus mei tempore à V. P. N. ſuppliciter poſtulaui, vt mihi in neceſſitatibus ſucurreret; quod mihi benignè conceſſit, dicens; Te adiuuabo in vita, in morte, & poſt mortem, ſimul iniungens aliquod exercitium deuotionis; quo adiutorio fateor me in multis profeciſſe, & profuturũ ſpero. Ex alia verò parte tam raram, támque conſtantem in hoc mirabili Seruo Dei ſanctitatem, toto illo tempore, quo cum illo manſi, ſedulò conſideraui, quòd ſi opus foret, iurare poſſem me nullã in eo vel minimam imperfectionem vnquam aduertiſſe, quamuis leuiſſima apud nos ponderentur, nec eius conſuetudine ſeu familiaritate aliquid de opinione ſanctitatis priùs concepta perdidiſſe, quin potiùs ad maiorem ipſius æſtimationem quotidie profeciſſe; non humanas patiebatur infirmitates animæ, ſed Angelicam & cœleſtem vitam ducebat, imò quodammodo Diuinam, meritò namque cum Apoſtolo dicere poterat, Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. Hoc igitur duplici motiuo, ſcilicet grati erga V. P. N. animi, & ſpecialis eius venerationis hoc opus aſſumo, arduum quidem & difficile, ſed ſimul iucundiſſimum & ſuaue.

Priùs

Priùs aſſumpſiſſem, ſed nolui primus tam ſublimia & mirabilia pandere; faciliùs mihi poſt alios tam graues loquenti credetur, cui fortè priùs loquenti non fuiſſet creditum. Sed vt mihi & illis tam extraordinaria narrantibus credas, Lector beneuole, conſidera Deum eſſe horum largitorem, cujus bonitatis & omnipotentiæ non eſt numerus; & Dominicum eſſe receptorem, quem Deus præuenit in benedictionibus dulcedinis, & ab ipſa conceptione mirabiliter protexit, atque ab ipſis incunabulis pluribus miraculis decorauit: ſi illum in ſanctitate paucis inferiorem, plurimis ſuperiorem legendo reperias, ſcito Deum ſua dona concedere, iuxta beneplacitum ſuæ voluntatis, nulli faciens iniuriam, omnibus miſericordiam. Vale & fruere meo labore, quem tibi & mihi dulciſſimum fore confido.

Proteſtatio Authoris.

VT perfectè Summi Pontificis voluntati ſatisfaciam, declaro me hac enarratione non intendere vllam huius Viri venerabilis beatificationi viam ſtruere, aut Prælatorum ſanctæ Eccleſiæ præuenire iudicium: ſed ſimplicem ago hiſtoricum, & hanc hiſtoriam in publicum edo ſolùm ad Dei Optimi Maximi glorificationem, ad proximi ædificationem, & ad religioſarum virtutum æmulationem, omnią S.R.E. iudicio decretiſque ſubjiciens.

Approbatio Ordinis.

NOs Fr. Henricus à S. Maria Magdalena, & Fr. Agathangelus à S.Philippo in Conuentu Maſſilienſi Fr.Carmelitarum Diſcalceatorum ſacræ Theologiæ Prælectores, illuſtre ac præclarum opus (cui titulus: Vita Venerabilis Patris Dominici à IESV MARIA) à Reuerendo Patre Philippo à Sanctiſſima Trinitate ingenti cum ſtudio exaratum, ex commiſſione Superiorum non minori cura, non inferiori voluptate, attenta mente decurrimus, inoffenſoque pede perlegimus: in hoc omnia orthodoxæ Fidei ſacræ doctrinæ, bonis moribus conſona aduertimus; Fidem quippe firmat, Eccleſiam illuſtrat, mores informat; in eo quod cenſura taxari vel maculari queat nihil; quod in honorem Dei in dicta vita vbique mirabilis, in Eccleſiæ vtilitatem cedat, vniuerſis ad ſtatum perfectionis aſpirantibus lucem & emolumentum conciliet, plurimum reperimus. Prodeat ergo in lucem tanti Hominis vita ex fide dignis relationibus collecta, in Chriſtianæ Reipublicæ commune obſequium, in ſingularem profectum Religioſorum ſanctitatem amantium; ſic cenſemus, teſtamur, ſubſcribimus; In conuentu noſtro Maſſilienſi S. Ioſeph & S. Mariæ Magdalenæ die 19. Iunij 1658.

Fr. HENRICVS à Sancta Maria Magdalena.

Fr. AGATANGELVS à Sancto Philippo.

Approbatio Doctorum.

NOs infraſcripti Doctores in Theologia *Hiſtoriam Venerabilis Patris Dominici à* Iesv Maria *Diſcalceatorum Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte-Carmelo Congregationis S, Eliæ Præpoſiti Generalis*, per Reuerendum Patrem Philippum à Sanctiſſima Trinitate eiuſdem Ordinis Religioſum examinauimus, nihilque in eâ contra fidem & bonos mores reperimus. Datum Lugduni, die decima Maij, ann. 1659.

Frater Alexander Richard Prior Conuentus Fratrum Prædicatorum Lugd.
Frater Philippvs Pignard.

Licentia Ordinarij.

VIſa Doctorum approbatione typis mandari permittimus *hanc Hiſtoriam V. P. Dominici à* Iesv Maria *Diſcalceatorum Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo*,&c. Lugduni die 10. Maij 1659.

DENEVFVILLE Vic. Gener.

Permiſſion de Meſſieurs les Gens du Roy.

VEuës les atteſtations cy-deſſus, ie n'empeſche pour le Roy l'Impreſſion dudit liure intitulé, *Hiſtoria V.P. Dominici à* Iesv Maria *Diſcalceatorum*,&c. par Antoine Iullieron, auec les deffenſes en tel cas requiſes & accouſtumées. Fait ce 10. May 1659.

BOLLIOVD MERMET.

SOit fait ſuiuant les Concluſions du Procureur du Roy. A Lyon ce 10. May 1659.

SEVE.

INDEX

INDEX LIBRORVM, ET CAPITVM HVIVS VOLVMINIS.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. *Patria, Parentes, & fratres Dominici.* pag. 2
II. *Dominicum adhuc in vtero diuina illuſtrant prodigia.* 4
III. *Similia Dei prodigia Dominici natiuitatem concomitantur.* 7
IV. *Infantia Dominici plena eſt prodigiis.* 11
V. *Deuota fuit & prodigioſa Dominici pueritia.* 14
VI. *Dominicus à primis pueritiæ annis Mortificationem amplectitur.* 19
VII. *Dominicus adhuc paruulus curam pauperum ſuſcipit.* 23
VIII. *Dæmon in ſpecie pauperis apparet, & communicat Dominico.* 26
IX. *Chriſtus etiam in forma pauperis apparet Dominico.* 30
X. *Multa facit puer Dominicus miracula.* 33
XI. *Dominicus poſt mortem patris ad maiorem aſpirat perfectionem.* 36
XII. *Dominicus renuntians ſæculo fit Religioſus Carmelita.* 40

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. *Dominicus in nouitiatu tentatur, & in tentatione perfectionem acquirit.* 45
II. *Dominicus emiſſa ſolemni profeſſione curam infirmorum ſuſcipit, & ſanctè & miraculosè exequitur.* 50
III. *In extremo caſtitatis periculo triumphat Dominicus.* 54

IV.

IV. *Dominicus Cæſarauguſtâ mittitur Valentiam.* 57
V. *Plures liberat Dominicus à dæmonum poteſtate ac poſſeſſione.* 61
VI. *Fit Dominicus Sacriſta, & multa ei mira ſuccedunt.* 65
VII. *Dum mittitur Dominicus ad ſacros Ordines, miros habet ſucceſſus.* 70
VIII. *Cantat Dominicus primam Miſſam, auget pœnitentias, & Diuinos recipit fauores.* 75
IX. *Fit Dominicus hæres ſpiritus B.P. Nicolai factoris.* 78
X. *Dominicus Regis, Procerumque viſitationes, & applauſum populi fugit.* 81
XI. *Patitur Dominicus moleſtias Dæmonum, & perſecutiones mulierum pro caſtitate.* 84
XII. *Claret Dominicus Diuinis reuelationibus & miraculis.* 88
XIII. *Multas & graues Dominicus patitur perſecutiones.* 95
XIV. *Morti V.P. Nicolai factoris aſſiſtit in ſpiritu Dominicus, & continuatam patitur perſecutionem.* 99
XV. *Mittitur Xatiuam Dominicus, vbi miracula patrat, poſtea Valentiam reuocatur.* 101

LIBER TERTIVS.

CAP. I. *Tranſit Dominicus ad noſtram Diſcalceatorum congregationem, vbi finito nouitiatu profeſſionem emittit.* 106
II. *Mittitur Madritum Dominicus, vbi mirabilia pro Deo facit.* 112
III. *Deſtinatur Complutum Dominicus, vt ſtudeat Theologiæ Scholaſticæ.* 116
IV. *Occaſione peſtis Dominicus Barcinonem proficiſcitur, vbi mirabilia facit.* 121
V. *Singulares Diuinos fauores recipit Dominicus.* 124
VI. *Dæmonum perſecutiones patitur Dominicus, & ab his diuinitùs liberatur.* 131
VII. *Tarraconem vadit Dominicus, vbi duos conuertit hæreticos, & redit Barcinonem.* 136

VIII.

VIII. *Mirabilia patrat Dominicus, tam in corpora quàm in animas.* 141
IX. *Eligitur Dominicus Subprior conuentus Valentini, & mira pacis ac pietatis operatur prodigia.* 144
X. *Liberat Dominicus domum ſpectris infeſtam, erepta de Purgatorio anima Domini illius.* 148
XI. *Calumnias & perſecutiones patitur Dominicus, & mirabiliter liberatur.* 149
XII. *Vocatur Madritum Dominicus, redit Valentiam, & vbique mira ipſi ſuccedunt.* 153
XIII. *Eligitur Dominicus Prior conuentus Toletani, vbi viſitatione Regis honoratur.* 159
XIV. *Multa mirabilia ſuccedunt Dominico.* 163
XV. *Dominicus fit Vicarius conuentus Madritenſis, vbi mirabilia facit.* 169
XVI. *Mittitur Dominicus ad eremum, vbi plura ſuccedunt ei prodigia.* 173

LIBER QVARTVS.

CAP. I. *Mittitur Dominicus in Italiam authoritate Nuntij Apoſtolici.* 180
II. *Nauigat Dominicus, ſedat tempeſtatem, & Genuam appellit.* 183
III. *Romam vocatur Dominicus, & fit Subprior ac Nouitiorum Magiſter.* 187
IV. *Eligitur Dominicus Definitor Generalis, & Prior conuentus Romani,* 191
V. *Vadit Lodanum Dominicus, noui conuentus poſſeſſionem accipit, & ibi ſacerdotem conuertit.* 194
VI. *Mittitur Panormum à Pontifice Dominicus, ad inſtantiam Proregis, & ibi fundat conuentum.* 198
VII. *Mittitur Neapolim Dominicus, & Romam reuerſus mirabilia facit.* 204
VIII. *Confirmatur Dominicus in officio Prioris, & continuat facere prodigia.* 207
IX. *Electus Definitor & Procurator Generalis, Dominicus celebrat*

celebrat Beatificationem S. M. N. Thereſiæ, eique mira ſuccedunt. 214

X. *Continuat Dominicus facere prodigia.* 219

XI. *Dominicus eligitur Propoſitus Generalis, infirmatur pericoloſè, & conualeſcit.* 223

XII. *Diſcedit Roma Dominicus congregationem viſitaturus, & Viterbi mira facit.* 227

XIII. *Vlterius progrediens Dominicus venit Florentiam, & vbique facit mirabilia.* 229

XIV. *Dominicus Genuam appellit, viſitat Genuenſem Prouinciam, & ibidem Eremiticum fundat conuentum.* 234

XV. *Viſitat Dominicus noſtram Longobardiæ Prouinciam.* 237.

XVI. *Romam Dominicus redit, nec ceſſat facere mirabilia.* 240.

LIBER QVINTVS.

CAP. I. *Maximilianus Dux Bauariæ procurat aduentum Dominici in Germaniam.* 246

II. *Deſtinatur à Summo Pontifice Dominicus in Germaniam.* 249

III. *Peruenit Dominicus in Bauariam, & ſtatim vadit ad exercitum.* 252

IV. *Benedicit Dominicus vexillum Ducis Bauariæ, cœlitùs didicit exitum belli, & exercituum junctionem ſuadet.* 254

V. *Reperit Dominicus Imaginem B. V. violatam ab hæreticis, quæ poſtea victoriæ cauſa fuit.* 257

VI. *Initur authore Dominico generalis conflictus, & miraculoſa Catholici fruuntur victoria.* 262

VII. *Poſt victoriam Pragenſem redit cum Duce Dominicus in Bauariam.* 268

VIII. *Vadit in Auſtriam Dominicus, Imperatorem viſitaturus.* 271

IX. *Proficiſcitur in Lotharingiam Dominicus, vbi mira operatur.* 273

X. *Dominicus ſuis animat epiſtlis Regem Galliæ Chriſtianiſſimum, vt pugnet contra rebles hæreticos.* 278
XI. *Magnam Dominicus morticationem Nanceij patitur, & inde profectus graui labore infirmitate.* 282
XII. *Vadit Coloniam Agrippinæ Dominicus, vbi ſuſceptus honorificè mira facit, & hæreticorum eludit inſidias.* 285
XIII. *Tendit Bruxellas Dominius ad Principes Belgij.* 287
XIV. *Tranſit in Galliam Dominicus, Regem ac Reginas viſitat, & mira facit.* 290
XV. *Dominicus vbiq; mirabili faciens Romam peruenit.* 295

LIBER SEXTVS.

CAP. I. *Dominicus Romam ruerſus S. M. N. Canonizationem obtinet & celebrat.* 299
II. *Dominicus Summo Ponifici, & etiam Cardinali eius nepoti ſanitatem obtinet.* 303
III. *Dominicus glorioſum miraculoſæ Imagini Beatæ Mariæ de Victoria triumphum celbrat.* 305
IV. *In honorem B. V. Maiæ de Victoria, Dominicus Eccleſiam pluribus decorat ornamentis.* 308
V. *Dominicus Congregationi de propaganda fide adiungitur; iuſſu Pontificis edit pium librum, & Duci Bauariæ ſacri Imperij Electoratum obtinet.* 311
VI. *Vadit Lodanum Dominicus ad Capitulum Generale.* 315
VII. *Iuſſu Summi Pontificis Romam reuocatur Dominicus.* 317
VIII. *Vbiq; deſideratur Dominicus, & vbique mirabilia facit.* 320
IX. *In principio Anni ſancti multa patitur Dominicus, & multos à Deo recipit fauores.* 323
X. *Complet Annum ſanctum Dominicus mira faciendo, & faciendo propter Deum.* 326
XI. *Iterum vadit Lodanum Dominicus ad Capitulum Generale.* 329
XII. *Æſtate tranſacta Dominicus Romam redit.* 332

XIII.

XIII. *Mira facit Romæ Dominicus pro Dei gloria.* 335
XIV. *Aſſiſium Dominicus piæ peregrinationis cauſa proficiſcitur, & mira facit.* 340
XV. *Reuerſus Romam Dominicus in ſanctis operibus perſeuerat.* 343

LIBER SEPTIMVS.

Cap. I. *Imperator & Imperatrix aduentum Dominici in Germaniam procurant.* 348
II. *Tandem Summus Pontifex concedit Imperatori Dominicum.* 353
III. *Dominicus Roma diſcedit, vt in Germaniam properet.* 356
IV. *In Germaniam peruenit Dominicus, & vbique honorificentiſſimè ſuſcipitur.* 360
V. *Incipit Dominicus ſuam ſtationem, & pietatis vacat exercitiis.* 366
VI. *Infirmus ad mortem Dominicus, cupit diſſolui & eſſe cum Chriſto.* 368
VII. *Piè ac confidenter in Domino moritur Dominicus.* 371
VIII. *Dominicus poſt mortem apparuit, & honorificentiſſimè ſepelitur.* 377
IX. *Dominicus poſt mortem multis claret miraculis.* 381
X. *Incorruptum perſeuerat Dominici corpus.* 385
XI. *Germaniæ Principes Dominici canonizationem promouent.* 386

LIBER OCTAVVS.

Cap. I. *De virtute fidei Diuinæ.* 392
II. *De Virtute Spei Theologicæ.* 395
III. *De Virtute Charitatis erga Deum.* 397
IV. *De Virtute Charitatis erga proximum.* 403
V. *De Virtute Religionis.* 406
VI. *De Virtute Reſignationis.* 409
VII. *De Virtute Obedientiæ.* 412

VIII. *De Virtute Caſtitatis.* 415
IX. *De Virtute Paupertatis.* 418
X. *De Virtute Humilitatis* 420
XI. *De Virtute Pœnitentia* 424
XII. *De Virtute Miſericord* 427
XIII. *De cæteris Virtutibus minici.* 429
XIV. *De Donis Spiritus Sa i.* 433
XV. *De gratiis gratis datis.* 437

LIBER NONVS.

CAP. I. *Fuit inclytus opinie Sanctitatis Dominicus apud Viros Sanctos.* 442
II. *Fuit inclytus fama Sa titatis Dominicus apud Summos Pontifices.* 445
III. *Fuit inclytus fama S ctitatis Dominicus apud Imperatores.* 448
IV. *Fuit inclytus fama Sanitatis Dominicus apud Reges.* 451
V. *Fuit inclytus fama Sa titatis Dominicus apud S. R. E. Cardinales.* 4 3
VI. *Fuit inclytus fama Sactitatis Dominicus apud Principes.* 456
VII. *Fuit inclytus fama S ctitatis Dominicus apud Prælatos Eccleſiæ.* 458
VIII. *Fuit inclytus fama S ctitatis Dominicus apud Magnates.* 461
IX. *Fuit inclytus fama anctitatis Dominicus apud Religioſos.* 464
X. *Fuit inclytus fama Sanctitatis Dominicus apud omnes populos.* 466

FINIS.

LIBER PRIMVS VITÆ V.P. DOMINICI A IESV MARIA IN SÆCVLO INNOCENTIS.

PROLOGVS.

Qvandiu manſit in ſæculo Dominicus, vitam duxit innocentem, id eſt, ab omni malo habitu ac praua conſuetudine prorſus immunem. Qui modus viuendi difficilis admodum & rarus eſt in ſæculo nequam, in quo potiùs vitium quàm virtus, dolus quàm ſimplicitas, malitia quàm innocentia ſolet addiſci, vbi potiùs via perditionis quàm ſalutis inuenitur: Vnde ſic iuſto commotus zelo clamat Bernardus; O ſæculum nequam quod tuos ſic ſoles beare amicos, vt facias Dei inimicos, & reddas indignos cõſortio ſanctorũ. *Radix tanti mali detegitur à Pſalmiſta dicente*; Quoniam vidi iniquitatem & contradictionẽ in ciuitate: *Propterea pennas columbæ deſiderabat, vt volaret in ſolitudinem. Iniquitas plurimorum malo exemplo ſæpe iuſtos pertrahit ad ruinam, & vniuerſalis penè contradictio ſæcularium à virtutis exercitio vel totaliter impedit, vel ſaltem retardat. Cum his tamen incentiuis malitiæ ſemper innocens in ſæculo fuit Dominicus, vt hoc primo Libro demonſtrabitur.*

CAPVT I.

Patria, Parentes, & Fratres Dominici.

APud Celtiberos in nobili Aragoniæ regno eſt clarum oppidum aut vrbs præcipua, ad Salonem fluuium ſita, nomine Bilbilis, ferri optimi mineralibus abundans; magnitudine, diuitiis, aliiſque temporalibus prærogatiuis inter celebriores dicti regni numeranda: ſed multis totius etiam Hiſpaniæ meritò præferenda, quòd antiquitate venerabilis omni tempore claros doctrina & pietate produxerit ciues, & inclytos habuerit incolas; prioribus videlicet ſæculis Martialem Poëtam nobiliſſimum, hæc vltimo Dominicum noſtrum, nunquam ſatis laudandum, cuius tanta eſt ſanctitas quòd patriam redderet illuſtrem, etſi foret aliis ignota titulis: vnde non ſolùm beata ſunt dicenda viſcera, quæ ipſum portauerũt, & vbera quæ lactauerunt; ſed etiam fœlix ac beata meretur appellari patria, quæ naſcentem tam prodigioſum ciuem vidit & excepit.

Vrbs Bilbilis eandem miſeram ſortem incurrit, quam plures aliæ vrbes ac ciuitates Hiſpaniæ iam ab aliquot ſæculis incurrerunt, vt inundantibus Africæ barbaris Mahometicæ ſectæ cultoribus Mauritaniæ incolis, & antiquam gloriam & primitiuum nomen amiſerit. Tanta fuit horum Chriſtianæ fidei hoſtium rabies, vt non ſolùm fidelem populum paſſim impiè trucidauerint, vel ad montes inacceſſos diſperſerint, ſed etiã ciuitates & oppida capta deſtruxerint, optima quæque & ſpecioſa ferro flammaque deleuerint, & ad inſtar inundantis rapidi torrentis in ſolitudinem cuncta redegerint. Et quaſi vellent Chriſtianæ pietatis memoriam extinguere, ac ſacra antiquitatis abolere monumenta, cunctáque ſuis innouare ſuperſtitionibus, montium, fluminum, ciuitatum, cæterorúmque nomina mutauerunt, quorum plurima hactenus perſeuerant, vt longa poſſet inductione demonſtrari:

monſtrari : ſed quia Lectori faſtidioſum ac inutile futurum judico ; propterea cæteris dimiſſis, in paucis dictum meum confirmabo. Fluuius Bœtis alluens Hiſpalim, nunc ab illorum Arabica lingua dicitur Guadalquivir , ſcilicet fluuius magnus: Anas fluuius ſeparans Luſitaniam à Bœtica, nunc dicitur Guadiana. Inter ciuitates multæ retinent nomen Medinæ, quod Arabicè ciuitatem ſignificat : vnde Mahometani Medinam vocant per antonomaſiam ciuitatem illam Arabiæ, vbi jacet Mahometus, quaſi quoddam ſanctuarium, ſicut Chriſtiani Romam vocant vrbem abſque addito per antonomaſiam , quaſi Chriſtianæ fidei fundamentum in Apoſtolica Sede ſtabilitũ; Aliquo tamen ſuperaddito diſtinguntur, vnde alia eſt Medina cœli, alia Medina ſidonia, alia Medina campi, alia Medina riui ſicci, alia Medina turriũ &c.

Pari ratione plures ſunt in Hiſpania ciuitates & vrbes ſub nomine Kala ab Arabibus impoſito perſeuerantes, quòd caſtrum ſignificat , præfixo nonnunquam articulo , qualis eſt Alkala de Hennares, ſiue caſtrum fluuij Hennares, olim Complutum; nonnunquam etiam abſque articulo , qualis Kalataiud , olim Bilbilis deſcripta patria noſtri Dominici : nondum ſcire potui quid obliquum illud Taiud ſignifi et, vtrùm fluuium alluentem, vtrum aliquid aliud , quo caſtrum iſtud ab aliis diſtinguatur. Et hæc dicta ſint quantum attinet ad fœlicem patriam tanti viri.

Quantùm verò attinet ad Parentes : Pater ejus vocabatur Michaël Ruzzola, vel corruptè Orzola, mater autem vocabatur Hieronima Lopes , tam eximiæ pulchritudinis, quòd vulgo denominaretur formoſa ſiue bella. Hic Michaël fuit Cantaber origine ac natiuitate , conditionis honeſtæ , vir juſtus ac timens Deum : veniens Bilbilim, prædictam Hieronymam viraginem ſelectam , ſibique conditione ac virtute ſimilem , & in eadem vrbe oriundam accepit vxorem.

Ex hoc fœlici matrimonio vndecim nati ſunt filij vel filiæ, commendabiles omnes, ac optimis parentibus perſimi-

 les.

les. Duo ſpirituali religionis militiæ nomen dantes Domino fideliter toto vitæ tempore ſeruierunt; Primogenitus ad inſtar parentis dictus Michaël Ruzzola Sancti Dominici Religionem ingreſſus, tanto polluit ingenio, vt doctoralem Sacræ Theologiæ lauream fuerit adeptus, & inſignis Concionator euaſerit; vnde poſtmodum plures, tam legendò quàm prædicando, ſuæ doctrinæ tum ſcholaſticæ tum ſacræ habuit diſcipulos. Quartogenitus fuit noſter Dominicus, qui velut Dauid inter filios Ieſſe, fuit inter fratres ſuos electus à Deo, & ab ipſa ſua conceptione mirabiliter protectus, ac tandem in gratia Domini confirmatus: magna ſemper floruit ſanctitate, atque plenus dierum & bonorum operum quieuit in pace, vt in huius Hiſtoriæ decurſu videre licebit. Nec ſolùm fuit Deo dilectus, ſed etiam hominibus, ac præſertim parentibus, à quibus præ cæteris eius fratribus, ipſorum filiis amabatur.

CAPVT II.

Dominicum adhuc in vtero diuina illuſtrant prodigia.

SIcut ſtella differt à ſtella in claritate, ait Spiritus ſanctus, ſic erit in regno Dei, vbi ſancti aliqui erunt in gloria majores, alij minores: Vnde dicit Dominus in Euangelio; In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, quia ſancti Dei ad varias claſſes reducuntur, ex quibus aliqui ſtatim ab initio præueniuntur, alij poſtmodum vocantur, alij tandem velut inuiti compelluntur intrare.

Illos autem, quos Dominus eminenti præeligit ſanctitati, ſolet vt plurimùm præuenire in benedictionibus, vt poſſet longa ſimilium ſanctorum inductione probari, tam ex ſacris litteris quàm ex piis formata hiſtoriis, quorum tantùm aliquos indicabimus. De ſancto Patriarcha noſtro Elia refert S. Epiphanius de vitis Prophetarum, quòd cum illum eniteretur parens eius, eiuſmodi Sabac patri viſio apparuit: viri niueum quendam præ ſe ferentes habitum.

tum puſionem ſalutabant, matriſque vberibus in ignem euellebant, quin & flammam ignis cibi loco miniſtrabant: profectus eſt itaque in Ieruſalem genitor, viſaque ad ſacerdotes retulit, qui conſulto priùs oraculo illi reſponderunt; caue manifeſtum facias, erit quippe lumen filij huius domicilium, ſermoque ejus demonſtratio ac ſententia, & judicabit Iſraël cùm in igne tum romphæa. De S. Eliſæo Eliæ diſcipulo referunt hiſtoriæ, quòd dum naſceretur, bos æneus ex illis quos idololatræ Iudæi adorabant, acutum ac triſtem mugitum ediderit, quaſi diuino denuntiaret prodigio futurum Eliſæum idolorum deſtructorem. De S. Ioanne Baptiſta præcurſore Domini, alio Eliæ diſcipulo ejuſque prophetici ordinis alumno, ſeu altero Elia, dicitur qualiter ad præſentiam Domini, & ad vocem Mariæ ſalutantis exultauerit in vtero, & mundatus fuerit ab originali peccato, totque prodigia in ejus natiuitate ſucceſſerunt, quòd omnes mirabundi dicerent. Quis putas puer iſte erit, etenim manus Domini erat cum illo.

Similia contigerunt in aliis ordinis prophetici alumnis: ſicut & in aliis eminentioribus ſanctis. De Bernardo refertur, quòd in vtero matris deliteſcens fuerit ei myſtico ſomnio demonſtratus ſub ſpecie canis latrantis, quod ipſam valde terruit, donec de veritate ſomnij inſtructa à pio & erudito viro meruit hæc audire; ne timeas, benè res agitur, optimi catuli mater eris, qui domus Dei cuſtos futurus magnos pro ea contra inimicos fidei editurus eſt latratus, erit enim egregius prædicator, & tanquam bonus canis gratia linguæ medicinalis in multis multos morbos eſt curaturus animarum. Idem ferè de S. Dominico Ordinis Prædicatorum inſtitutore legitur, cujus mater grauida ſomniauit ſe continere in aluo catulum ore præferentem facē, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet, quo ſomnio ſignificabatur fore, vt ſplendore ſanctitatis ac doctrinæ gentes ad Chriſtianam pietatem inflammarentur; veritatem exitus comprobauit, id enim & præſtitit per ſe & per

ſui ordinis ſocios deinceps eſt conſecutus.

Ex horum illuſtrium ſanctorum numero fuit noſter Dominicus, quem adhuc in vtero latentem tot diuina illuſtrarunt prodigia, quòd mater ejus illorum conſcia ipſi jam grandæuo ac prudenti dicere ſolebat, ipſum vel futurum maximum ſanctum, ſi diuinis fauoribus correſponderet; vel Diabolum malitia, propter ingratitudinem, ſi dictis fauoribus & beneficiis non correſponderet.

Hæc autem diuina prodigia fuerunt & mira & varia, ſigillatim & breuiter referenda. Primum fuit, quòd mater ejus grauida nullum vnquam grauamen aut laborem ſenſit, ſimilem ei quem aliæ matres grauidæ ſentiunt, & ipſa ſenſerat in præcedentium filiorum bajulatione.

Secundum fuit, quòd fœlix illa mater, quandiu Dominicum geſtauit in vtero, ſæpiùs Angelos viderit oculis non ſolùm mentis, ſed etiam corporis, quaſi gratulabundos filio, ac protectionem ejus ſuſcipientes.

Tertium fuit, quòd frequenter etiam Angelicos cantus ſuauiſſimos audiuerit, quibus demonſtrabatur ex tunc in cœlo gaudium eſſe, quòd tam eximius Dei famulus veniret in mundum, ex quo maxima creatoris ſui gloria, & plurium animarum ſalus emanaret; Vnde cœleſtes illi ſpiritus feſtiuis cantibus aduentum ejus celebrabant.

Quartum fuit, quòd beata hæc mulier tunc etiam ſæpe mirabiles perceperit odores; non quales terra producit mortalibus, ſed multò ſuauiores, quos aliquando cœlum quaſi terra viuentium ſpirare ſolet. Hæc cœli prodigia frequentiùs acciderunt, accedente jam Dominici Natiuitate.

Quintum fuit, quòd etiam myſtico viderit ſomnio, nec ſemel tantùm, quòd filius quem gerebat in vtero, magnum rete expandebat mundo, quo maximam hominum multitudinem capiebat; quo ſimul intellexit prognoſtico, ipſum filium verborum ſuorum potentia & prædicationis efficacia multas tam fidelium quàm infidelium animas, in

pluribus

pluribus Europæ regionibus, è turbulento ac periculoſo ſæculi oceano fore liberaturum, & Deo capturum. Vnde Petro & Andreæ debet annumerari, quibus Chriſtus Dominus dixit; *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.*

Sextum tandem fuit, quòd nec vllum dolorem ſenſerit accedente partus tempore: quaſi mater fuerit intuitu filij ſpeciali priuilegio paucis mulieribus conceſſo, immunis ab illa damnationis ſententia, qua Dominus Euam inobedientem & in ipſa prima parente cæteras mulieres perſtrinxerat, dum dixit ei; *In dolore paries.* Vnde huic matri grauidæ diſtichum hoc gratulabundum merito conuenit.

Perge frui meliore die, grauat vndique matres
Pondere turgentes ſarcina, teque leuat.

Non amplius hîc immoror in tot tamque ſublimium prodigiorum examine. Nolo cum aliquibus dicere, ſimiles diuinos fauores non fieri peccatoribus, & eſſe ſigna præſentis eximiæ ſanctitatis; Vnde inferunt eos quibus facti ſunt, in materno fuiſſe ſanctificatos vtero: ſed relicta penes hos authores ſua probabilitate, ſufficit mihi ad extollendum Dominicum dicere, quòd hæc Dei ac Cœlitum beneficia fuerunt prognoſtica futuræ ſanctitatis eximiæ. Quamvis enim certum ſit aliquos fuiſſe adhuc in vtero originali peccato mundatos, & abundantiùs ſanctificatos, vt conſtat de Ieremia & Ioanne Baptiſta: hoc tamen priuilegium rarum eſt, & paucis conceſſum; Vnde nulli facilè, & abſque aliquo ſacræ Scripturæ fundamento deberet attribui.

CAPVT III.

Similia Dei prodigia Dominici natiuitatem concomitantur.

NAſcitur Dominicus anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono die decima ſexta menſis Maij, anno vltimo Pauli IV. Summi Pontificis, Ferdi-

nandi I. Imperatoris quarto, ſicut & Philippi II. Hiſpaniarum Regis,fauſto quidem toti mundo tam eximij ſancti natiuitate, ſed Anglis infauſto, qui tunc hæreſim ab Henrico VIII. introductam, & poſt mortem ejus à Maria Regina proſcriptam ab Elizabetha ſuccedente tanto Eccleſiæ damno & Regnorum Angliæ malo renouari conſpiciunt & patiuntur.

Nunquam didici judiciariam Aſtrologiam, qua profeſſores ipſius ex puncto natiuitatis, juxta diuerſorum ſiderum ſimul concurrentiam aſpectum & influentiam, naſcentium fortunam aut infortunium præſcire ſe jactant, & de viris illuſtribus ſolent prænuntiare. Sed licèt ex his regulis benè collatis multos euentus futuros ritè concludant,quia plures inclinationem naturæ ex conditione natiuitatis maximè dependentem, vt pote corpuſculo tenerrimo tunc à ſideribus impreſſam ſequuntur potiùs, quàm rationis & virtutis dictamen: multoties tamen decipiuntur,præſertim in euentibus ex humana libertate dependentibus, quia in infinito ſtultorum numero ſapientes multi reperiuntur; Sapiens autem dominabitur Aſtris,vt vulgo dicitur & ex ſacra Scriptura colligitur, per hoc quod rationis & virtutis ductum ſequutus corruptæ naturæ inclinationi reſiſtit; maximè dum ſpeciali prouidentia Dei ad eximiam virtutem promouetur, quia nullus eſt qui Diuinæ reſiſtat voluntati beneplaciti, cum ſaluare voluerit. Vnde ſolet dici.

Nos elementa mouent, elementa reguntur ab aſtris:
Aſtra Deo parent, vltima cauſa Deus.

Cum igitur Dominicum à Deo præelectum, ac præuentum in benedictionibus deſcribamus,non tam ex Aſtrologiæ obſeruationibus quàm ex aliis pietatis regulis concludemus: quamvis vt oſtendamus ipſum benè natum, ac naturam in eo fuiſſe virtuti præparatam, aduertimus ipſum ſub ſigno Leonis conceptum,& ſub ſigno Tauri natum, vt ex generoſi Leonis conſtellatione futuræ ejus vitæ conſtan-

tem in aggrediendis difficultatibus pro gloria Dei fortitudinem, & ex patientis Tauri tolerantia mirabilem ejus in ſuſtinendis laboribus patientiam concludamus. Certum eſt autem, quòd qui perfectus fuerit in virtute fortitudinis quantùm ad hunc duplicem ejus actum, eximiã facilè conſequetur vitæ ſanctitatem.

Verùm relinquentes naturalem ſiderum influxum circa Dominici conceptionem ac natiuitatem, ad ſiderum authorem Deum, primam & vniuerſaliſſimam cauſam ordinis tam naturæ quàm gratiæ aſcendamus, cujus mirabilis prouidentia conceptionem noſtri Dominici infra octauam Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, Natiuitatem verò in die feſto Sancti Simonis Stok Carmelitarum Generali, cui ſacrum Scapulare Ordinis ipſa Dei Genitrix tradidit, ſuauiter præparauit, vt ipſum illuſtrem futurum ejuſdem Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo filium, & ejuſdem S. Simonis Stok in officio Generalis ſucceſſorem, & in perfecta ſanctitate imitatorem præmonſtraret. Ipſum igitur imitatus Dominicus, Beatiſſimæque Virginis Mariæ de monte Carmelo religionem à teneris adhuc annis ingreſſus, continuam ejuſdem Deiparæ protectionem ac dilectionem prædicto S. Simoni Stok in ſacri Scapularis traditione promiſſam toto vitæ tempore fuit expertus.

Relictis hujuſmodi prognoſticis prodigioſam Dominici Natiuitatem enarramus. Si priùs Mater ejus nullum grauamen, nullum dolorem ſenſerit, vt præcedente capite dictum eſt; nullam etiam in ejus fœlici partu moleſtiam, nullam pœnam fuit experta, quin imò incredibilem tunc ſenſit dulcedinem: Vnde natum Dominicum præ nimia amoris teneritudine dulciſſimum ac deliciarum ſuarum filium vocare ſolebat, & multò præ cæteris filiis diligebat.

Solent homines ſine dentibus naſci; & cum infantia tenera non poſſit ſolidos ac duriſſimos dentes producere,

reliquo vitæ decurſu neceſſarios homini ſolidis cibis manducandis nutriendo, prouida tunc ſuccurrit natura, molles quoſdam dentes,quos lacteos vocant, ætati tenellæ cibiſque proportionatis ſufficientes emittit, ne videatur deeſſe in neceſſariis. Sed prodigioſa Dominici natiuitas ipſum exhibet in omnibus ſingularem : natus eſt enim cum omnibus ſuis dentibus firmis & ſolidis, quod paucis accidit; nec ſeptimo illos mutauit anno, ſed vſque ad venerandam canitiem ſeptuageſimi primi anni, quo mortuus eſt, immotos conſeruauit, quod vix vlli conceditur; ſi duos molares excipias, quorum vnus in vltimis vitæ diebus putredine in partes diſſoluitur; alterum verò in adoleſcentia Cæſar-Auguſtæ curauit expungi, putridum quidem, ſed non nociuum tunc & doloroſum, vt ejus expunctione dolorem pro amore Dei pateretur. Non periit dens iſte; ſed expungentis opera, qui ſupra tectum finxit eum jacere, ad manus piæ cujuſdam Dominæ ſecretò venit, quæ ipſum in pretioſo collocauit reliquiario; vbi cum maxima hactenus veneratione conſeruatur.

Circa natiuitatis Dominici annum conſidera mirabile diuinæ prouidentiæ decretum, vt Eccleſiæ ſuæ Deus tunc acerrimum præpararet hæreſis impugnatorem, ac infenſiſſimum hæreticorum inimicum,cum hæreſis in Anglicana rebellione plurimùm inualuit, & hæretici velut arena maris multiplicari videbantur. Quod etiam aliàs in ſimili neceſſitate Deus effeciſſe legitur: ſi enim vt author natura in neceſſariis deficere non poteſt, multò minus vt author gratiæ, cum ordo gratiæ ſit nobilior ordine naturæ. Quantum hæreſi & hæreticis detrimentum attulerit Dominicus,ex eo maximè conſtat, quòd vnico Pragenſi conflictu victoriaque miraculoſa copioſas hæreticorum phalanges proſtrauerit, & hæreſim in Germania penè triumphantem, & ad Imperium aſpirantem debellauerit, vt ſuo loco dicetur.

CAPVT IV.

Infantia Dominici plena eſt prodigiis.

COntinuantur prodigia in nato Dominico : propterea pia mater ejus horum conſcia conferebat omnia in corde ſuo,& inſignem dilectiſſimi filioli curam, tam circa animam quàm circa corpus gerebat. Circa animam quidem, dum tertia poſt natiuitatem die,quæ fuit decima nona Maij ſanctæ Pudentianæ ſacra, ipſum baptizari curauit, vt quantocyus Chriſti ſanguine ablutus, ac originali peccato mundatus diuina reluceret gratia, in qua piè creditur ex tunc confirmatus, cum tota ſubſequens vita virtutibus ac miraculis claruerit, quæ inhabitantis Spiritus ſancti ſpeciali modo per gratiam ſigna ſunt euidentia. Defertur igitur ad Eccleſiam S. Ioannis de Vallupier, vbi renatus fonte baptiſmatis denominatur Dominicus,& meritò nam verè fuit Dominicus, totus ſcilicet Domino conſecratus : Tamque ſimilis fuit Dominico Prædicatorum Patriarchæ, & alteri cognomine Loricato, illi quidem in puritate, iſti verò in pœnitentia, & vtrique in eximia ſanctitate ac prodigiis, quòd tam auguſtum nomen optimè videretur ei conuenire. Feſtum S. Patriarchæ Dominici ipſamet die ſpirituali deuotionis exercitio,ſequenti verò die quadam honeſta recreatione celebrandum curauit.

Circa corpus autem Dominici tam ſollicita fuit pia mater, quòd cum priores filios nutricibus lactandos tradidiſſet, ſuum voluit propriis vberibus lactare Dominicum, quem tot prodigiis Deo charum, & futurum illuſtrem Sanctum prudenter conjiciebat,& vt filium pulchræ dilectionis conſiderabat. Timuit fortè, ne vel deprauato nutricis alterius lacte delicatulus ac ſpecioſiſſimus filius aliqualiter inficeretur, vel ne quid pateretur nutricis incuria quæ poſſet ipſum negligere,

vel

vel ne gratioſa ejus præſentia ne minimum quidem priuaretur, vel tandem vt poſſet eſſe conſcia cœleſtium prodigiorum, quæ infantiam Dominici conſecratura ſperabat, ſicut ejus conceptionem ac natiuitatem condecorauerant: nec ipſam ſpes ipſa fefellit.

Sed quia duri erant dentes infantuli, ne delicatiſſimis nocerent mammillis, nimis ſtringendo, vel etiam incautè mordendo, ſolebat prouida mater ori lactentis filij cingulum aptare, vnde ſicut erat modeſte facetus, ac plenus verborum gratiis, ſolebat dicere ſe tam malum ab infantia fuiſſe, quòd cum natus fuiſſet armatus dentibus, ſicut naſcuntur beſtiæ, indiguerit etiam ex tunc frœno dirigi ſicut illæ.

Dum mater ipſum lactaret, inenarrabili conſolatione fruebatur, ac frequentes tunc habuit Angelicas viſiones, quarum etiam particeps fuit ſoror deuota Dominici, priùs quidem cum reuerentiali quodam terrore, poſtea verò cum maxima ſuauitate animi. Quæ cælitum viſiones in feſtiuitatibus Domini, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac aliorum principalium Sanctorum, quos poſtmodum Dominicus grandis effectus in præcipuos aſſumpſit patronos, frequentiùs apparebant.

Specialiter autem & frequenter mater deuota circa infantulum vidit proprium ejus Angelum cuſtodem, ac ſimul alios hilares & ſplendidos qui jucundis nutibus ipſum recreabant. Nec mirùm, quòd Angeli ad eum accederent, qui vitam Angelicam ducturus erat; pares enim cum paribus facillimè congregantur, ac ſimiles ſimilibus gaudent, vt axioma Philoſophicum & experientia quotidiana docent.

Prædictos, ac ſimiles diuinos fauores ſolebat pia mater dilectiſſimo enarrare filio, poſtquam adepto rationis vſu cœpit harum communicationum diuinarum pretium æſtimare: quamvis enim ex tunc adhuc paruulus filioli timore Dei ſimul & amore plenus eſſet, prædictorum

dictorum tamen enarratione magnum vtriuſque percipiebat incrementum. Illa verò cœleſtia beneficia cum humili ſubmiſſione & maxima erga Deum benefactorem grati animi ſignificatione venerabatur, nec vt ſuis meritis debita, ſed ex pura Dei miſericordia intuitu bonæ ſuæ matris ſibi conceſſa fatebatur, eorumque continua conſideratione ac memoria ad Diuinum excitabatur obſequium: Diuino namque ſciebat magiſterio, quod docet Gregorius Magnus homilia 9. in Euangelia, quòd cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum; & quòd propterea tantò eſſe humilior, atque ad ſeruiendum Deo promptior quiſque debet ex munere, quantò ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione. Et vt prudens ac ſubtilis eſt humilitas, ex prædictis cœleſtibus beneficiis aſſiduum contemptus ſui ſenſum percipiebat Dominicus: Vnde ſe viliſſimam creaturam, & erga Deum ingratiſſimam ſolebat nominare.

Fuit ab infantia Dominicus procliuis ad lachrymas, & quidem myſterioſas, non enim erant aliis moleſtæ, quin potiùs apparebant deuotæ, ita vt donum lachrymarum ex tunc diuinitùs conceſſum accepiſſe videatur, nam aliquando tam deuotè plangebat, quòd non poſſet à lachrymis cohiberi, niſi oſtenſo ipſi cœlo, cujus viſione ſtatim lætabatur & ridebat; virtualiter indicans ſe terræ incolatum velut exilium plangere, & ad aſpectum patriæ cœleſtis gaudere, quaſi diceret cum S. Ignatio, *O quàm terra ſordet, dum cœlum aſpicio:* Et meritò debuit illi ſordere, qui ad cœleſtium rerum contemplationem ſe prædicto prognoſtico natum clarè demonſtrabat.

Adhuc infantulus cœpit eſſe miraculoſus & mirabilis: quædam enim mira tunc piè credita miracula patrauit, quæ ipſum illuſtrem reddiderunt, & aliis mirabilioribus, quæ poſtmodum fecit, conjuncta illuſtriſſi-

mum reddiderunt. Perierunt multa prodigia, quæ parvulo contigerunt Dominico : Vnum referam , quæ Dei prouidentia ad noſtram peruenit notitiam. Quædam mulier filium habebat lactentem , qui morbis preſſus diu noctuque ſuis lachrymis materna torquebat viſcera: hæc cum dicta prodigia de parvulo didiciſſet Dominico, credidit in eo futurum ſuæ neceſſitatis ſolatium , & infirmitatis ſui filij remedium. Cum firma fide accedit ad matrem Dominici , ſe credere exponit quòd ſi Dominicus ſemel ex ſuis vberibus lac ſugeret,proprio filio poſtmodum ex illis ſugenti ſanitatem reſtitueret ; id enixè precatur à matre, & obtinet quòd Dominicus faceret id quod ipſa deſiderabat, fecit & ſtatim infirmus puerulus conualuit.

Sunt qui dictum miraculum aliter enarrant,ſed ſemper habetur intuitu Dominici factum. Dicunt enim quòd illa mulier orat matrem Dominici , impetratque vt infirmus ſuus filius ejus pectori admotus lac ſugat vberum , quæ Dominicus ſuis tetigeret labiis , & ſtatim aut fidei aut contactus virtute ſalutem infirmus recuperat, ſolamen mater , ac augetur omnium admiratio & deuotio dicentium ; *Quis putas puer iſte erit ? etenim manus Domini erat cum illo.* In his mirabilibus prodigiis infantiæ Dominici poſuit Dominus futuræ ſanctitatis ejus fundamentum , cujus ædificium poſtea cum ſtupore totius mundi , & animarum vtilitate ad maximam conſcendit ſublimitatem.

CAPVT V.

Deuota fuit & prodigioſa Dominici pueritia.

VErè dici poteſt de Dominico , quamvis cum debita proportione, quod dictum eſt de Chriſto Domino , quòd proficiebat ſapientia, & ætate , & gratia apud Deum

&

homines. Nam reuera Dominus qui præuenit eum in benedictionibus, volens perficere opus mirabile ſanctitatis quod inceperat, quaſi gratiam commenſurans naturæ, eò majora & perfectiora gratiæ dona ei conceſſit, quò majora & perfectiora dedit ei naturæ beneficia.

Perfectio naturæ conſiſtit tam in corpore quàm in anima, & Dominicus ſortitus eſt corpus pulcherrimum & animam bonam. Quantum ad corpus fuit ſemper iuſtæ ſtaturæ ætati proportionatæ: in pueritia habuit oculos ſplendidos, & ad inſtar ſtellarum fulgidos, & in eis tantum cum ſole ſympathiam tenuit vt velut aquila fixè & abſque vllo ſui vel incommodo vel detrimento relucentem eum contemplaretur: Aliæ corporis partes ad perfectam eius pulchritudinem concurrebant. Quantùm ad animam, ſortitus eſt valde bonam in naturalibus potentiis, & talem in virtutibus moralibus effecit: Tam perfectas habuit potentias animæ, intellectum ſcilicet, memoriam, & voluntatem, vt intellectu facilè caperet propoſitas veritates, imò & ſecreta cordiũ penetraret in tenera hac ætate (niſi lumine ſupernaturali conceſsũ dicatur) vnde vel intellectus perſpicacitate, vel ſuperiori lumine defectus internos aduertens cum ſimplicitate deficientes admonebat titulo correctionis fraternæ, donec ipſe de hoc correctus & correctionem humiliter recipiens poſtea fideliter abſtinuit: memoriam habuit felicem ac valde tenacem; voluntatem verò ſemper ad bonum inclinatam.

Ex hac potentiarum perfectione facilè Dominicus humaniorum quas vocant litterarum rudimenta, & pietatis initia didicit; tamque fœliciter vt in illis excelluerit; & cum tanta modeſtia, vt aliis ſuis condiſcipulis exemplar virtutis effectus, ſuis eſſet præceptoribus admirationi: Vnde Dominicum adhuc puerum jam Senem, jam Senecam vulgo nominabant.

Virtutum ſemina rationali naturæ inſita perfecto earum exercitio excoluit Dominicus, & tam citò, tamque ſollicitè,

ſollicitè, quòd multi cum fundamento crediderint accelcratum in eo fuiſſe vſum rationis: non enim in puello tanta poterat eſſe ſapientia, niſi vel rationis lumine citiùs acquiſito, vel alio ſuperiore diuinitùs infuſo.

Cum cœpit inferiores ſcholas frequentare, ad eas diligenter ac modeſtè ſuo tempore accedebat: ſed priùs quotidie ad Eccleſiam properabat, ac vni Miſſæ ſaltem inſeruiebat, tanta corporis compoſitione ac deuoti animi recollectione, vt intuentes raperet; in hac ſiquidem ætate tenella iam ſolidam erga ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum habebat deuotionem, & magna fide dicere ſolebat, Chriſtum ſub illis ſpeciebus verè, quamvis inuiſibiliter eſſe, ſicut pullum in ouo, vbi reuera eſt licet non videatur. In præmium tantæ deuotionis ac fidei meruit Chriſtum ſub hoſtia conſecrata frequenter videre in ſpecie gratioſi pueri, & credens ab aliis circumſtantibus etiam videri, ſignis externis lætitiam demonſtrabat, feſtiuè ipſi arridebat, & hoc tanta fiebat ſpiritus exultatione, quod aliquando plurium horarum ſpatio perduraret.

Dum è ſchola rediret, ſolebat ad Xenodochium pergere, vt infirmos pauperes viſitaret, & ipſis tanquam Chriſto, vel potiùs Chriſto in ipſis deuotè ac diligenter ſuum impendebat obſequium, quantum ætas tenera permittebat; & vbi ad impendendum ægris obſequium vires deficiebant, humanitate ac manſuetudine compenſabat, compaſſione ſolabatur, exhortatione ad patientiam animabat, ac pro ipſis Deum enixiùs exorabat; vt vel ſanitatem reſtitueret, vel patientiam ad meritum largiretur. In tam frequenti viſitatione Xenodochij ſæpiùs ſe aperto expoſuit periculo contrahendi morbos, cum tam delicatæ foret complectionis; ſed perfecta charitas, quæ reſidebat in ipſo, foras mittebat timorem.

Frequens etiam tunc erat in Eccleſia, vt Concionatores audiret, conciones pia curioſitate excipiebat, & vt tenacis erat memoriæ, fœliciter earum recordabatur, &

cum

cum opus eſſet, illis ad animarum vtilitatem opportunè vtebatur. Cum ætas permiſit, vt ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ accederet, ad illa ſe maxima cum humilitate ac deuotione, præparabat: in Sacramento Pœnitentiæ ſolas leues culpas confitens; quas tantùm committebat; in Sacramento autem Euchariſtiæ ſæpe Chriſtum oculis corporeis videns, ipſumque præſentem alloquens, à quo meruit arcana verba frequenter audire, quæ non licet homini loqui.

Tanta fœlicitate tenellus adhuc Dominicus artem didicerat documẽta ſpiritualia ex creaturis corporeis eliciendi; vt quicquid ei ab aliis offerretur, ſiue crux, ſiue imago, ſiue pomum, ſiue flos, aut quid ſimile, tanta promptitudine apta ſalutis monita ex vnoquoque colligebat, vt audientes in admirationem raperet; tamque viuo ac feruido ſpiritu proponebat, quòd ſuis verbis ignitis cor auſcultantium penetraret. Inde eſt, quòd ſingulas creaturas loquentes ad cor hominis, & maximè cœlos gloriam Dei enarrantes perciperet: In cœlo materiali myſticum conſiderabat, cujus Sol eſt ipſe Deus, Luna eſt Maria, & Sydera ſunt Angeli ac Beati.

Ex tunc cœpit beatiſſimam Virginem Deiparam ſpeciali cultu honorare, cuius deuotio potiùs innata & congenita Dominico videbatur, quàm ipſi ab aliis edocta: Vnde ſalutationem Angelicam ipſi recitando, ſedatè admodum verba proferebat, vt lentæ prolationi verborum contemplatio myſteriorum jungeretur; ſacra autem hæc verba contemplatione cœleſtium myſteriorum condita cum ſuauiſſima melodia & immenſa recreatione ſæpiùs in deuota eius anima reſonabant, nec minus ipſi Beatiſſimæ Virgini, ad quam directè ordinabantur, grata fuêre.

Hæc primitiua Dominici erga Beatiſſimam Virginem Mariam, Dei matrem & Angelorum Reginam pietas ſic ejus cor occupabat, vt illud continuè ad ipſam erigeret, & ſpecialiter inclinaret ad eos quos nouerat ex verbis & operibus eidem eſſe ſacratiſſimæ Virgini deuotos: Et quia pie-

tas ſolet eſſe ingenioſa, inde eſt quòd benedictum hunc puerum docuerat deuotas componere Litanias eorum Sanctorum, quas ſpeciali titulo ſciebat ipſi fuiſſe deuotos, eiuſque cultores eximios: & inter eos erant Ioſeph, Ioannes, Lucas, Bernardus, Thomas, Bonauentura, Bernardinus,& alij ſimiles; quos tanquam ſuos Interceſſores erga ipſam puriſſimam Virginem aſſumebat, frequenter in die eaſdem Litanias iterando.

Plurimùm placuit hæc ſincera Pueri deuotio Matri pulchræ dilectionis, quæ vt ſuam ei manifeſtaret complacentiam, ſæpe ſolebat apparere prædictos ſecum adducens Sanctos: & tunc ſignificabat Dominico tale ſibi placere obſequium, ad eius perſeuerantiam animabat, gratias agebat, fauores pollicebatur, de miſeriis mundi ac paradiſi deliciis inſtruebat, ipſumque ſpirituali gaudio ac interna conſolatione plenum relinquebat.

Quamvis adhuc puellus Dominicus magnam erga ſanctos Angelos nutriret Deuotionem, majorem tamen erga ſuum Cuſtodem fideliſſimum colebat, cui ſe magis obligatum nouerat, vt pote tot eius beneficiis adſtrictum: hanc, deuotionem ex frequenti eiuſdem Angeli apparitione, ac continua penè familiaritate conceperat; nam licèt verum ſit, quòd inter homines *nimia familiaritas parit contemptum*, vt axioma commune & experientia demonſtrant, ex eo quòd quilibet homo ſuos patitur defectus ex correptione naturæ procedentes, qui in nimia familiaritate detecti deficientium contemptum pariunt, nam ſicut virtus eſt laudabilis, ſic defectus eſt vituperabilis; in ordine tamen ad Angelos ſanctos non valet hæc doctrina. qui cum ſint indeficientes, & aliunde benefici iis cum quibus agunt, inde eſt quòd non poteſt eſſe nimia eorum familiaritas, & quò maior eſt, eò maiorem parit deuotionem.

In præmium teneræ deuotionis multos Angelus Cuſtos Dominico fauores conferebat, non ſolùm ſpirituales, ſed etiam ſenſibiles; non enim tantùm ei apparebat, verùm

etiam

etiam cum illo familiariter de cœleſtibus aliiſque ad proprium munus attinentibus loquebatur, nec rarò alios ſecum adducebat Angelos, maximè Cuſtodes matris & ſororis Dominici, & aliorum quos ipſe Dominicus diligebat, vel vt recrearet ipſum, vel vt pro aliis erga proprios Angelos Cuſtodes interceſſorem adhiberet. Vnde meritò domus Ruzzolia paradiſus, ſi non cœleſtis, terreſtris tamen appellari poteſt, cum tot incolas paradiſi Angelos & ſanctos, ipſamque cœli Reginam ſæpiùs aduenas receperit, plena Deo & prodigiis etiam populo manifeſtis.

Ex dictis colligimus Dominicum cœlo natum, ſiue naturalia dona, ſiue gratuita conſideremus. Qui Solem poteſt fixis oculis intueri, ſicut Dominicus, hic natus eſt ad cœlum perfectè contemplandum, quia fulgentiſſimum eius aſtrum valet ſuſtinere; qui cum cœli ciuibus continuo conuerſatur, eorum debet numero ſociari.

CAPVT VI.

Dominicus à primis pueritiæ annis Mortificationem amplectitur.

VIx olim virtus mortificationis cognita fuit: ſed poſtquam Dei filius viam crucis, & verbo & exemplo ſuis prædicauit diſcipulis, dicens; *Qui non baiulat crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*; item, *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Dicta virtus eſſe cœpit in pretio: quamvis non deſint inimici crucis Chriſti, quos deplorat Apoſtolus, qui licèt crucem materialem venerentur; ſpiritualem tamen mortificationis non tantùm factis, ſed etiam aliquando verbis perſequuntur. At tamen abſit hoc à veris Chriſti diſcipulis, qui ad imitationem magiſtri ac ducis ſui crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore portant, vt canit Eccleſia de S. Luca, & de

aliis ex eorum paſſionibus demonſtrat.

Hanc Chriſti doctrinam & exemplum à primis pueritiæ annis ſequutus eſt Dominicus, vel potiùs eſt ſupernaturaliter edoctus: nam ſuum habuit Cuſtodem Angelum, cuius ſpeciali,ac etiam viſibili inſtructione, & magiſterio virtutum omnium; & præſertim orationis ac mortificationis exercitium didicit: hæ quippe duæ virtutes indiuiduæ procedunt; quia Mortificatio tolerari non poſſet, vt pote contraria naturæ,niſi dulceſceret Orationis ſuauitate; nec oratio poſſet exerceri, niſi per mortificationem motus concupiſcentiæ reprimerentur: & externa tollerentur impedimenta, quæ rationem ad ima deprimerent, quam debet oratio ad Deum eleuare.

Cæpit igitur Angelus Cuſtos ab his teneris annis Dominicū orationis & mortificationis ſimul exercitium edocere: nam diu monitoris officium præſtabat,vt ad Deum frequenter mentem eleuaret,crebris ſcilicet aſpirationibus ad ipſum anhelandō, quas vocant orationes iaculatorias: noctu verò munus excitatoris obibat, ipſum enim excitabat è ſomno, & ſæpiùs ad orandum ſurgere iubebat: cui puer Angelicus obediens ſurgebat è lecto, & flexis orabat genibus: Quod orationis exercitium hyeme pœnale fuit, & rigidioris opus mortificationis. Sed in præmium laboris ac mortificationis ſolebat ei viſibiliter Angelos apparere, cum eo tractare amicabiliter, cœleſtibus animam eius conſolationibus replendo. Hoc orationis nocturnæ exercitium cum dictis fauoribus toto vitæ tempore perſeuerauit; ſed in ætate robuſta frequentiùs excitabatur ab Angelo, ita quòd in continua contemplatione rerum cœleſtium eſſe videretur, ac meritò dicere poſſet; *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Cum vix quintum attigiſſet annum, tanto Spiritus ſanctus cor eius amore puritatis & mortificationis aſcendit, quòd omnes corporis commoditates & delicias fugeret; nec vnquam viſus eſt nudus: vnde cum infirmitatibus corporis

poris in lecto detineretur, modeſtè coopertus manebat, ac ſolum vultum & manus oſtendebat.

Sciebat adhuc puerulus, quo tempore Catholici ciborum abſtinentiam Eccleſiaſtico præcepto cuſtodiunt: & tunc mortificationis amator ſe vitæ præparans aſperiori, quamvis nondum præceptò comprehenſus, à cibis omnibus prohibitis abſtinebat. Nec mirum, nam hoc etiam infantulus ad inſtar S. Nicolai inſtinctu diuino faciebat: vt enim obſeruatione frequenti confirmatum eſt, dum lac ex maternis vberibus ſugeret; res mira! ſed vera, diem à die feriam à feria, & vigilias à feſtis in abſtinentia lactis diſtinguebat. Cum autem aliquantulùm creuiſſet, & ſolidiori cibo vteretur; non delicatum, vt ſolet ætas pueris appetere; ſed obvium quamvis ſumebat, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret, vt affirmat Ambroſius de Beatiſſima Virgine.

Sororem habebat Dominicus nomine Mariam, quæ ipſum non tantùm vt fratrem chariſſimum, & tot naturalibus donis amabilem diligebat; ſed etiam vt eximium Dei ſeruum, ac diuinis communicationibus iam venerabilem, harum conſcia colebat: Vnde bonæ matris ſuæ intentionibus obſecundans, ac tenellæ eius pueritiæ tutrix effecta, vel potius altera mater, ſingularem eius curam gerebat, & eius aſſumptæ mortificationi reſiſtebat: quam propterea ſuam crudelem inimicam vocabat; & eò ſancta deuenit contra ipſam indignatio, vt puerulus adhuc, cum ſomno excitatus aduertiſſet ſuos pedes frigidos à ſorore in proprio ſinu foueri, cœpit calcibus teneris pro viribus illam impetere; hac via declarans, quantum ſibi deliciæ corporis diſplicerent.

Voluit miraculoſo quodam ſucceſſu declarare Dominus, quantum approbaret animum Dominici mortificationem iugiter exercentis; & quantum reprobaret ſuperfluam fortè ſororis curam erga Dominicum. Contigit aliquando, quòd dum Maria lectum puelli calefeciſſet, ex inaduer-

tentia exſiliit ſcintilla, quæ tandem in materia diſpoſita concepit ignem: & cum ipſa dormientem puellum relinquens diſceſſiſſet, erupit ignis, fumus diffunditur, & incendium non tantùm lecti ac cubiculi, ſed etiam totius domus minatur. Accurrunt omnes domeſtici, ſuccurrunt extranei,& vnus audentior, ac præ cæteris animoſior fumum denſiſſimum,imò & flammas ſuperans, cubiculum ingreditur,ad lectum peruenit, & puellum adhuc dormientem ac penitùs illæſum amplectitur, & de periculo liberat; cum jam ignis circumquaque lectum incendiſſet, relicto ſolùm intacto jacentis & dormientis Dominici loco. Quo facto diuinæ prouidentiæ miraculoſo; & parentum ſuperflua cura erga Dominicum, quem mortificatum ac pœnitentem eſſe volebat, metu mortis ipſius ac incendij punita eſt; & mortificatio fidelis Dominici miraculoſa ſua liberatione præmiata. Ex hoc tamen ſucceſſu confirmatus fuit Dominicus in ſuo mortificationis aſſumptæ propoſito, & in deliciarum corporis abjectione.

Pulcherrimus fuit puellus Dominicus,vt ex reliquiis primæuæ pulchritudinis in corpore jam ſenio, & mortificationibus exhauſto relucentibus colligebatur; ipſum vidi ſeptuagenarium veneranda canitie ſpectabilem,faciem habebat ſerenam & hilarem,internæ ſerenitatis indicem, frontem latam & capacem, oculos claros & perſpicaces, etſi modeſtos & graues, genas pallidas, naſum formoſum, labia parua; ac tandem cætera corporis membra mirabili modo ad hujus pulchritudinẽ concurrebant; quam externa circunſpectio & modeſtia plurimùm augebant. Tanta rexit adhuc puellus oculos modeſtia quòd eos ſemper auerterit, ne ſeculi vanitatem viderent. Tanta rexit aures circunſpectione, quòd ſolùm ad Eccleſiæ cantus, ad conciones aut ſpirituales inſtructiones aperiret. Tanta linguam rexit moderatione, quòd non niſi ad laudes Dei ſolueret. Tandem dum alij coætanei puerilibus ludis incomberent, vt ſolet eſſe ludicra pueritia, Dominicus in Eccleſia manebat tanta

compoſitione

compoſitione ac deuotione, quòd intuentes ædificaret, eiſque Angelus incarnatus appareret.

CAPVT VII.

Dominicus adhuc paruulus curam pauperum ſuſcipit.

POterat cum juſto & patiente Iob dicere Dominicus; *Mecum creuit commiſeratio*; imò fuit illi quodammodo mirabiliter congenita: nam antequam verba Chriſti poſſet concipere, qui dicit in Euangelio: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, maximum erga pauperes conceperat amorem, & compaſſiuo in eos affectu motus ſpecialem eorum curam gerebat.

Vix ſextum attigerat ætatis annum, cum ex redundantia quadam amoris ſui erga Chriſtum ardentiſſimi, ad amorem pauperum propendebat, quem poſtmodum tota vita conſeruauit, & plurimùm auxit, illis miſericorditer ſuccurrens provt poterat, vt ſuo loco expendetur. Hoc autem amoris in pauperes incrementum potiùs fuit materiale quàm formale: fuit enim maximus ſemper in corde, quamvis ex defectu materiæ videatur in his principiis fuiſſe paruus in opere: eius nunc formalem magnitudinem expendamus.

Supra vidimus, qualiter circa annum quintum ætatis Xenodochium pauperum rediens è ſchola viſitabat, illis pro tenella ætate miniſtrabat, Deumque pro ipſis exorabat. Nunc ipſum ætatis anno ſexto videmus ad ipſorum ſocietatem libenter accedere, cum ipſis familiariter conuerſari, ac verbis amore plenis ſolari, quia in illis Chriſtum Dominum inhabitantem conſiderabat.

Nec tantùm verbis eorum miſeriæ, ſed etiam factis indigentiæ ſuccurrebat; nec ſuperflua erogando, verùm ſubtracta ſibi neceſſaria libentiſſime largiendo; ſolebat

enim eximius hic amator pauperum frequenter ientaculum & merendam illis ex toto concedere; prandium autem & cœnam vel ex toto, vel ex parte largiebatur, provt dictabat prudentia, vel paterna diſcretio permittebat.

Procurabat à piis parentibus aliquas eleemoſynas obtinere, vel pecuniæ, vel ciborum, vel etiam veſtium, quas egenis erogaret: tantam verò dedit ei Dominus gratiam non ſolùm apud parentes & domeſticos, ſed etiam apud extraneos, qui ſpiritum miſericordiæ eius nouerant, vt ei pecunias aliaque pauperibus diſtribuenda tanquam Dei miniſtro ac diſpenſatori vltro offerrent, quod ei contigit euidentiùs ac abundantius reliquo vitæ tempore, nam multi Principes ex diuerſis mundi prouinciis copioſas eleemoſynas in multis aureorum millibus ad eum tranſmittebant, quas ipſe Summi Pontificis præcepto obligatus recipiebat, & pauperibus miſericorditer erogabat.

Et quia bonum eſt ſui diffuſiuum, qui vere bonus eſt, alios eſſe bonos deſiderat & procurat: ideò parvulus Dominicus verè bonus coætaneos ſuos & amicos pueros volebat eſſe bonos, & præſertim in hac virtute miſericordiæ, quam ſic acceptam Deo ſciebat, cujus miſerationes ſunt ſuper omnia opera eius: vnde illos & verbo & exemplo ad miſericordiam pauperum alliciebat, & non raro ſuadebat vt ad ſui imitationem de ſubtractis ſibi neceſſariis aliquid pauperibus darent.

Deus autem, qui hæc charitatis & pietatis opera in Dominico diligebat, voluit via ſupernaturali demonſtrare quantum ſibi forent grata: ſepe namque contigit, vt Deus ſecretas nobilium hominum & honeſtarum familiarum miſerias parvulo reuelaret Dominico, quibus ille diuitum ſubſidiis benignè ſuccurrebat, tanquam Pauperum Protector & Aduocatus.

Quia parentes Dominici aliàs in bonis fortunæ commodi pietatis eius in pauperes exercitium approbabant,

ipſumque

ipſumque tenerrimè diligebant, vt poſſent ex vna parte tam pium opus fouere, ac ſimul dilectum filium conſolari, clementer ei conceſſerunt, vt vnum pauperem ad prandium ſingulis diebus inuitaret. Hanc parentum conceſſionem lætabundus excipit filius, & gratias agit: Tum quotidie mendicum eligit futurum hoſpitem, ad paternam deducit domum, honeſto loco collocat in menſa, proximus aſſidet ei miniſtraturus, eumque manducantem lætè reſpiciebat in perſona ipſius Chriſtum conſiderans, finitoque prandio cum gratiarum actione & honorificè vſque ad vicum comitabatur.

Deus qui glorificantes ſe glorificat, videns ſe in perſona pauperum à Dominico glorificatum, voluit ipſum etiam in perſona pauperum glorificare, non ſolùm coram hominibus, ſed etiam coram Angelis & Sanctis Paradiſi, totaque curia cœleſti: nam præter internos fauores, & gratiarum chariſmata in præmium ipſi conceſſa, voluit quòd ſub ſpecie pauperum ſæpiùs Angelos exciperet hoſpites, aliquando ſanctos, & etiam Sanctum ſanctorum Chriſtum Dominum, vt ſigillatim dicetur.

Sæpiùs, vt dixi, Dominicus Angelos excepit hoſpitio, quos ex ſplendore vultus diuino inſtinctu cognoſcebat: hi cum Dominico diſſerentes animam ipſius cœleſtibus gaudiis & conſolationibus replebant. Non raro contigit, quòd Deus ſimiles Dominico mitteret hoſpites vt ſpiritualis tantùm inſtructionis magiſtros, quos vt tales Diuina reuelatione cognoſcens ipſe Dominicus, ad locum ſecretum cum ipſis recedebat, vt cœleſtium inſtructionum fieret particeps; & frequenter accidit, vt in mediis ſpiritualibus conferentiis ex oculis auſcultantis Dominici ſubitò diſparuerint.

Quadam die venit Dominicus ad Eccleſiæ ſancti Iacobi porticum, quæſiturus mendicum, quem lla die hoſpitio exciperet. Occurrit illi peregrinus, ipſum adit, inuitat ad prandium, & in domum perducit. Cœleſtis hic peregrinus

ſua modeſtia & ſanctis ſermonibus conuiuas omnes ædificauit: Durante prandio verba vitæ æternæ protulit, oſtendit quàm grata Deo forent opera charitatis & miſericordiæ, tam viuis quàm defunctis exhibita, ſimulque ſuaſit omnes adſtantes illa exercere. Deinde vocato ſeceſſum Dominico, ſeipſum manifeſtauit dicens: Ego ſum Iacobus Apoſtolus, cui dedicatum eſt vrbis huius templum: Ad te me miſit Dominus, vt eius nomine tibi indicarem, gratas eſſe ſuæ Majeſtati Diuinæ tuas eleemoſynas, & velle quòd in perſona pauperum ipſi deſeruias: quia bona illis conceſſa, quaſi ſibi facta reputat; Perge Deo ſic deſeruire, perge pauperibus ſubuenire, & habebis conſcientiæ ſolamen, & tranquillitatem in terris, ac in cœlo gloriam, vbi reddet tibi Dominus pro bonis operibus coronam iuſtitiæ. Cumque ſimilibus verbis Dominicum fuiſſet exhortatus, vt eſſet fidelis ſeruus Domini, ipſum in eius nomine benedixit; Qui, cum vellet Dominicus ei reſpondere, diſparuit.

CAPVT VIII.

Dæmon in ſpecie pauperis apparet, & communicat Dominico.

CReſcebat in dies amor & miſericordia Dominici in pauperes, & magis ac magis ſe ſollicitum in eorum obſequio præſtabat, motus maximè cœleſtibus ſancti Iacobi documentis, capite præcedenti relatis. Sed Dæmon inuidus, ac impatiens bonorum operum, quæ puellus Dominicus tanta fidelitate, tantoque feruore exercebat, voluit vel ipſum immediatè ab eorum exercitio fraudulenter auertere, vel mediis parentibus occaſione data malitiosè prohibere: vtrumque ſequenti inuentione aggreditur.

Cùm quadam die Dominicus iuxta morem ſuum laudabilem, & à parentibus laudatum, domo proceſſiſſet in publicum, vt pauperem illius diei hoſpitem ad prandium inuitaret,

uitaret, & ad menſam adduceret; occurrit vnus valde ſqualidus, ac maioris apparens indigentiæ, quem propterea noſter Dominicus maiori miſericordia & compaſſione motus conuenit, & poſt ordinariam in nomine Domini ſalutationem ad menſam inuitat.

Vt fictus & mendax eſt Diabolus, priùs charitatem oblatam recuſare videtur: ſed tandem acquieſcit inuitanti; Vnde illum comitatus domum contendit, & properando ſignificauit ſe vtilia habere documenta ipſi tradenda, quibus vtens laudabiliter viueret, & errandi periculum facilè vitaret, quod inexperientia puerilis poterat cauſare. Diſcurſum igitur longum & artificioſum texit, quo priùs Dominicum relatis bonis eius operibus conatur in vanam gloriam inducere, deinde ſub ſpecie diſcretionis vult à pauperum amore & miſericordia retrahere, denique titulo vrbanitatis & prudentiæ ſuadet libros ſpirituales ac pia deuotionis exercitia relinquere, vt alios libros prophanos, quos Equitum vocant, aſſiduè legeret, & iuuenum mundanorum conſortia ſectaretur. Audiamus Dæmonem ſic latè diſcurrentem; cuius diſcurſum, vt in fidelibus inueni relationibus, abſque vlla immutatione vel additione tradam: An totum in itinere compleuerit, an perueniens domum protràxerit Dominico quietiùs auſcultante, dubitatur.

Licèt peregrinus ſim & aduena, ait Diabolus, tui tamen & tuarum virtutum notitiam habeo; illas vicini populi, non ſine admiratione ſuſpiciunt præſentes, exteri verò fama celebres venerantur: Gaudeo ſummoperè me Chriſtianum Senecam in teipſo vidiſſe; Cum in patriam redierо, tuas enarrabo virtutes, & vt teſtis occulatus dicam quòd plures & maiores ſunt quàm fama ſparſerit. Verùm non potero in te prudentiam celebrare, cum plures circa eam defectus videam. Cibi ſunt homini, & præſertim puero neceſſarij, qui proinde non debent corpori ſub ſpecioſo miſericordiæ prætextu negari: nutriuntur viri, ſed pueri ſimul nutriuntur, & creſcunt; Vnde licèt vtrique cibis indigeant,

digeant, tamen pueri iubet Deus obſequio rationabili curare ſanitatem: cum tamen tu videaris eiſſe homicida tui, vt aliis indiſcretè ſuccurras: Vtere mundo Puer, comede & bibe quantum tibi opus eſt, ne crudelis & ſæuus in teipſum appareas. Si pauperibus cupis ſuccurrere, ac miſericordiam exercere, parentes habes ſatis diuites, quos ad eorum amorem poteris inclinare; Vnde tu congrua tuæ conditioni, pauperes verò neceſſaria diſcretione tuorum parentum habebunt. Pauperes dixi, non mendicos; non enim confundi debent, vt inexperta deuotio tua confundit, quæ propterea eſt toti nociua ciuitati, & multis ſcandaloſa. Mendici abutuntur bonorum ciuium miſericordia. Sunt enim homines ignaui, qui nutriuntur alieno labore, & in propriis vitiis proximi pietate fauentur: ſolent eſſe guloſi & ebrioſi, vnde multa alia faciunt pœnæ potiùs quàm miſericordiæ digna. Prudentiùs ageres (mihi ſeni & experto crede Puer,) ſi quotannis apud parentes tuos procurares dari Parocho ſummam aliquam pauperibus erogandam, quàm tuæ electioni fidere; nam ipſe melius nouit indigentes quàm tu, qui vitia plurium mendicorum indiſcreta refoues charitate.

Proſequitur Dæmon dicens: Sed præcipuè aduertas, ne alios in eundem inducas errorem, & fortè maiorem, dum illis ſuades pauperibus eleemoſynas erogare; neſcis enim aliorum intentionem, & poteſt fieri quòd malo fine illas erogent, vnde tu ipſorum peccato cooperaberis. Nec debes, (ſubiungit) totum tempus in legendis ſpiritualibus libris & frequentandis Eccleſiis inſumere: ſimilia quippe exercitia ætati tuæ puerili ſunt incongrua, prudentiam & ætatem virilem exigunt; nam huiuſmodi contemplationis libri ſolent eſſe obſcuri, & præ ſublimitate materiæ captum puerorum excedunt. Vnde aptiùs faceres, ſi in libris Poëtarum & Oratorum humanam quæreres prudentiam, vbi eam quotquot excelluerunt ſolùm inuenerunt, vt ſic omnium ingeniis attemperatus, ſeu omnibus omnia factus omnes tecum agentes Deo lucrifaceres: Teque plurimùm in hoc

adiuuarent

adiuuarent libri vulgares Equitum, manibus omnium triti: nec eſt curandum, ſi quædam obſcœna dicti libri contineant; omnia quippe ſunt munda mundis, & ſol nunquam inficitur, quamvis in loca ſordida puriſſimos radios ſæpiùs immittat, vt certum eſt.

Hæc omnia tacitus, ſed non conſentiens, audit Dominicus; imò tædium in anima patitur, dum in corde ſuo confert quæ audierat, & falſa ac periculoſa reputabat. Cumque Dæmon ſe in vanum laboraſſe videret, relinquit Dominicum, alios domeſticos aggreditur, immodeſtè tractat vniuerſos, vbique confuſionem & faſtidium generat.

Ad menſam non vocatus accedit, iniuſſus ſedet, quod ſolius eſt domini: hos & illos reſpuit cibos, alios hinc inde accipit; nouos liberrimè poſcit. Monitus ſeruare modeſtiam iraſcitur, excandeſcit, diſcos proiicit, menſam euertit, & furibundus inſultato diſcedit hoſpite. Turbantur omnes, imò irritantur conuiuæ; Dominicus ipſe præ tædio ſuorum parentum confuſus erubeſcit: ſed quia *Charitas operit multitudinem peccatorum*, Dominicus immemor iniuriæ, memor clementiæ erga illum pauperem, ſurgit compaſſione plenus, ſequitur exeuntem vt ſoletur, currit vt aſſequatur, ſed fictus pauper diſparuerat ac velut fumus euanuerat.

Redit domum confuſus Dominicus, veniam à parentibus petit, quòd ſui cauſa tantam paſſi fuerint turbationem, ſeipſum faciens dictæ turbationis authorem. Reprehendunt ſed ſuauiter parentes; & niſi filium tanto amore ac veneratione proſequuti fuiſſent, conſuetum pietatis exercitium interdixiſſent: ſed ne ipſum contriſtent, hac vice diſſimulant, iubentque vt cautior impoſterum factus non conducat domum ſimiles pauperes qui domeſticos ſcandalizent.

CAPVT

CAPVT IX.

Chriſtus etiam in forma pauperis apparet Dominico.

OMninò confuſus, ac valdè mortificatus de dicto ſucceſſu manſerat Dominicus: ſed non tardauit Dominus eum ſolari à mortificatione pro ſuo amore ſuſcepta, & benedicere ſanctam illam domum ſua præſentia; quæ pauperum ipſius erat receptaculum & aſylum: res autem ſic euenit.

Sequenti die Dominicus exiit domo pauperem ſuum hoſpitem quæſiturus, & ſtatim in Eccleſiam pergit Deum oraturus vt ſuam dirigat electionem, & ſimilem præcedenti impediat errorem in eligendo paupere, ne pietatis exercitium, quod domi parentum benignitate permittitur continuare, ſit ipſis moleſtum aut domeſticis ſcandaloſum.

Completa ſurgit oratione, vt pauperem illius diei hoſpitem quæreret: Et ecce egredienti de Eccleſia Peregrinus occurrit tantæ pulchritudinis ac maieſtatis, qualem nunquam humani viderunt oculi; & Dominicus ipſe qui viderat, fatebatur ſe dignè non poſſe illam vel lingua vel calamo exprimere: erat enim *Specioſus forma præ filiis hominum*, ſuauis, modeſtus, & præ reuerentia venerabilis; capillos habebat ad inſtar Nazaræorum, longos & ſupra collum pendulos, medij coloris inter aureum & caſtaneum; vultum præferebat longum & plenum, tantoque ſplendore radiantem, vt intuentem Dominicum offuſcaret, quamvis Dominicus tam perſpicaces habuerit oculos, quòd Solem meridianum fixè ac diutiùs intueretur; habebat oculos viuidos, frontem latam & patentem, genas purpureas, rubra labia, barbam diuiſam, faciemque totam niue candidiorem.

Ad tam pulchrum ac cœleſte ſpectaculum hæſit Dominicus,

nicus, & in contemplationem eius penè raptus manſit immobilis,nihil ampliùs quærens. Tunc Diuinus ille Peregrinus intuentem puerum ſic alloquitur blandis & ſuauibus verbis : Fili, non quæras hodie alium pauperem, Ego hoc mane tuus ero conuiua. Hæc verba fuerunt Dominico gratiſſima, vnde libenter illum acceptauit conuiuam, ac ſpirituali plenus conſolatione & indicibili gaudio domum venit, peregrinum ſecum deducens.

Ingreſſus domum peregrinus dixit, *Pax vobis*:Dum menſa ſedendum eſt, illam benedicit; patitur vt Dominicus aſſideat & ſeruiat ſibi ; pauca protulit verba , ſed omnia majeſtatè ac ſuauitate plena , quæ circunſtantes in admirationem ac penè in exſtaſim rapiebant : hi namque ciborum immemores, peregrinum contemplando, verbiſque eius attendendo potiùs animam quàm corpus paſcebant.

Finito tam ſuaui prandio ſurgens peregrinus gratias agit Deo,agit parentibus Dominici,agit & ipſi Dominico,quem ſeorſum aduocans ac manu præhendens foras duxit , & ſequentibus verbis grauitate ac dulcedine plenis illum alloquitur : Ego ſum IESVS Nazarenus Redemptor mundi, qui in præmium eorum quæ amore mei facis,volui me tibi manifeſtare ſub hac qua vides forma ; te ipſum moneo quòd pauper ille, quem heri in domum deduxiſti , erat Diabolus inimicus meus : propterea noli verbis eius credere , ſolùm crede iis quæ prædicat & docet Eccleſia ; ſemper in tuis dubiis ad ea recurre , quæ ſcripſère Sancti Patres, & ad lucem ac directionem meorum Miniſtrorum, quibus obediendum eſt. Voluit te Diabolus decipere retrahendo ab obſequio pauperum ; & ego tibi nunc appareo , vt tuam erga pauperes ſtabiliam charitatem : Perge inſeruire pauperibus & in pauperibus mihi. Voluit etiam te decipere diſſuadens legere pios libros, & perſuadens reuoluere prophanos : lege libros pios , & fuge prophanos ; Viris ſanctis , non autem ethnicis ſcriptoribus Spiritum meum communicaui : Vnde perniciosa & diabolica non cures impoſtoris heſterni monita.

nita. Vt autem certò ſcias me mundi Saluatorem eſſe, hanc in ſignum infallibile tibi gratiam ſpecialem communico, vt ſanes infirmos hac, quam mea teneo, manu tangendo, ſi ſignum crucis adhibeas: hoc enim modo morbos tam corporeos quàm ſpirituales curabis, Dæmones ex obſeſſis expelles corporibus, & alia mirabilia patrabis. Tibi ſemper ero propitius, te quandoque viſitabo, & frequenter tum in Hoſtia conſecrata, tum alibi ſic apparebo, cum ad majorem Patris mei gloriam, & ad tuam ſalutem æternam opus fuerit. Perſeuera in bonis operibus, ſi fueris bonus & obediens Filius, ero tibi fideliſſimus & optimus Pater.

Poſt hæc formalia vel ſimilia verba, Chriſtus Dominico cuſtodiam ſuæ legis, & amorem Dei ac proximi plurimum inculcauit, ſuum ſpeciale in omnibus promiſit auxilium, & in particulari dixit ipſum habiturum gratiam faciendi miracula, & conuertendi ac lucrandi animas cœlo, quòd obtineret magnam poteſtatem & imperium ſupra Dæmones: ac tandem promiſit ſe preces eius auditurum quoties pro aliquo orauerit, ſicut & præces aliorum, qui nomine eius inuocato orantes ipſum interceſſorem & aduocatum adhiberent. Hanc ſpecialem gratiam Dominico factam, & multis confirmatam experientiis, ab eius perpetuo confeſſore ac indiuiduo comite R. P. Petro à Matre Dei Senenſi referente didici, & diſceſſurus in Perſidem ad animarum conuerſionem prædicti Patris conſilio ad V. P. N. Dominicum acceſſi, vt eius orationes & auxilium impetrarem, cum dicta relatione didiciſſem, ipſum adhuc viuentem & abſentem in neceſſitatibus ſuccurrerę: petitum autem impetraui fauorem, promiſit namque mihi Venerabilis Pater ſuum auxilium in vita, in morte, & poſt mortem; nec dubito, quin multum profuerit in variis periculis & aliis occaſionibus non-raris.

Cœleſtis peregrinus ſimilia proferens æternæ vitæ documenta, & Dominicus ſuauiter auſcultans iter conficiebant: cum ad Eccleſiam S. Iacobi peruenerunt, porticum eius

eius ingrediuntur: Tunc iterum peregrinus inculcat Dominico, vt ſit ipſi fidelis ac perſeueret in bonis operibus, dataque benedictione diſparuit.

Attonitus remanſit Dominicus, neſciens quid faceret, quò iret, diſceſſum viſibilem tam boni magiſti deuotis cœpit flere lachrymis, quem tamen inuiſibiliter perſeuerantem ſentiebat. Mirabiles huius apparitionis effectus in puello Dominico remanſerunt, nam non ſolùm multis diebus præ dulcedine cœleſtis communicationis viſus eſt velut ebrius, ſed etiam exceſſiuo Chriſti feruidus amore. An deſcripta apparitio fuerit ipſiuſmet Chriſti, an alicuius Angeli Chriſtum repræſentantis, ignoratur; vtraque namque via potuit contingere.

CAPVT X.

Multa facit puer Dominicus miracula.

QVamvis multa præceſſiſſent in Dominico mira, & fortè miracula; frequentiùs tamen & euidentiùs ex hoc tempore cœperunt relucere, quæ pius eius pater, deuota mater, optima ſoror Maria obſeruabant: & licet parentes Dominicum vt amabilem ac dulciſſimum filium, ſoror autem vt chariſſimum fratrem diligerent: omnes tamen ipſum vt fidelem Dei ſeruum & amicum venerabantur, in ipſo namque quoſdam quaſi Diuinitatis radios intuebantur.

Prædicto Chriſti fauore roboratus Dominicus (cuius frequenter recordabatur, & maximè dum ejuſdem magiſtri cœleſtis apparitionem diſcipulis euntibus in Emaüs factam audiebat, aut in Euangelio legebat) majori cum feruore ſolita pietatis exercitia continuabat, & promiſſam Chriſto fidelitatem tam in exacta Diuinæ legis cuſtodia, quàm in bonorum operum perſeuerantia cuſtodiebat. Chriſtus autem bonus & fidelis Dominus, ſuique memor promiſſi Dominicum adhuc puellum reddidit miraculoſum.

Plura narrantur ex tunc Dominici miracula, plura ſine dubio latuerunt. Mater eius, vt erat delicata, ſæpiùs aëris inclementia dolores capitis patiebatur, ſæpiùs ſtomachi debilitate cruciabatur, ſæpiùs aliis incommoditatibus corporeis angebatur: & tunc prodigiorum filij conſcia, & ſanctitatis oculata teſtis, manum miraculoſam eius parti ſui corporis infirmæ cum fide viua admouebat, & ſtatim vel ſanitatem integram, vel doloris leuamen, vel etiam (quod majus & pretioſius eſt) patiendi pro Chriſto deſiderium percipiebat: quo manifeſtè declarabatur Dominicum tam in corpore quàm in animo matris eſſe miraculoſum.

Soror Dominici Maria tantam ſanctitatis eius ex parta multiplici experientia conceperat opinionem, vt in occurrentibus ſuis aut proximi neceſſitatibus eius vteretur vel inuiti manu: & ſic multa patrauit miracula per eius contactum, tam fratris virtute quàm propria fide.

Ex magnis in paruo Dominico ſanctitatis initiis, & præſertim ex miraculis ejus jam euidentibus, maximam ſibi metuebat ruinam Diabolus: cum enim perſpicacis ſit ingenij, præuidebat quantum ſibi detrimenti puer ille foret allaturus, cum ad perfectam deueniret ætatem, & conſummatam aſſequeretur perfectionem; vnus enim eximiæ ſanctitatis plus ipſi nocet quàm mille alij, verba namque ipſius ſunt veritatis oracula, facta verò ſunt virtutis exempla: quibus talis Dei ſeruus non ſolùm particulares homines aut ciuitates, ſed etiam integras regiones conuertit, totumque mundum ædificat. Talem jam, & cum fundamento, futurum formidabat Dominicum.

Propterea flagrans inuidia & furore percitus, mille nocendi meditatur artes, nihil intentatum, nihil inauſum relinquit, & quem priùs fraudibus & dolo decipere, & à via perfectionis retrahere non potuerat; nunc aperto marte & manifeſta ſæuitia deterrere conatur: contra puellum tot vires inferorum adhibet, quales olim contra Antonium, Hilarionem, & ſimiles ſanctitatis gigantes adhibuerat.

Aſſumens

Aſſumens igitur varias & horribiles figuras ipſum aggreditur, objicit quotidie noua monſtra, quibus ipſum à ſolitudine & oratione deterreat, & ad pernicioſa ſimilium puerorum conſortia præ metu compellat. Nunc ei terribilis apparet ſerpens, qui venenoſo puellum ſibilo torqueat. Nunc occurrit Leo, qui rugitu horribili, & rictu patulo quaſi ipſum deuoraturus minetur. Hic Vrſus, ibi Tygris, inde Lupus aut moloſſus conſpiciuntur, qui nimia rabie perciti in eius mortem conſpirant. Vix turbatur puellus Dominicus, nullo modo terretur, recordatur poteſtatis & imperij à Chriſto ſibi contra dæmones conceſſi. Deo magiſtro didicit ſortes hominum eſſe in manibus Domini, & quòd ne capillus quidem de capite ſuo cadere poteſt, niſi Deo permittente. Scit hæc infernalia dæmonum animalia rugire vel latrare poſſe, mordere non poſſe. Audiuerat qualiter Antonius fidei cæterarumque virtutum clypeo munitus ſimiles inferni cateruas & frequentiùs proſtrauerat

Vnde Dominicus diuini recordatus promiſſi, quòd adhibito crucis ſigno morbos ſanaret, & dæmones fugaret, potentem contra illos manum eleuat, & ſalutari ſigno potenter expellit. In Domino confidens prouocat ad certamen, & ſe paratum exhibet patiendi etiam ab illis quicquid Deus voluerit aut permiſerit. Sed nec audent dæmones accedere; vel ſuperbia ducti, ex eo quòd à puello prouocentur, vel virtute crucis territi; vel ſpeciali imperio Dominici ſuper illos, quo repellebantur; vel tandem mirabili cœlitum, Deiparæ Virginis, & Chriſti Dominicum aſſiduè protegentis aſſiſtentia, quam maximè verentur dæmones.

* * *

CAPVT XI.

Dominicus poſt mortem patris ad maiorem aſpirat. perfectionem.

SEptimum agebat Dominicus ætatis annum, cum Michaël ejus pater moritur mundo, ad meliorem vitam tranſlatus. Ipſum amabat Dominicus, & viciſſim ab ipſo plurimùm amabatur: vnde dilecti parentis mortem ſenſit, & piis defleuit lachrymis, vt naturæ obſequio rationali ſatisfaceret; quamvis aliàs optimi parentis vita laudabilis mortem pretioſam & ſaluationem certam ipſi promitteret, ac ſpirituale ſolamen præberet. magis flebat Michaël moriturus, vxorem piiſſimam, chariſſimóſque filios & inter eos Dominicum relinquendo, quem velut animæ ſuæ ſolatium deſiderabat. Orat Dominicus pro bono parente, ſuas actiones & paſſiones Deo liberter offert pro ipſo ſatisfacturas, & in lachrymis ac exercitio pietatis diuina ſciuit reuelatione parentem poſt paucos purgatorij dies ad cœleſtem gloriam perueniſſe.

Dominicum elegerat Dominus, tanquam raram & pretioſiſſimam myſtici tum Eccleſiæ, tum cœlorum ædificij petram; vnde miro præparare debuit artificio: quia tunſionibus, preſſuris expoliti lapides ſuis coaptantur locis per manus artificis, diſponuntur permanſuri ſactis ædificiis. Propterea cum mutuo parentum amore, ac nimia ipſorum cura in via perfectionis retardaretur Dominicus, ipſi patrem rapit, ipſum matri & ſorori protinus eripit: quamvis enim omnes eſſent pij, plus tamen nimio poterat eis Dominicus adhærere, & ſic cor ſuum diuidere, quod integrum poſtulat Dominus dicens, fili præbe mihi cor tuum.

Erat tunc in Bilbilienſi Carmelitarum conuentu Prior Pater & Magiſter Fran. Lopez, Dominici auunculus, vt pote frater Hieronymæ matris eius, vir pius, doctus, & puero charus.

charus. Timuit vt erat prudens,ne puellus patris directione priuatus nimis blandè educaretur à matre : vt igitur ſancta pietatis & virtutis principia in eo foueret, & ad majorem eleuaret perfectionem, ipſum non renitentem, ſed volentem adducit in monaſterium.

Cum ſe Dominicus in monaſterij receſſu poſitum, & à parentibus ſeparatum vidit, remotis jam matris & ſororis ſuæ blanditiis, quæ nimis erant exactæ ſanitatis ſuæ curatrices, cœpit ſeuerioris ſtudium mortificationis aſſumere : vnde tenerum corpus nondum rebelle diſciplinis domabat, nondum recalcitrans abſtinentiis debilitabat, vigiliis attenuabat, orationibus ſubjugabat : Deo quippe magiſtro didicerat, quòd bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſeu à tenera ætate, nam ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe ; certum eſt enim quòd media mortificatione corpus domatur, pars inferior ſuperiori rationali ſubjicitur, vitantur vitia, & virtuti mens præparatur : & niſi boni mores in principio comparentur, vix poſtea comparari valebunt.

Tunc cœpit eſſe aſſiduus in oratione; tam mentali quàm vocali. Vocali oratione ſpecialiter Beatiſſimam Virginem & ſæpiùs in die ſolebat inuocare, ſacrum eius roſarium deuotè recitando. Mentali oratione meditabatur peccatorum grauitatem, humanæ vitæ miſerias, mortem hominis, iudicium Dei, pœnas damnatorum æternas, gloriam beatorum interminabilem, myſteria noſtræ redemptionis, diuina beneficia ſuamque ingratitudinem ; ex qua meditatione ſæpiùs in altiſſimam contemplationem eleuabatur exardeſcente charitatis igne, Reliquum temporis honeſtis & deuotis inſumebat exercitiis, pia nonnumquam in honorem ſanctiſſimæ Virginis componendo.

Hæc diu faciebat Dominicus, noctu verò ab auunculo dimiſſus vt dormiret, ſolebat in Eccleſia vigilare, propè cuius portam duæ ſunt capellæ deuotis ornatæ ſtatuis : in vna quidem eſt figura Chriſti Domini è cruce pendentis, in

altera verò eſt imago Beatiſſimæ Virginis Puerum Ieſum in ſinu geſtantis:ibi deuotus puer ſuas alternabat ſtationes, modo coram matre miſericordiæ, modo coram filio mundi redemptore lachrymas fundens, & pium cor ſuum effundens. Quòd ſi ſomno premeretur, qui eſt humanæ tributum naturæ, ac præſertim in tenera ætate humidioris, ſtans dormiebat, vt laxatis artubus caderet, & citiùs excitaretur, ne diutiùs corporis quieti indulgeret,qua meditationis aut contemplationis ſtudium interrumpebatur. Quia verò tam ſancta erant vigilantis exercitia, ſancta quoque vt plurimùm erant dormientis ſomnia,ſolent enim in leui ſomno reuolui phantaſmata, quæ formantur in vigilia; vnde meritò dicere poterat, Ego dormio, & cor meum vigilat. Nec tunc deerat cuſtos Angelus, quem priùs vidimus interdiu fuiſſe monitorem ad orandum, & noctu excitatorem.

Contigit quadam nocte Dominico ſtationem in crucifixi capella celebranti contentioſa & mirabilis pugna. Dum Chriſtum oraret, ſpiritus feruore rapitur,ſic extra ſe raptus totam olim celebratæ paſſionis ſeriem contemplatur; videt tumultuarias impiorum militum cateruas, & concurrentis audit popùli ſtrepitum: dum Caluariæ montem aſcendit, intuetur Chriſtum toto corpore ſaucium, vulneribus liuidum, cruci clauis affixum, ſpinis coronatum, lancea perforatum,& quaſi tunc recenter mortuum. In hac extaſi doloroſa currit Dominicus ad pedes Domini ſanguine plenos, amplectitur ſtrictè,oſculatur deuotè,& ſuis lauando lachrymis feruidos elicit actus amoris. Dum puer deuotus haurit cum gaudio aquas de fontibus ſaluatoris, & inebriatur ab vbertate dulcedinis internæ, ſuam ibi manſionem eligens, cum Petro dicens Chriſto, Domine bonum eſt nos hic eſſe, Magdalenam aduertit quæ piam ſibi mouet litem de pedibus crucifixi, proprium affirmat eſſe locum, ſibi diuinitùs conceſſum, diuturna poſſeſſione ſæculorum acquiſitum:ſed paruulus nolens tanto priuari bono, non per viam iuris,

iuris, ſed per viam facti procedit; Vnde Chriſti, cuius pedes amplectebatur, fauore ac protectione ſecurus Magdalenæ fortiter, reuerenter tamen, reſiſtit, ſimilemque diu cum ea luctam habuit illi quam Iacob Patriarcha habuerat cum Angelo: Conſentit tandem Magdalena partim reſiſtentiæ, partim deuotioni, partim lachrymis deuoti pueri poſſeſſionem tanti boni in pedibus Domini, quam ſuperueniens aurora terminauit.

Contigere ſimilia pietatis chariſmata Dominico in altera Beatiſſimæ Virginis Mariæ capella in orationibus vigilanti: nam de vna in aliam capellam ibat & redibat, hinc tractus à Chriſto crucifixo, inde raptus à Maria & paruulo Ieſu; Chriſtus enim à terra exaltatus omnia trahit ad ſeipſum, Maria verò & Ieſus rapiunt animas intuentium; Vnde meritò dicebat cum Auguſtino, Poſitus in medio, quò me vertam neſcio. Plures narrantur cœleſtes communicationes in dicta capella Dominico factæ. Dicitur enim primò, quòd Dei mater Maria ſe gloria fulgidam ei aliquando monſtrauit, & tunc tanta familiaritate ac amore cum eo diſſerebat, quo mater amabilis cum filio dilectiſſimo. Dicitur deinde, quòd eadem mater pulchræ dilectionis paruulum Ieſum Dominico puero ſæpiùs tradidit, quem Dominicus ſtrictè amplexatus ægrè Virgini repoſcenti reſtituebat; aliquando confidenter negabat; Et dum blandè Virgo ipſum ad reſtitutionem vrgeret, ipſe ſe etiam blandè excuſabat dicens, Beatus qui poſſidet; Reſpondebat aliquando, Patere mater piiſſima, vt ſim æterno Verbo ſimilis, quod enim ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; Cumque paruulus Ieſus ad matrem reniteretur dicens Dominico, Dimitte me, quoniam iam aſcendit aurora, reſpondebat Dominicus vt alter Iacob, non dimittam te, niſi benedixeris mihi, Acceptaque benedictione dimittebat. Dicitur tandem quòd eadem mater admirabilis hortabatur Dominicum ad amorem filij, ipſum inſtruens qualiter perfectè amare poſſet: & viciſſim filius ipſum hortabatur ad ho-

norem matris, inſtruens qualiter poſſet perfectè illam honorare.

Tam ſublimes tamque frequentes Diuini fauores conceſſi Dominico non poterant totaliter dæmonem latere, qui cum aliàs impedire non poſſet, ardens inuidia & furore percitus mortem eius meditatur, quam tamen nequit inferre, Deo puerum protegente. Saxum magnum abripit, in Dominicum maiori proiicit impetũ quàm globus à tormentis explodatur, ad caput eius dirigit, ſed frontem leuiter tantùm vulnerat; vulnus die ſequenti ſanatur, ſed toto vitæ tempore relicta cicatrix perſeuerauit, vt inuidiæ dæmonum, & Diuinæ protectionis monumentum in fronte ſculptum ſeu impreſſum ſeruaret Dominicus.

CAPVT XII.

Dominicus renuntians ſæculo fit Religioſus Carmelita.

MAnens Dominicus in conuentu religioſo fœlicem religionis ſtatum aliqualiter nouerat, ſicut & infœlicem ſæcularium conditionem. Deo magiſtro didicerat quæ ſancti Patres de vtroque docuerunt. Sciebat quàm verum ſit improperium ab Auguſtino mundo ſeu ſæculo factum, dum ait: O munde immunde, qui homines illaqueare non deſinis, quieſcere non permittis, rapere omnes appetis, occidére omnes quæris; væ qui tibi credit, beatus qui tibi reſiſtit, ſed beatior qui à te illæſus recedit: O munde proditor; bona cuncta promittis, ſed cuncta mala profers; promittis vitam, ſed donas mortem; promittis gaudium, ſed largiris mœrorem; promittis quietem, ſed ecce turbatio; promittis florem, ſed citò vaneſcit; promittis ſtare, ſed citò recedis: non ergo es diligendus, quoniam omninò tranſis, & concupiſcentia tua velut fumus euaneſcit:

cit: O munde immunde qui te diligunt non te norunt. Sciebat etiam aliud, ſed compendioſius improperium à Bernardo eidem ſæculo factum: O ſæculum nequam, quod tuos ſic ſoles beare amicos, vt facias Dei inimicos, & indignos conſortio ſanctorum. Sciebat è contra quàm verum ſit eiuſdem Bernardi elogium de religione, dum ait: Religio munda! in qua homo viuit puriùs, ambulat cautiùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, purgatur citiùs, irroratur frequentiùs, moritur confidentiùs, præmiatur copioſiùs.

Hæc, inquam, nouerat puer Dominicus: ſed quia ſortes ſuas in manibus Domini poſuerat, nolebat electione ſua, at vocatione Diuina ad fœlicem religionis ſtatum aſpirare; præſertim cum ſe puerum adhuc conſideraret: timebat namque ne vel defectu iudicij, vel defectu virium imprudenter eligeret quod vſque ad mortem fortè non poſſet continuare. Vnde ſe totum Deo, Deiparæ Virgini, & Angelo cuſtodi fiducialiter committens, tam ſerium incipientis vocationis negotium eorum directioni relinquebat; ſuis interim vacuus ſpiritualibus exercitiis.

Venit tunc temporis Bilbilim Carmelitarum Prouincialis, vbi cum mira de pietate & prudentia Dominici referentibus religioſis didiciſſet, ipſum vocari iubet, ad virtutem hortatur, exponit ipſi pericula ſæculi, & ad religionem Carmelitarum inuitat. Ad grauia & ſimul blanda Prouincialis verba auſcultat Dominicus; gratias agit de paterna erga ſeipſum ſollicitudine, datum approbat conſilium, & ſe ad illud ſequendum iam inclinari reſpondit; opus tamen eſſe in re tam graui Deum orationibus conſulere patrem luminum, à quo procedit omne datum optimum & omne donum perfectum. Adquieſcit P. Prouincialis prudenti reſponſo pueri, nec ampliùs vrget; cum electio ſtatus perpetui, & præſertim naturæ difficilis & ardui non debeat fieri ex violentia morali.

Diſcedit Bilbili P. Prouincialis: Dominicus autem ſummum illud vocationis negotium reuoluit mente, precibuſ-

que Deo & Beatiſſimæ Virgini commendat, & maximè in duplici capella, vbi tot Diuinos fauores, & oracula cœleſtia perceperat, enixè deprecans matrem miſericordiæ, dulciſſimumque eius filium, vt in re tam graui ſuam manifeſtarent voluntatem, ſibique ſignificarent quid expediret agere ad maiorem ipſorum gloriam & ad ſuam ſalutem.

Dominico ſic Diuinæ voluntati reſignato, quam inquirebat, reſpondit Virgo Beatiſſima: Si Filio meo & mihi deſideras in hac religione mea deſeruire, tibi conuenit noſtris miſericordiis valde gratum eſſe, & in magnum euadere ſanctum. Quæ Virginis verba deuotum puerum maiori deſiderio, ad ſtatum religioſum in ordine Carmelitano amplectendum excitarunt.

Sed quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, dum tardat Dominicus exequi cœleſtia Beatiſſimæ Virginis conſilia, contingit quadam nocte vt veniens è clauſtro ad Eccleſiam, & propè capellam Crucifixi tranſiens terribilem audierit vocem tonitrui ſimilem, ab ipſomet Crucifixo procedentem: hac voce perculſus cadit in terram Dominicus, ſicut olim ſimili perterritus ceciderat Paulus; Cumque paulatim ad ſe rediiſſet, audit Chriſtum dicentem ſibi. Surge Dominice, noli timere, veni tandem ad me, & religionem matris meæ ingredere, vt mihi iugiter in illa deſeruias.

Cum tam terribilem audiiſſet Dominicus vocem, ac ſimul poſtea tam dulcia vocationis monita; licet ſequentia verba ſibi conſueta fuiſſe Domini non dubitaret, dubitabat tamen de præcedenti voce terribili, num eius eſſet, quia ſuauiſſimum hactenus, nunquam terribilem expertus erat Dominum. Dum in his dubius hæret; ad animi pacem & conſcientiæ tranquillitatem iterum loquitur Chriſtus crucifixus: Dominice cur me non ſequeris? ſi vis ad Patrem venire, ego ſum via; ſi vis à dæmone non illudi, ego ſum veritas; ſi vis in æternum viuere, ego ſum vita: Ego ſum Redemptor tuus qui loquor tecum, vt doceam te viam æternæ

ſalutis, & in illa te dirigam. Confide fili, viam religionis ingredere, pericula & difficultates ne timeas, tecum ero; Dux itineris ero, & præcedam; ſocius ero, & comitabor; protector ero, & ſequar: quia tibi nunquam deerit gratia mea; ipſa præueniente incipiam, concomitante proſequar, ſubſequente perficiam, & pro meritis reddam tibi coronam iuſtitiæ.

Similibus Chriſti & Beatiſſimæ Virginis inſtructus monitis, ac promiſſis animatus Dominicus ſtatim decreuit Chriſtum & Mariam vocantes ſequi, nec ampliùs immorari: cum maximo mentis affectu pro tam mirabili & euidenti vocatione gratias illis maximas rependit; Deinde totus in lachrymas deuotionis effuſus Protectionem amborum humiliter implorat: Deinde Mariam Carmeli Reginam exorat, vt ſeipſum inutilem ſeruum filiis ſuis Carmelitis annumeret, ac deinceps hoc ſpeciali titulo ſe matrem eſſe demonſtret.

His coram Deo concluſis, & ſecretò in hac voluntate perſiſtens reditum Patris Prouincialis mox futurum expectat: Poſt paucos dies redeuntem adit, animum ſuum illi manifeſtat, cor aperit, deſiderium ad religionem expandit. Miratus P. Prouincialis pueri prudentiam & pietatem, ac vocationis eius firmitatem, cum maximo ſuo gaudio admittit ad habitum, & ſecum Cæſar-Auguſtam ad nouitiatum deducit. Noluit deuotus puer duodecim annorum ſecretum ſuum matri reuelare, nec ei vale dicere, præuidens maternas eius lachrymas, & timens futura ex parte ipſius impedimenta: Imitatus in hoc puerum Ieſum, qui in ſimili & tenera duodecim annorum ætate ſe ſacratiſſimæ Matri ſuæ ſubripuit, vt in templo Domini poſſet inter Doctores legis perſeuerare.

Ex hactenus dictis manifeſtè conſtat, quàm innocens in ſæculo fuerit Dominicus. In ſequenti libro videbimus ipſum in Carmelo mitigato fuiſſe perfectum.

LIBER

LIBER SECVNDVS VITÆ V.P. DOMINICI A IESV MARIA IN CARMELO MITIGATO PERFECTI.

PROLOGVS.

VIDERAT in ſæculo Dominicus iniquitatem ac virtutis contradictionem; ideò deſiderauit, petiit humiliter, & obtinuit à Domino pennas ſicut columbæ, vt ciuitatem deſereret, & in Carmeli ſolitudinem volaret. Hunc fauorem Diuinum ſua meruit innocentia: Quis enim, ait Pſalmiſta, aſcendet in montem Domini (ſcilicet religionis in hac vita, & beatitudinis in æterna) aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, reſpondet, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo, hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Volauit igitur Dominicus ad montem Carmelum, ſub regula etiam mitigata floridum, vbi & contemplatione, & mortificatione, cæteriſque virtutibus religioſis, diuina præueniente ac cooperante gratia, perfectionem non ordinariam acquiſiuit, cæleſtibus plenam communicationibus, & plurimis fulgẽtem miraculis,

raculis, vniuerſalique celebrem applauſu, quam in hoc ſecundo libro deſcribemus.

CAPVT I.

Dominicus in nouitiatu tentatur, & in tentatione perfectionem acquirit.

VIx credi poteſt, quanto feruore & iubilo religioſum Carmeli habitum ſuſceperit Dominicus, & quanta ſollicitudine nouitiatus exercitia inceperit. Non caruit in principio lacte deuotionis nouitiis ordinariè conceſſo, vt ſic firmatus in bono eorum animus delicias ſæculi dimiſſas obliuiſcatur,& vera cœli gaudia deſiderans cœptum perfectionis iter proſequatur, & obuiantia virtutis impedimenta ſuperando repellat.

Sed quia Dominus elegerat Dominicum vt illuſtrem ſanctum efficeret; & cum aliàs non acquiratur ſanctitas in deliciis, ſed in medio tentationum & laborum: voluit ſtatim ab initio nouitiatus tentare Dominicum, & tanquam aurum in fornace probauit, vel internis ſpiritus anguſtiis, vel externis dæmonum ac hominum perſecutionibus, quas breuiter hoc capite proponemus; ſed de omnibus his liberauit eum Dominus.

Quatuor annis continuis Dominici nouitiatus durauit: Cum enim duodecimo ætatis anno religionis habitum induiſſet, debuit decimi ſexti complementum expectare, vt ſolemnia profeſſionis vota poſſet emittere:Tam longo nouitiatus tempore multa paſſus eſt Dominicus aliis nouitiis communia in nouæ tyrocinio vitæ, multa etiam particularia quæ præ aliis feruore ſpiritus exercebat: ſed hæc ordinaria pietatis exercitia, licet maximi ſint meriti, non tamen adiunctam habent admirationem, quam in ſanctorum operibus

tribus & paſſionibus quærimus. Vnde his nunc prætermiſſis ad alia extraordinaria tranſimus.

Etſi diabolus præteritorum experientia doctus debuiſſet à ſuſcepto contra Dominicum bello deſiſtere, cum totus ab illo victus fugatuſque receſſiſſet: non tamen omninò deſperat de victoria: imò Dominicum in caſtro religionis Carmelitanæ conſtitutum aggreditur, quem in campo aperto ſæculi bellantem fugerat, cum nullus ſit locus extra beatitudinem in orbe ſecurus; ſi namque locus aliquis ſaluare potuiſſet, ipſe diabolus de cœlo non cecidiſſet, & Adam de Paradiſo terreſtri non fuiſſet eiectus. Aggreditur autem diabolus non ſemel, ſed ſæpe; nunc vi aperta, nunc fraudibus & dolis.

Primus ex parte parentum, & conſanguineorum ipſius Dominici fuit conflictus: hos enim diabolus turbauerat, credentes puerum fuiſſe deceptum, & dolo ad religionem intruſum, ac ideò factam ipſi iniuriam, totique familiæ contumeliam: Vnde non pauci decernunt Cæſar-Auguſtam pergere, nouitium ad Eccleſiám vocare, reditum ad maternam domum ſuadere ſi poſſint; ſi non poſſint volentem reducere Bilbilim, meditantur vi rapere, adhibitis etiam armis raptum defendere, & equis ſubitò transferre. De hac dæmonis arte diuinitus inſtruitur Dominicus: ipſum Chriſtus Dominus, ipſum Beatiſſima Virgo, & Angelus Cuſtos de Conſanguineorum animo ac decreto monuerunt, perſeuerantiam in religione ſuadentes. Adit P. Priorem Dominicus, enixè deprecatur & impetrat ne ab amicis aut Conſanguineis videatur, exponens illi ſi non arcanum cœleſte, ſaltem periculum. Non multo poſt accedunt raptores, Dominicum poſtulant; ſed illos inuiſit Prior, nouitij negat acceſſum de more religionis, quæ & diſtractiones ſæcularium & externa ſolatia nouitiis prohibet; ſicque dimiſſi re infecta redire coguntur: & Dominicus Deo gratias agens manet ſecurus in atriis domus Domini.

Habuit Dominicus eximium Nouitiorum magiſtrum,

Patrem ſcilicet Dordanum (alicubi Iordanum reperi) Theologiæ Doctorem, qui ſuis meritis ad Prouincialis dignitatem poſtmodum electus fuit: Hic Pater iam ſenex ac venerabilis aduertens Dominicum ad virtutem addiſcendam idoneum, ſpeciali cura ſolebat eum inſtruere, & in ſtrictiori obſeruantia plurimùm exercere: Vnde leuiſſimas etiam culpas in puero corrigebat, vel veras vel fictas, vt ſic ſpiritum humilitatis infunderet. Ex hac paterna magiſtri ſollicitudine nouas diabolus artes nocendi ſumebat: inſpirabat puero hanc charitatis ſollicitudinem eſſe rigidam perſecutionem; reditum ad ſæculum ſuadebat, vbi quietius viuere poſſet; aliàs maiorem inſpirans receſſum inuitabat ad eremum, vbi Deo magiſtro magis quàm in clauſtro proficere valeret. Sed hæc omnia vicit & eluſit noſter nouitius oratione ac fidelitate erga ſuum magiſtrum munitus.

Mira ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium deuotione venerabatur: Vnde libenter ei intererat, ſed multò libentiùs miniſtrabat. Hanc deuotionem multis fauoribus compenſabat Dominus: nam ſæpiùs ſe manifeſtum ei præbebat in manibus ſacerdotis, nunc ſub ſpecie paruuli pulcherrimi, nunc ſub ſpecie hominis, modo præmia promittentis, modo ſupplicia minitantis. In variis autem apparentis Chriſti in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento figuris aliorum conſcientias videbat, & cum opus eſſet ad ſpiritualem eorum profectum, de multis admonebat.

Suſpectum ſibi ab infantia Dominicum non ceſſant perſequi dæmones; nunc laſciua proponentes ſpectacula, quæ animum pellicerent; nunc horrenda formantes monſtra, quæ ipſum terrerent. Sed Diuina protectione & gratia ſuperior effectus Dominicus has omnes diaboli machinas ſigno crucis diſſoluebat.

Maius periculum Dominico parauit diabolus medio quodam nobili ac præpotente Domino, qui tunc Cæſar-Auguſtæ verſabatur. Hic vitiis implicatus dum ad Carmelitarum Eccleſiam pergit, occurrentis Dominici tunc pulcherrimi

cherrimi ſpecie captus ipſum cœpit adamare, & vt poſſet frequentiùs videre, dictam frequentabat Eccleſiam. Quadam die ſeorſum vocat, ſuas ei manifeſtat diuitias, ſignificat ſe prole carere, cui bona ſua hæreditatis iure relinquat, dicit ſe breui in patriam reuerſurum, inuitat Dominicum vt ſecum veniat promittens ſe eum in filium libenter adoptaturum; & vt promiſſi facti certiorem aliqualiter faceret, torquem aureum gemmis & lapillis ornatum dolosè offert. Dominicus charitate proximi plenus, quæ non cogitat malum, credens in patria nobilis illius eſſe conuentum ſui Ordinis Carmelitani, cui ratione ſui vellet hæreditatem ſuam relinquere: ne ex vna parte oblatam tam bonam occaſionem iuuandi religionem præteriret; & ne ex alia parte quicquam faceret in re tanti momenti inconſulto Priore ac magiſtro nouitiorum, inducias petit; & ſe die ſequenti reſponſurum promittit. Dum his turbatur curis Dominicus, die ſequenti mittitur ad Eccleſiam, vt alloquatur quandam virginem peregrinam, quæ ipſum vocabat: vt ad illam acceſſit, ex fulgore vultus eius, & ſimul ex ſpecie cognouit eſſe Beatiſſimam Virginem Mariam, ſimilis namque erat ſtatuæ Virginis Deiparæ quam Bilbili coluiſſe dictum eſt. Tunc magna veneratione genuflexionis ipſam adorat, & protectionem expoſcit: Virgo ſanctiſſima inter alia ſalutis monita ſic ait Dominico: Fili ne fidas illi, qui heri manè ſe tibi in patrem obtulit, quamuis verba ipſius tibi videantur bona, non tamen ex bona procedunt intentione: propterea cum hodie tibi loquetur, ipſum acriter reprehende, & audacter dic ei quæ tunc tibi ſuggerentur: His dictis euanuit ab oculis Dominici, quem luce cœleſti & gaudio perfuſum reliquit. Superuenit nobilis, quem adit Dominicus zelo plenus ac leoni ſimilis, acriter reprehendit, ſiniſtram intentionem obiicit, occulta pandit propria crimina; ſe dicit à Deo miſſum vt arguat, & ſeuerum eius iudicium intimet. Tanta loquitur & aggreditur efficacia, vt ipſum tunc conuerterit, & ad faciendum breui generalem peccatorum

torum

torum ſuorum confeſſionem impulerit. Hac Dominici correctione in alterum hominem mutatus nobilis cœpit omnia pietatis exercitia colere, Dominicum noſtrum venerari tanquam ſanctum, quem ſuæ conuerſionis Angelum ſolebat appellare.

Iam tertium nouitiatus, & decimum quintum ætatis annum exegerat Dominicus, cum Prior conuentus in periculoſum incidit morbum, in eius infirmitatis miniſtrum deputatur iam adoleſcens Dominicus, qui tale charitatis & humilitatis officium libenter amplectitur. Accedit quodam die ſub veſperam, cœlum nubibus obduci, aërem crebris ignibus micare, ventos fremere, ac ingruentibus tenebris tonitrua crepare: Audiuit tunc Dominicus vocem qua præcipiebatur ipſi ſtatim è cubiculo Prioris exire, quam deſpexit velut dæmonis aſtutia prolatam; & ecce improuiſo raptus impetu transfertur per aëra ad locum diſtantem: & cecidit fulmen in dictum cubiculum ante lectum Prioris ad locum vbi fuiſſet Dominicus, ni Deus eum miraculoſa tranſlatione protexiſſet: Terruit omnes fulmen illud, & ægrotum maximè, ſed nulli nocuit. Gratias Deo agit Dominicus de beneficio, cumque tranſacto periculo ad cubiculum Prioris occurriſſet, nullum aliud reperit nocumentum, quàm in vitris curioſis omninò contritis, quæ Prior in armario conſeruabat. Tunc cum ſancta ſimplicitate, vel etiam libertate ſuo ſuperiori dixit nouitius; Tandem Pater non vult Dominus curioſitates, vnde fulmen vitra contriuit: quam filij correctionem humiliter ac vtiliter recepit Prior, & ſimiles impoſterum curioſitates & in ſeipſo & in ſuis ſubditis vitauit.

CAPVT II.

Dominicus emiſſa ſolemni profeſſione curam infirmorum ſuſcipit,& ſanctè ac miraculosè exequitur.

EXpectabat Dominicus tam longi nouitiatus finem, vt ſolemnem emittens profeſſionem per tria religionis vota eſſentialia ſe totaliter Deo ac Beatiſſimæ Virgini Mariæ de monte Carmelo conſecraret ; Vnde non tantùm ſe in ſacrificium ordinarium,ſed etiam in holocauſtum obtulit: nam per votum obedientiæ dominium ſuæ voluntatis & animæ, per votum autem caſtitatis dominium ſui corporis, ac tandem per votum paupertatis dominium bonorum fortunæ in Deum ſponte tranſtulit.

Non poteſt exprimi cum quanta ſanctitate Dominicus poſt profeſſionem vixerit : conſiderabat enim ſe iam non optione, ſed fœlici quadam neceſſitate ad acquirendam perfectionem obligatum. Vnde factus ſpectaculum Deo, Angelis & hominibus, ſua ſancta conuerſatione Deum laudabat, Angelos exhilarabat, ſuperiores rapiebat,ſenes ædificabat, iuuenes animabat, & omnes cœleſtibus documentis practicis potiùs quàm ſpeculatiuis inſtruebat. Quamuis enim tam verbo quam opere potens eſſet, ſciebat tamen plus exempla mouere quàm verba : Vnde parcus erat verbis, cum tamen tempus eſſet loquendi, non niſi ſpiritualia & valdè vtilia verba proferebat. Tandem pulchritudine, moribus, ac externa compoſitione videbatur & erat Angelus.

Tanto iam Dei flagrabat amore, tanta luce Diuina perfundebatur, vt eleuato per contemplationem intellectu, & abſorpta per amorem voluntate frequenter ex tunc raperetur in ecſtaſim, tanta corporis violentia, vt cum ad ſeipſum rediret, maximam ſanguinis copiam ſolebat euomere, vt ipſe aliquando vidi; licèt hoc ſuauiter efficeret, nullum

lum enim in ſe dolorem ſentiebat,nec intuentes in ipſo percipiebant.

Ex maximo amore Dei magnus in Dominico proximi amor exurgebat ; qui in omnibus iuuandi proximum occaſionibus emicabat, quas non tantùm libenter captabat, ſed etiam diligenter inquirebat. Præſertim autem hic amor manifeſtabatur in horrore peccatorum, & compaſſione erga peccatores : vtroque preſſus facilè ſoluebatur in lachrymas, dum aliquem peccaſſe grauiter audiebat. Deus autem eius pietati cooperans, occultas multorum culpas ei reuelabat, vt ſuam Diuinam maieſtatem pro ipſis exoraret, & gratiam impetraret ; quod adhibitis pluribus pœnitentiis efficiebat, vt multis poſſet exemplis confirmari : vnicum ſubiungam.

Venerat in Chorum Dominicus veſperas cum aliis cantaturus, Diuina reuelatione didicit infortunium, quod cuidam miſero contigerat in foro : tunc non volens in ſeipſo ſenſum doloris & compaſſionis comprimere, fortiter & amarè ſuſpirans ait ; O miſerabilis anima, quæ ad portam matris miſericordiæ periclitaris. Hæc alij audientes remanent attoniti & ſuſpenſi, nec tamen Dominicum de myſterio audent interrogare : Cum ecce ſuperueniunt duo patres, qui caſum narrantes referunt hominem quendam in foro Beatiſſimæ Virginis tranſuerberatum cecidiſſe quaſi mortuum, ſed poſtea difficulter,ad ſe reuerſum pœnitentiæ Sacramentum recepiſſe à Canonicis Eccleſiæ ſanctæ Mariæ & in Domino fœliciter obiiſſe.

Prior conuentus Cæſarauguſtani conſiderans in adoleſcente Dominico iudicij maturitatem, raram prudentiam, & eximiam ſanctitatem,vt aliis religioſis ſua virtute & Angelica conuerſatione prodeſſet, ei curam infirmorum commiſit, plurimùm eius diſcretioni in ætate iuuenili confidens. Libenter ſuſcipit obediens Dominicus iniunctum ſibi patientiæ & charitatis officium, quod mira exercet diligentia, ſuos fratres infirmos velut nutrix aut mater fouendo.

Votis eius tam piis obſecundabat Dominus, ipſum in primitiuo conſeruans feruore ſpiritus, & ſanitatem corpoream vireſque neceſſarias concedens, licet aliquando plures infirmos eoſque contagioſos curaret. Sed quia non poſſumus raras omnes Dominici actiones deſcribere, deſcribemus ſaltem prodigioſos & miraculoſos ſucceſſus, qui tempore huius officij contigerunt.

Erat annus Domini milleſimus quinquageſimus octuageſimus, quo lues vniuerſalis totum penè terrarum orbem depopulata eſt: Omnia namque regna tam Orientis quàm Occidentis percurrit, imò & ad nouum mundum peruenit, & tam magnam hominum ſtragem fecit, vt dimidiam Chriſtianorum partem conſumpſiſſe dicatur. Vnde ſolo peſtis charactere cognitus, vulgo dicitur annus magnæ peſtis. Tunc in conuentu Carmelitarum Cæſarauguſtano ſeptuaginta erant religioſi peſtifero morbo correpti, noſtrique Dominici curæ commiſſi: certè mirum, aut etiam miraculoſum eſt, qualiter ipſe valde iuuenis, attritus pœnitentiis, ac viribus debilis tot & tam graui morbo infectis ſolus miniſtrauerit. Sed licet eſſet ſolus ex hominibus, cœleſtes tamen habuit adiutores, Chriſtum ſcilicet, Beatiſſimam Virginem, Angelum Cuſtodem; quorum auxiliis munitus ſuccurrebat omnibus, corpora ſubleuabat, mentes ſolabatur, pro omnibus exorabat: & ideò proderat omnibus; & illis ſatisfaciebat. Multa & mira narrantur tunc ſucceſſiſſe, quæ paucis deſcribentur.

Occurrit quadam die religioſa Sacerdoti phialam vino plenam & lintea versùs valetudinarium deferenti; ad ipſum currit vt exoneret: Sacerdos vt erat pius reſiſtit, & mente intra ſe dicit; meum eſt potiùs huic ſeruire, quem Deus amat, cui famulantur Angeli, & creaturæ rationis expertes obediunt: Cuius mentem vt vidit Dominicus, genua flectit, & ne ſeipſum confundat precatur; & ſimili humiliatione extorquet onus. Cumque viciſſet, & prædictis onuſtus gradus difficiles feſtinus aſcenderet, incautè pedem figens impingit,

pingit, & vitrea cecidit è manibus phiala vino plena, quæ nec frangitur nec funditur : ipſe verò pudore rubeſcit, quòd coram aliis aſtantibus religioſis euenerit, & inclinato capite confuſus iter ſuum proſequitur.

Ad infirmorum obſequium geſtans ſartaginem cum oleo clauſtrum pertranſibat, cumque incederet ex improuiſo deficientibus infra pedes lapidibus in ſiccum decidit puteum, nec ipſe læſus eſt, nec ſartago detrimentum paſſa, nam ſupra putei marginem incolumis & abſque olei effuſione fuit reperta.

Alia die dum eſſet ſuper Eccleſiam è ſumma eius abſide labitur, in periculo Sanctiſſimam Virginem inuocat, ipſam vidit ſuccurrentem ſeque ſanum & illæſum ſolo deponentem : Vnde præſentes omnes miraculo applaudebant.

Tunc periculoſa febri decumbebat quidam religioſus huius conuentus, ſenior & doctus, qui aliàs ſæcularis Oſcenſi in Academia Theologiam cum applauſu fuerat profeſſus, & vale dicens ſæculo factus erat Carmelita. Hic ad mortis periculum redactus tentatur à diabolo in materia fidei, & dum humano vult ingenio Diuinitatis arcana metiri, decipitur & labitur in hæreſim. Sed benignus & miſericors Dominus, volens ipſum eripere de præcipitio, periculoſum eius ſtatum Dominico reuelat, præcipit vt ſtatim ad eius auxilium accurrat: cumque ad infirmum qua poterat diligentia properaret, ſe ſicut alterum Philippum ad cellam & lectum infirmi videt raptum, vbi iuſſus pro ſpirituali eius ſalute Deum enixè deprecatur, miſericordiam obtinet ; & infirmus Diuina luce perfuſus fidei veritatem agnoſcit,& coram P. Priore tunc adueniente ſuum errorem confitetur, peccata confeſſione expiat, alia petit Sacramenta, quibus deuotè receptis multos fidei actus eliciens paulò poſt obdormiuit in Domino.

Vehemens amor proximi cauſabat in Dominico quendam amoris & humanitatis ſenſum in bruta animalia per aliquam ſui diffuſionem, ipſa namque vt Dei ſui ſummè

dilecti creaturas conſiderabat: Vnde non poterat non amare & benefacere. Dum quadam die medicum redeuntem ad portam conuentus deducit, ſerpentem videt in clauſtro currentem, ipſum ſequitur, aſſecutus manu capit, blanditur & demulcet: quod cum vidiſſet medicus, omninò turbatus & attonitus clamare cœpit vt ſtatim proiiceret, eſſe animal venenoſum & nociuum: ſubridet Dominicus, & reſpondit eſſe Dei creaturam, quæ blanditiis ipſius delectatur, nec vllum affert nocumentum. Vitreum vas petiit medicus iam ex timore confirmatus, in illud ſerpentem viperam iuſſit immitti, & per ciuitatem deferens, Dominici ſanctitatem & innocentiam prædicabat, quam animalia tam inhumana & lethifera reuerebantur, non minùs ac ſi perſeueraſſet in eo iuſtitiæ originalis ſtatus.

CAPVT III.

In extremo caſtitatis periculo triumphat Dominicus.

VIgeſimum attigerat annum Dominicus & in hoc ætatis flore pulcherrimus erat, quamuis aſſiduo mortificationis exercitio, vt ieiuniis, diſciplinis & ciliciis corpus attereret. Sed Dominus Dominico pœnitenti ſplendorem vultus conferebat, qui tribus olim pueris cum Daniele leguminibus ſolis veſcentibus corpulentiores ac pulchriores vultus conſeruauit, præ aliis coætaneis qui de menſa regia veſcebantur. Hæc Dominici pulchritudo per totum erat vultum ſuperiùs expreſſum diffuſa, ſed præcipuè in ore breui & purpureo relucebat, quod ſic verborum ſuauitas decorabat, vt communiter os aureum ſeu alter Chryſoſtomus diceretur.

Hac externa pulchritudine Dominicus cunctis erat amabilis, & adiuncta ſanctitate & modeſtia venerabilis. Sed diabolus qui malitia ſua deordinare cuncta ſolet, & in malum dirigere finem, hac pulchritudine modeſta, quæ cæteros

teros ad deuotionem rapiebat, ad decipiendam quandam iuuenem nobiliſſimam vtitur, vt ipſa decepta decipere tentaret Dominicum, & in perditionem cum ipſa perducere.

Nobilis quædam, ſed laſciua puella Carmelitanam frequentabat Eccleſiam, vt Sacroſancto Miſſæ ſacrificio & Diuinis aſſiſteret officiis. Cum Dominicum altari miniſtrantem vidit, eius ſtatim pulchritudine rapitur, laſciuè deperit, & ad eius fruitionem aſpirat. Vt hæc impudica pudicè tractemus, multas omittimus circunſtantias, quæ Dominici victoriam illuſtriorem redderent, ac triumphum celebriorem.

Qua via, quo medio ad finem intentum perueniat amore laſciuo feruida iuuenis, ignorat: Quid agat, quò ſe vertat, neſcit: ſi ſe Dominico prodat, repulſam tîmet; diffidit verbis, & vt cæcus eſt amor, eam ad inuerecundam ac præcipitem inducit reſolutionem, rapere violenter decernit quem ſuauiter trahere deſperat. Vt tam temerarium decretum exequutioni poſſit mandari, ſe iudicat externis indigere ſubſidiis.

Nutricem ſe cuſtodientem ſibique miniſtrantem habebat hæc puella, ſine cuius arbitrio ſimul & auxilio ſciebat rem fieri non poſſe: flammas amoris impudici erga Dominicum aperit, & impotens ſui rogat ipſum, imò poſtmodum ſub minis imperat vt ſibi ſuccurrat, ſecretum præcipit, & promiſſis ad imperium exequendum animat, & quàm citiùs fieri poterit.

Obedit nutrix perdita, tres aut quatuòr perditiſſimos homines conducit, raptus decreti futuros exequutores. Tunc ipſa tempus opportunum, & locum commodum facinoris perpetrandi inquirit, vtrumque congruum captat oblatum. Pro tempore opportuno ſabbathum eligitur, poſt cantatam Beatiſſimæ Virgini Deiparæ Antiphonam. *Salue Regina*, vt moris eſt apud Carmelitas, ingruente ſiquidem nocte lux recedebat, & qui malè operatur odit & fugit lucem. Pro lòco autem commodo non maior Eccleſiæ porta,

ſed poſticum eius reconditum : Tunc recedentibus ad ſuas cellas cæteris religioſis , illuc Dominicus verbis pacificis, ſed doloſis vocatur ; dicitur illi neceſſarium eius acceſſum pro ſalute cuiuſdam animæ ; hoc pietatis prætextu facilè coniicitur in rete. Vt ad locum peruenit, cadit in raptorum inſidias, nullum videt qui ſuccurrere poſſit , & fortè minis violentæ mortis clamare prohibetur.

Capitur ergo doloſè, citò rapitur violenter, & ſtatim ad magnificam & ſumptuoſam domum deducitur, aut potiùs defertur. Vix aliquid mali hactenus ſuſpicatur , euentum ſui raptus Deo commendat. Vt ad domum appellitur,ad interius cubiculum aulæis aliiſque pretioſis vtenſilibus ornatum rapitur,vbi tunc ſe primò deceptum percipit & deplorat. Ibi ianuis clauſis relinquitur amori vel furori potiùs temerariæ illius & laſciuæ iuuenis , quæ amoris impotens irruit in pudicum religioſum ; oculis , complexibus , aliiſque geſtibus impudicitiæ (vt cætera huiuſmodi turpia & inuerecunda generalibus verbis aperiam) ad aſſenſum ſuæ libidinis allicit ; nihil inauſum , nihil intentatum relinquit, vt ipſum ſuperet : Dum repulſam ſentit , nunc gemit vt columba, nunc rugit vt leæna , nunc furit vt tigris.

Manet immobilis pudicus Dominicus , & ſe in tam periculoſa caſtitatis pugna conſtitutum videns , ne vincatur aut periclitetur , ad puriſſimam Virginem caſtorum protectricem ſuis precibus recurrit , agonem ſuum illi commendat, & honeſtatis zelo munitus theſaurum caſtitatis defendit , & illam accedentem fortiter repellit.

Nec ſemel & iterum repulſam paſſa deſiſtit laſciuè amans, & præ amore , vehementi amens puella : inter ſpem & deſperationem ad vltimum impudicitiæ deuenit , veſtes abiicit, ſe nudam Dominico proponit : qui cum alia non poſſet via tam infame ſpectaculum vitare , claudit oculos virgineos horrori libidinis, illam duris excipit verbis , Diuini iudicij timore furibundam & inſanientem frænare tentat,& alia dicit & facit quæ pietas & zelus inſpirarunt.

Læſus amor laſciuiæ iuuenis vertitur in furorem: minatur dicens, ſe alios occidiſſe, qui ſuæ voluptati ſatisfacere noluerunt: cumque nec minis proficeret, arripit pugionem, quo perfodiat & perimat Innocentē martyrio præparatum; & ſine dubio velut agnum manſuetiſſimum peremiſſet; niſi ſuccurrens Cameraria, quæ non procul aberat & cuncta audiebat, pugionem de manu dominæ inſanientis arripuiſſet ipſamque furentem ſedaſſet. Simili fuit occaſione trucidatus in Hiſpania à muliere impudica quidam ex noſtris religioſis.

Sedato tantillum amoris & furoris motu, redit ad ſeipſam illa iuuenis, & tunc maximè iuſtis Dominici precibus cœleſti luce perfunditur, prædicatas veritates percipit, deformitatem impudicitiæ ſacrilegæ erubeſcit, ad pedes ſancti iuuenis deuoluitur, emendationem vitæ promittit, & ſe futuram impoſterum Magdalenam alteram pollicetur, ſeque pœnitentia & exemplo toto vitæ tempore talem exhibuit.

Si nunc oratorem, & non ſimplicem hiſtoriographum agerem, hanç caſtitatis victoriam, hunc celebrem Dominici triumphum aliorum comparatione ſanctorum, qui ſimiliter in hac materia triumpharunt, extollere poſſem. Sed ſincera & ſimplex hiſtoriæ narratio, cum adiuncto violentæ mortis periculo, pluſquam ſatis illum extollit, cum amori blando ſimul & furioſo, ac euidenti præſentis mortis periculo reſtiterit; & conſequenter in medio non arſerit igne, & in vmbra mortis mortem non timuerit.

CAPVT IV.

Dominicus Cæſarauguſta mittitur Valentiam.

MAgis ac magis quotidie creſcebat Dominicus meritis & virtutibus apud Deum, creſcebat & opinione ſanctitatis apud homines, propterea multi velut ſancto ei ap-

 plaudebant.

plaudebant. Vt erat humilis Dominicus, rectus ac timens Deum, popularem voluit applauſum fugere, vt ſic omne vitaret periculum ſuperbiæ: Et quia hoc Cæſar-Auguſtæ non poterat, quia nimis erat ibi cognitus, diſceſſum inde meditatur, ex licentia tamen ſuperiorum, vt ad ſolitarium aliquem conuentum ſe transferat, vbi ſoli Deo & ſibi vacare poſſit.

Suum Patri ſpirituali communicat intentum, ex cuius ore tanquam ex oraculo Diuino vt verus obediens pendebat. Decretum approbat confeſſarius, & primò conuentum Vnda, quem aliter nominant de Spe ſolitarium & obſeruantia regulari florentem indicat eligendum, qui conuentus eſt in regno Valentiæ: ſed poſtea non ſine Diuina inſpiratione ſuadet, vt ad ipſum Valentiæ conuentum ſe transferat, vt magis Deo ſeruire, & proximo valeat prodeſſe.

Habito Patris ſpiritualis conſilio, mentem ſuam Dominicus Patri Prouinciali manifeſtat, eius tamen voluntati ſuam omninò reſignat. Prouincialis, qui tunc erat P. Ioannes de Heredia, penſatis omnibus, & credens hanc Dominici mutationem futuram ad maiorem Dei gloriam, & conuentus Valentini ædificationem ac vtilitatem propter ſanctitatem Dominici, libenter conſentit, ac litteras patentes mittit. Hæc Prouincialis conceſſio non omnibus placuit; quidam enim cum fundamento dicebant, magnum conuentui Cæſarauguſtano nocumentum ex abſentia Dominici futurum; & particulares religioſi querebantur ſe tot bonis exemplis & ſolatio chariſſimi ſui Dominici carituros.

Itineri ſe præparat Dominicus, religioſis omnibus ſigillatim valedicit, veniam poſcit ſuorum defectuum, emendationem vitæ promittit. Modus iter agendi fuit in curru onerario, ſatis humilis & valde communis in illis partibus, vt ipſe probaui: Currus eſt duarum ſolummodo rotarum, rudi panno tectus, & mulis tractus; oneratur prius mercibus, deinde ſupra merces ſedere ſolent viatores.

Die determinata currum conſcendit Dominicus, alios

habens

habens itineris ſocios, religioſos & ſæculares, homines & mulieres: Religioſi erant quatuor Patres Dominicani, & quidam alius: In alio curru proximo (tunc enim plures ſimul Valentiam concurrebant) erat mulier ſecum ducens quaſdam adoleſcentulas melioris ingenij quàm famæ, quæ ſimul cum aurigis audacia ſua, imò & impudentia Dominicum vexauerunt toto illo tractu qui ſeptem vel octo diebus percurritur.

Primò facetiis, deinde procacibus etiam verbis innocentem Dominicum aggrediuntur, corruptæ namque mulieris impudentia tentat & audet omnia: cóque aurigarũ inſolentia deuenerat, vt apud hoſpites procurarent in eodem cubiculo pro Dominico & pro mulierculis illis lecti diſponerentur: Conqueritur Dominicus, conqueruntur etiam prædicti religioſi ac honeſti ſæculares, ſed inexorabiles & obſtinati ſunt hoſpites ab aurigis præuenti, quibus ſatisfacere ſtudent, cum ex eorum amicitia hoſpitiorum frequentatio & lucrũ dependeat.

Continuatur hæc impudens aurigarum perſecutio contra Dominicum mediis illis mulierculis, quarum laſciuia & petulantia diſſoluebantur: ſuum aurigam orabat Dominicus vt deſiſteret, arguebant illum Patres Dominicani; imò quidam ſæculares in alio curru vecti minabantur, ni à vexatione & ſtultitia ceſſaret: excandeſcit ille, & minis offenſus conſiderat Dominicum velut factæ ſibi iniuriæ authorem, & vindictam in illum meditatur. Venitur ad hoſpitium, dumque rixæ ſæuiunt inter aurigam contemnentem religioſos, & inter ſæculares inſolentiam eius punire volentes, ipſius incuria vel malitia currus euertitur, excutiuntur Dominicani, Dominicus opprimitur arcæ ſuper eum cadentis & currus ipſius pondere. Locus erat ſordidus, Dominicum periiſſe dicebant: ſuccurrunt aliqui, quidam fuſtibus inſolentem percutiunt aurigam. Sed miraculoſo ſucceſſu incolumis omninò ac illæſus ſurgit Dominicus, qui mortuus & attritus credebatur, & pro auriga ſuo perſecu-

tore

tore apud punientes intercedit, ne vlteriùs plecteretur.

Tandem Valentiam peruenit, vbi à ſuo ſuperiore cæteriſque religioſis, qui multa de virtutibus & miraculis eius audierant, humaniſſimè recipitur. Cum ſe talem Dominicus exhiberet in perfectionis exercitio, qualem fama prædicabat, Prior conuentus Valentini deſtinat ipſum obſequio ſacriſtiæ, vt ſua modeſtià tam domeſticos quàm externos Sacerdotes (multi namque deuotionis cauſa Carmelitanam ibi Eccleſiam frequentant) & denique omnes accedentes ædificaret.

Libenter excipit Dominicus impoſitum ſibi onus, vt verus obediens: cum maxima ſollicitudine curam omnium agit, munditiem in ornamentis & ſacra ſupellectili procurat, ſacerdotibus vt Chriſti miniſtris imò vt ipſi Chriſto humiliter obſequitur. Et quamuis exteriùs videretur admodum occupatus, quia tamen omnia tunc occurrentia in Diuina præſentia ſolebat exequi,erat interiùs maximè liber: Vnde & Deo & ſibi vacabat.

Poſt prandium, cum ſacriſtiæ miniſterium ceſſabat, ſtudio humanarum litterarum ex obedientia incumbebat: ſed quia & pura intentione, & collecta in Deum mente ſtudebat, Dei benedictione plurimùm in ſtudio proficiebat.Tota penè nocte vacabat orationi, paucis enim horis ſomno indulgebat, iuxta conſuetudinem ab incunabulis ferè ſtabilitam, & tunc quietus Diuinis fauoribus, ac cœleſtium ſpirituum communicationibus fruebatur.

Non deſtitit tamen ab eius perſecutione diabolus in cujus perniciem iurauerat: Vnde nunc horribilia formabat phantaſmata, quibus illum terreret; nunc perſonas, quæ contra caſtitatem ipſum vexauerant repræſentabat, vt inquietaret, ſed priora ſigno crucis diſſipabat; de poſterioribus adhibita oratione continua, & rigida corporis mortificatione triumphabat. Hæc iam ſuperius in aliis occaſionibus propoſita breuiter percurrimus, vt ad noua & maiora procedamus.

CAPVT

CAPVT V.

Plures liberat Dominicus à dæmonum poteſtate ac poſſeſſione.

VBique Dominus manifeſtat Dominicum, quem non ſolùm ad propriam ſanctitatem, ſed etiam ad multorum vtilitatem elegerat. Et quia adhuc puello magnum ſupra dæmones imperium conceſſerat, vt dictum eſt, ipſo medio voluit infernum turbare, dæmones ipſos vexare, miſeros homines ab eorum poteſtate ac poſſeſſione liberando, non tantùm quantùm ad animam, verùm etiam quantùm ad corpora: quod toto vitæ tempore ipſi ſucceſſiſſe in propriis occaſionibus dicemus. Nunc occurrentes euentus ſingulares deſcribamus.

Sub illud tempus erat Valentiæ Venerabilis Pater, nunc Beatus Nicolaus Factor, vir eximiæ ſanctitatis, ſublimiſſimæ contemplationis,& tam feruidæ in Deum charitatis,vt audito Ieſu nomine, & ad illa verba Surſum corda, ſtatim raperetur in ecſtaſim; imò coactus eſt aliquando præ feruore charitatis, quo æſtuabat, in frigidum ſe ſtagnum immittere, vt feruorem nimium temperaret; ſed ipſe non frigeſcit in medio aquæ frigidæ,quin potius ipſam calefacit, feruere & æſtuare facit. Hic vir eximius erat Ordinis ſancti Franciſci, ipſumque Valentiæ ad animarum ſolatium, & ad miſerorum refugium poſuerat Dominus: Et tunc iam ætate prouectum voluit iuueni Dominico conciliare, cum ſpiritus ipſius futurum hæredem Dominicum decreuiſſet.

Ad Nicolaum Factorem adducitur die quadam energumenus qui ſe dæmoni per chirographum proprio ſanguine ſcriptum tradiderat, cum expreſſa renuntiatione ſui baptiſmatis, Dei ipſius, Deiparæ Virginis Mariæ, ſanctorum omnium, ac cœleſtis gloriæ. Illum benignè Factor excipit, genuflexus pro eius libertate ac ſalute Deum exorat: ſed in-

terna

terna reuelatione jubetur ad Carmelitanum ire conuentum, vt ſecum adducat Dominicum in choro tunc orantem, cujus precibus miſerum hominem illum volebat Deus fœlicem reddere.

Dum Factor inſiſtit orationi, Dæmon poſſeſſor energumenum eleuat in aëra, Chirographum eius aſtantibus cunctis oſtendit, & phantaſtico riſu priùs; Deinde quodam horrore fremens hæc altè profert, Homo iſte noſter eſt, illum emimus, ecce teſſeram emptionis, & legitimæ poſſeſſionis Chirographum: Deus eſt judex juſtus, dabit vnicuique quod ſuum eſt: Franciſcanum non timeo, ſed illum horreo Carmelitam hoſtem inferni, qui miſſus eſt Valentiam vt vexaret tartara, qui nunc etiam orando in choro ſui conuentus me nimium torquet.

Dum inſoleſcit Diabolus, ſurgit ab oratione Factor, & ad Carmelum feſtinat: Conuentum ingreſſus poſtulat Dominicum aduocari: Reſpondet Ianitor, nullum eſſe in conuentu religioſum qui vocetur hoc nomine; nuper enim venerat Dominicus, & Frater Ruzzola vulgo dicebatur. Inſtat Factor, & affirmat eſſe in conuentu juniorem quendam fratrem nomine Dominicum, eumque tunc in choro contemplari, quò ſe poſtulat deduci: illuc igitur deducitur, & Dominicum orantem ibi reperiens vlnis charitatis amplectitur, & ſic alloquitur, Fili venias mecum, vult enim Deus vt quendam hominem à Dæmone poſſeſſum liberes; & pallio ſeu cappa trahens volebat ſecum ad miſerum illum ducere: Confuſus his verbis Dominicus reſpondit hujuſmodi prodigia à P. Nicolao Factore, & non à ſe miſero peccatore fore præſtanda: Vnde reſiſtebat humiliter. Cum feruidus eſſet ſeruus Dei Nicolaus, impatiens moræ ad obedientiam recurrit, & Priorem conuentus ſtatim conueniens ab eo petiit & ſimul obtinuit vt ſibi Dominicus obedire teneatur.

Intimato ſibi ſuperioris mandato, nihil amplius loquitur, nihil interrogat, vt verus obediens illicò ſurgit, & præeuntem

euntem ſequitur Factorem; & ambo perueniunt ad locum, vbi miſer ille torquebatur, & congregatus expectabat populus. Præcipit Nicolaus Dominico, vt vtatur exorciſmis Eccleſiæ contra Dæmonem: Vt debitè exequatur, præmittit orationem qua ſe Deo in re tam graui, ac ſimul miſerum hominem Diuinæ miſericordiæ commendat: Tunc ſupernaturali luce perfuſus didicit modum procedendi.

Præcipit igitur Dominicus energumeno cor ſuum ad Dominum eleuare, commiſſum errorem & peccatum deteſtari cum emendationis propoſito. Ad hoc Dominici præceptum eludendum cœpit Dæmon fremere, corpus miſeri velut pilam per aëra mouere cum multo ſtrepitu Chirographum oſtendit, juſtitiam poſtulat & ad Diuinum tribunal de ſuo jure appellat: Proditorem vocat tam Dominicum quam energumenum; Dominicum quidem, quòd hanc animam juſto titulo ſuam vult è ſuis manibus eripere, cauſæ fauens iniquæ vel etiam deſperatæ; Energumenum autem, quia juſtum reſcindebat ſine cauſa contractum. Sed hæc non curat Dominicus, & cœleſtem ſequutus inſtructionem cum Spiritu terribili Dæmonem aggreditur, & fide plenus ait: In nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti præcipio tibi, vt Chirographum hoc in meas manus conſignes, & ab hac Dei creatura fugias. Res mira, virtute Diuina coactus obedit ſtatim Diabolus, ſcripturam in manus Dominici conſignat, & fugiens miſerum hominem liberum relinquit.

Poſtea Dominicus homini liberato ſuadet, vt Deo ſummas agat gratias pro ſua libertate, & ſe ad generalem confeſſionem diſponat: Vtrumque promittit exequi, & inſuper Dominico liberatori ſuo quas tunc potuit gratias egit.

Stupuere circunſtantes, tantuſque fuit ad Dominicum populi concurſus, vt penè fuerit ſuffocatus. Hoc tamen mirabile prodigium magnam totius ciuitatis venerationem, & Factoris ſingularem amicitiam conciliauit, quæ poſtmodum vſque ad mortem perdurauit: ſolebat enim Factor

ſæpè

ſæpè Dominicum vt ſanctum viſitare, ſeque precibus eius in rebus magni momenti commendare.

Cum Dominicus è præcedenti prodigio tam euidenti ſanctitatis opinionem acquiſiiſſet, multi ſuis in neceſſitatibus ad eum concurrebant, & præſertim à Dæmonum obſidione vexati, cum facta jam experientia ipſum tam potentem in Dæmones agnouiſſent: multos tunc curauit infirmos, multos obſeſſos aut poſſeſſos liberauit. Sed quia longum, & lectori foret ingratum omnes, vel etiam plures caſus adducere, ſingulares tantùm duos hic proponam, vnum in viri, alterum in mulieris liberatione.

Erat ſub id tempus quidam homo poſſeſſus à Dæmone, tam audaci & impudente, quòd vt ſe liberaret ab exorciſmis Eccleſiæ, tam exorciſtarum quàm circunſtantium grauiſſima & occultiſſima peccata reuelabat: Vnde vix inueniebatur, qui vellet exorciſmos facere, vel facienti aſſiſtere. Deo tamen diſponente quadam die contigit, quòd Dæmon inſultare volens exorciſtæ, vel imprudenter vel coactè dixerit: non te curo, nec quicquam æſtimo; Et interrogatus quem timeret, ſubdit; ſed timeo ne incidam in manus Carmelitæ; meus eſt ille potentiſſimus hoſtis, contra quem multa molior, ſed fruſtra, cum tamen ille nihil incipiat fruſtra. His auditis, cum Sacerdos exorciſta & adſtantes ſub nomine potentiſſimi hoſtis Dominicum noſtrum intellexiſſent, ſtatim ad Carmelitarum conuentum properant, & prædictis P. Priori enarratis. Dominicum ad hoc opus charitatis obtinent, & ad obſeſſum conducunt. Aduentum eius præſentiebat Dæmon, & dentium ſtridore ac horribili rugitu manifeſtabat; ſe fugandum, ſed injuſtè, ab illo juuene fatebatur, & extrema minitando ad eius perniciem jurabat. Venit tandem Dominicus, & cum energumenum ad eliciendos actus Fidei, Spei & Charitatis priùs induxiſſet, principem Dæmonem cum legionibus ipſum comitantibus in nomine Domini ſtatim ſigno crucis fugauit, Crucifixum enim præ manibus geſtabat.

Succeſſit

Succeſſit etiam, quòd quædam puella honeſtis parentibus nata cæco teſtudine ludenti deſponſaretur: ante conſummationem matrimonij Dæmon ſub ſpecie juuenis pulcherrimi puellæ item ſpecioſæ apparuit; ſortem eius in tam infœlici matrimonio deplorat, & condolens ac mira promittens, ſeipſum offert in ſponſum: conſentit miſera tot tantiſque promiſſis decepta; Verùm proditor Dæmon & mendax ſic eam affligit, vt miſera tyrannicum Dæmonis imperium in facie demonſtraret. Cognati & amici procurant eam exorciſmis liberari; ſed parum proficiunt, quia Dæmon incubus, quaſi foret maritus, nimio zelo cuſtodit: Tunc ad Dominicum recurrunt, qui Prioris mandato ad illam veniens reperit alligatam ſedi, ne ab obſidente raperetur Dæmone, & in aëra tolleretur contra multorum reſiſtentium impetum. Diſcit Dominicus obſidionis cauſam & circunſtantias, præmiſſa oratione crucem aſſumit, potentiſſimum obſeſſorem aggreditur, & in nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti præcipit vt exeat, illamque penitùs relinquat; Dictum, factum: ſtatim vel inuitus obedit. Dominicus liberam juuenem ſolatur, & inſtruit; ad lachrymas & pœnitentiam hortatur, fortè rediturum dicit Dæmonem, ſed monet non eſſe timendum, ſuumque tradit ipſi roſarium, vt collo appendat & contra Dæmonem vtatur.

CAPVT VI.

Fit Dominicus Sacriſta, & multa ei mira ſuccedunt.

DOminicum vidimus ſacriſtiæ miniſterio deputatum ſub titulo adjuuantis aut minoris ſacriſtæ, nunc videbimus eum ad officium majoris ſacriſtæ ſublimatum; quod hactenus in tam celebri conuentu non niſi alicui ſeni ac venerabili patri fuerat commiſſum. Sed Prior tam ſanctum & prudentem multis experimentis nouerat Dominicum, vt huic officio valde idoneum & præ aliis ſenioribus aptio-

rem judicauerit; quem prudentia mirabili, licet non ætate, ſenem videbat. Humiliter reſiſtit Dominicus, inſtat quantum obedientia permittit, vt ſub alio rebus ſacris miniſtrare poſſit; non enim laborem, ſed honorem fugiebat, ſed cogitur acceptare.

Officio major effectus erat perſeuerans minimus humilitate, cunctis ſeruiebat, Miſſæ ſacrificio cum maxima ſubmiſſione miniſtrabat, vilia quæuis exequabatur. Et quamvis largæ ſuppeterent eleemoſynæ, nihil mutauit in his quæ ſui prædeceſſores fecerant. Elegit ſibi cubiculum humile proximum ſacriſtiæ, quaſi ſolitarium ac ſanctiſſimo Sacramento vicinum.

In hac manſione conſtitutus ſolita pietatis & mortificationis exercitia majore cum feruore continuabat, cui cooperabatur cuſtos Angelus, quem ſuum vocabat excitatorem; nam cum tanto rigore in vigiliis exercuit, vt nunquam per integrum quadrantem dormire permiſerit, ipſumque continuè ad orationem & ad laudandum Dominum ſollicitabat: nec Dominicus toto triginta annorum ſpatio amplius quàm per duas horas cum dimidia jacebat in duro lectulo ſic dormitando, & ſtatim ab Angelo ad ſurgendum excitabatur: quod tamen naturaliter exequi non poterat, cum tota die in miniſterio ſacriſtiæ laboraret, & noctu laſſus & labore fractus ad cellam recederet; non enim ipſe ſubordinatos habebat miniſtros, vt alij habuerant, qui laborem diuiderent, ſolus ipſe pro omnibus laborabat.

Non poterat Dæmon tam raram in juuene Dominico videre ſanctitatem & tacere, bellum renouat, perſecutionem accendit, horribiles monſtrorum figuras objicit, & vlulatus terribiles edit, quibus Dominicum terreat aut inquietet. Aliàs cellæ januam fortiter percutit, ſed illo veniente cum ſigno crucis illico fugit. Sed aliquando ſic permittente Deo ad exercitium patientiæ ac meritorum incrementum, majora Dæmon contra Dominicum moliebatur, & in corpore vexabat.

Contigit

Contigit quadam nocte, vt dormiente Dominico cellæ tectum Dæmon auferret, vt ſic frigore & pluuia rigeret. Alia nocte dum ad matutinas laudes in chorum ſurrecturus eſſet, muto cellam obduxit, vt huc illucque curreret & portam inuenire non poſſet: ſed Diuinum implorans Dominicus auxilium, ab hujuſmodi vexationibus & illuſionibus liberabatur.

Pro lecto thecam ſeu arcam veterem & amplam in edito loco poſitam elegerat, ad quam dormiturus aſcendebat: accidit arte Dæmonis, vt ſurgens inde laberetur, ac pede intercepto in aſſere ſuperiori multis horis capite deorſum penderet; vbi plurimum paſſus eſt, tum intercepto pede in rudibus lignis, tum capite vexato à defluente ſanguine: nec potuit inde liberari, donec ab alio fratre repertus & adjutus potuit deſcendere.

Mutat Dominicus lectum, ſed non aſſumit commodiorem: Inuenit in quodam angulo domus cancellos veteres ferreos, qui feneſtræ deſeruierant, illos eligit pro lecto, ad ſuam cellam non ſine labore tranſportat, in illis ſuperpoſita lodice potiùs torquetur quàm quieſcat, cum eorum nodis jacentia membra lædantur: ſed hæc parua videbantur illi S. Laurentium in craticula contemplanti, & ad eius imitationem martyrium deſideranti.

Per medium eius cubiculum trabs protenſa totum eius tectum cum collateralibus parietibus ſuſtinebat: hanc quadam nocte Dæmon magno confregit fragore, vt tectum rueret in dormientem; ſed excitatus Dominicus, & authorem ruinæ agnoſcens contemnit periculum, nec priùs ſurgit quàm aliàs ſurgere ſolebat, de Domini bonitate præſumens, cujus miraculoſa protectione mortem à Dæmone intentatam euaſit. Mane miraculum apparuit, nam pendentes in aëre trabis fractæ partes totam lignorum machinam & tectum ſuperpoſitum multis horis ſuſtinuerunt, donec aliam trabem vocati fabri ſuppoſuerunt.

Dum officio diligentis ſacriſtæ Dominicus ſatisfacit in

emungenda Eccleſiæ lampade, patientiam eius Dæmon experitur, nam ſæpiùs in altum eleuat: quòd ſi gradus ſupponat, illam altius euehit, vt ſic eluſus deſiſtat, aut motu citato lampas extinguatur.

Quadam nocte accidit, vt Dominicus contemplationi Diuinorum vacans Completorium officij obliuiſceretur: jam pulſata erat vndecima, monetur de ſua obliuione ab Angelo cuſtode, & ſtatim ſurgens ab oratione de ſua pœnitet negligentia quam credebat culpabilem, ſuo monitori gratias agit, & plenus lachrymis Diuinum cœpit officium complere. Verùm quia feror erat maximus & aliqua mentis ſuſpenſio, voluit ad lampadem accedere lecturus officium, ne fortè mens ad Deum abſtracta falleretur: ſed Dæmones velut apes circa lampadem volitant, vt acceſſum ipſi prohibeant; & velut papiliones inuolant ad lucem, vt eam extinguant: Cumque neutrum iſtorum Dominicum moraretur, Dæmones magno impetu lampadem vſque ad fornicem eleuant, vt ſic eum impedirent legere. At implorando Deum Dominicus compellit Dæmones lampadem ad priſtinum locum ſubmittere, & ab Eccleſia protinus recedere; reſiſtentes tamen, & juſtitiam contra Dominicum poſtulantes, hac duplici mala intentione, & vt Dominicum inquietent ſuo rugitu, & vt ipſum ad vanitatem inducant, ſicut à ſuo Angelo cuſtode didicit.

Quamvis autem tunc & aliis vicibus ſigno crucis ad imperium Dominici Dæmones fugerint: non tamen eos ſemper fugere imperauit; imò quadam nocte cum vellet vti luce lampadis ad exercitium pietatis, Dæmones ipſum impedire volentes ac furore perciti lampadem ipſam maximo impetu in terram projiciunt, & in minutiſſimas partes confringunt. Tunc ſine dubio libenter Dæmones receſſiſſent, ſed ſtare compelluntur: imperat eis Dominicus, vt vitri pulueres & argenti particulas toto pauimento diſperſas ſtatim colligant, aptè connectant, & tam benè conſolident, vt nec rimula, nec apparentia fractionis remaneat, quod promptè coacti efficiunt.

Amaras Dæmonum perſecutiones contra Dominicum, dulcorabat Dominus cœleſtium communicationum ſuauitate, & Diuinis fauoribus compenſabat. Ex tunc enim Sacra Redemptionis noſtræ myſteria viuis repræſentationibus illi contemplanda proponebat, quod etiam reliquo vitæ decurſu conceſſum eſt. Vidit aliquando Chriſti Natiuitatem, ipſum pannis inuolutum, & in præſepio inter animalia reclinatum; Vidit Beatiſſimam Virginem eius matrem genibus flexis adorantem,& recenter nato dicentem; Benè veneris Deus meus, Dominus meus, & Filius meus: Vidit S. Ioſeph aſſiſtentem, & in omnibus obſequentem: Vidit Paſtores accurrentes & ſalutantes. Vidit alias totam Dominicæ Paſſionis hiſtoriam ſibi diuinitùs exhibitam; Aſpiciebat in ecſtaſi modo Chriſtum apud ſacerdotes & Principes deſpectum modo per vicos ciuitatis currentem,modo flagellatum, modo ſpinis coronatum, modo crucem ſibi ferentem, modo in monte Caluario crucifixum inter latrones morientem: Aſpiciebat aliquando Sanctiſſimam Virginem, S. Ioannem Euangeliſtam, & Magdalenam pœnitentem cruci aſtantes, cum iiſdem veſtibus quibus tempore paſſionis induebantur; ab ipſis vt à teſtibus oculatis addiſcebat, quanta pro nobis paſſus fuiſſet Dominus: ſingulas ſalutabat,& conſolari voluiſſet;ſed videbat Mariam Dei matrem etſi mœſtiſſimam, in Domino tamen firmatam; & ſimili modo videbat Ioannem Mariæ ſimilem exhortatione non indigere: Vnde ſolam alloquitur, ſalutat & conſolatur Mariam Magdalenam lachrymis perfuſam dicens; Aue Maria Magdalena, gratia Chriſti plena, Dominus te dilexit multum, benedicta tu in pœnitentibus, & benedictus dilectus tuus Ieſus: Sancta Maria Magdalena ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ Amen. Non dubium, quin Maria Magdalena benignis verbis Dominicum reſalutaret.

Quia Dæmon prædictos fauores Diuinos ex effectibus colligebat, ardens inuidia Dominici ruinam de nouo me-

ditatur: Aliquando pulcherrimarum mulierum quas viderat imaginationem immittebat, ſpecies earum excitando: Aliquando Dæmon ſub efformata illarum ſpecie Dominicum in Eccleſia conueniebat; ſed locus & tempus, ſicut & horror concomitans ipſum prodebant: Verùm immotus in amore ac timore Dei fuit ſemper Dominicus. Efficaciora tandem, quia vera & non phantaſtica, adhibet mèdia Dæmon ad perdendum Dominicum: Erat nobilis & diues Matrona Valentiæ è regione conuentus Carmelitani habitans, quatuor habens filias valde ſpecioſas; hæc cum Dominicum vt ſanctum veneraretur, ſolebat ſuas filias ad ipſum ducere, vel etiam mittere monitis ſalutaribus inſtruendas; Dæmon juniorem decipit vt Dominicum perdat, ipſam inflammat amore Dominici, eóque dementiæ ac audaciæ impulit, vt ſuam Dominico concupiſcentiam manifeſtaret: ſed Dominicus timore Dei firmatus hanc tentationem deſpexit, & ſua prudentia conſulens illius honori, ac ſimul deferens matri & ſororum pietati, ipſam ad meliorem frugem reduxit, ac perfectè de Dæmonis artibus triumphauit.

CAPVT VII.

Dum mittitur Dominicus ad ſacros ordines, miros habet ſucceſſus.

IAm Dominicus vigeſimum ſecundum ætatis annum attigerat, cum ad ſacros ordines ſuſcipiendos à ſuo mittitur ſuperiore. Priùs velut inuitus ex obedientia quatuor minores ordines cum prima tonſura ſuſceperat, libentiùs enim humilitatis affectu in ſtatu laïcorum vixiſſet; & in clericali gradu cum eodem humilitatis affectu perſeuerabat: Cum Deus volens ipſum ampliùs mundo manifeſtare, & altiùs ad plurium animarum ſalutem eleuare, mouet ſuperiores vt ipſum

ipſum ad ſacros ordines, etſi renitentem cum ſolita reſignatione, promouerent.

Quia tunc Valentiæ non celebrabantur ordines, cum Patris Prouincialis patentibus ad ſuſcipiendum Subdiaconatum Dertuſam 24. leucis Valentia diſtantem mittitur. Toto illo itinere continuum ſanctitatis exemplum & ſociis, & aliis cum quibus agebat exhibuit: longum eſſet cuncta virtutis exercitia ipſi ſolita deſcribere; ſufficit dicere, quòd cum Domino ſemper ambulabat, in aſſiduo mentis receſſu & perpetuo penè ſilentio perſeuerabat.

Cum plurimùm debilis ex nimia mortificatione jam eſſet, ſui Prioris juſſu & cujuſdam amici prouidentia pro conficiendo itinere mulum admittit: quo tamen non ſemper vtitur, ſed ſola neceſſitate compulſus, ordinariè enim tunc pedes inceſſit. Contigit dum mulo vtitur, quòd interiùs nimis occupatus cum Domino, incautè dirigit illum, vel quòd Dæmon Dominico inſidiatus in præcipitium pellit: quod aduertens ſeruus Chriſti in nomine Domini Ieſu prolato mulum ſiſtit, & ad tutum reducit locum.

Incidit aliàs in latrones, qui cum ſint immiſericordes, jubent ei veſtes religioſas deponere: ſed Deum inuocans in hoc periculo conſtitutus miſericordiam apud eos reperit, & pia vrbanitate ſic eorum cor emolliuit, vt illæſus omninò fuerit dimiſſus.

Dertuſam peruenit: Et cum jam fama & nomine foret ibi natus, examinatores tum curioſitate, tum deuotione moti Theologicas ei difficultates propoſuerunt; Theologiæ non ſtuduerat Dominicus, ſed ſe reſpondere obligatum credens, cor ad Deum erigit, & auxilium petit, à quo cœleſti luce perfuſus tam adæquatè & clarè propoſitis difficultatibus ſatisfecit, rationibus & authoritatibus in contrarium adductis doctiſſimè reſolutis, etiam obſeruata terminorum proprietate, quòd ad percurrenda plura & altiſſima fidei myſteria proceſſerint, vt ab ipſo tanquam ab oraculo cœleſtia hujuſmodi arcana magis explicata ſuſciperent, quàm in

ſcholis vnquam didiciſſent. Vnde tam Epiſcopus quam alij examinatores hæc audientes cum admiratione & maxima ſpiritus ſatisfactione, ipſum ſcientiam habere infuſam crediderunt.

Vigeſimo tertio ætatis anno mittitur iterum ad ſuſcipiendum Diaconatum : In hoc itinere, præter adducta pietatis exercitia, nihil aliud commendandum occurrit : non enim in materia tam fertili & copioſa hæremus in ordinariis Dominici prodigiis, ſed illa prætereuntes ad noua ſemper & extraordinaria properamus ; indicando tamen, quòd Dominicus ſe videns, ad ſublimiorem gradum eleuari, ſe magis humiliabat, & coram Domino creſcebat virtute & gratia.

Tandem vigeſimo quinto ætatis anno rursùs Dertuſam mittitur, cujus Epiſcopus Dominicus Ioannes Iſquierdo jacebat infirmus. Concurrentibus igitur vndique tam religioſis quàm clericis ſacros ordines ſuſcepturis intimatum eſt Epiſcopum præ infirmitate eos conferre non poſſe : Cumque multi tali nuntio recedere, & tempeſtiuè ad aliam ciuitatem tranſmigrare cogitarent, in Domino confidens Dominicus, dixit eis ne recederent, quòd ſi ſolùm Epiſcopus propter infirmitatem detinebatur ab ordinibus conferendis, Deus in hac neceſſitate prouideret.

Duo ex Domeſticis Epiſcopi Dominicum agnouerunt, ejuſque ſanctitatem Epiſcopo jacenti manifeſtarunt. Illum præſul aduocat, vocatus Dominicus ad ſacellum priùs vadit, vbi Deum exorat, indeque ſurgens ad aulam Epiſcopi pergit, cui poſt conſueta vrbanitatis ſigna dixit cum modeſtia & grauitate conſueta : Domine veſtra Dominatio illuſtriſſima dabit mihi ſacrum presbyteratus ordinem, ad illum quippe ſuſcipiendum huc me miſit obedientia, & iſta erit vltima ordinatio quam celebrabit : Et ita ſucceſſit, nam Epiſcopus in die ordinationis optimè habuit, ipſum ſacerdotem ordinauit ; ſed elapſis aliquot diebus morbus inualuit, & breui ad meliorem vitam peruenit.

Redibat

Redibat Valentiam Dominicus cum ſociis, non longè à Dertuſa juuenem bonæ præſentiæ reperit, qui ſe comitem itineris ei junxit, & ſpecialiter adhærens intimam cum eo amicitiam contrãhere fingit. Vt veſpere venerunt ad hoſpitium, cœpit ſociis diſplicere præ audacia & peruicacis ingenij contentione, quin imò & verbis & moribus incouditis ac petulantibus omnes offendit. Dum menſæ foret aſſidendum, benedictioni eiuſ non adfuit, nec poſtea gratiarum actioni.

Poſt cœnam comitatur ſemper Dominicum, & obſequio mirabili ſecum ad cubiculum ducit; arte ſiquidem & importuna fraude cubiculum idem, imò & vnicum lectum ſibi & Dominico ab hoſpite impetrauerat, aut potiùs extorſerat. Vt illuc venit Dominicus, preces ſuas recitat, & orationi vacat, interim recedens juuenis totam domum diſcurrit, ſingulos inquietat, omnes perturbat.

Reuertitur in cubiculum fictus juuenis, & Dominicum inuenit veſtitum ſe ſupra lectum compoſuiſſe. Cœpit illi perſuadere, vt depoſitis veſtibus cubet; non aſſentitur Dominicus, dicens hoc & modeſtiæ religioſæ ac prudentiæ diſconueniens, cum hoſpitiorum lecti peregrinis omnibus communes non careant infectione. Reſponſo læſum ſe fingit juuenis, inſolenter loquitur; hinc inde recedit, huc illuc currit, per totum curſitat cubiculum, nugatur, ac jacentem Dominicum quieſcere non permittit.

Murmurans, tandem & fremens veſtes exteriores deponit, tum ſubuculam ac induſium exuit; quod magnum Dominico & timorem & horrorem incuſſit: clamaret hic ſine dubio, & inuerecundiam petulantem argueret, niſi vidiſſet eum cutem ſibi ſimul extrahere; quo ſigno confirmatur Dæmonem, non hominem eſſe. Vnde ſe Domino commendans tragœdiæ finem expectat, & ſingula curioſè contemplatur.

Videt igitur Dominicus, qualiter cute extracta & ſupra menſam depoſita horrendum apparet ſceleton, quali figura

mors ſolet depingi ; nam humanam ſumpſerat conſumpti corporis oſſaturam, quam cute ſola deſuper induerat , præter caput & manus,quibus apparentem etiam carnem aptauerat.

Proſequitur phantaſma in ſui deſtructionem. Vnum eruit ſibi oculum,deinde alterum:Tum ſingulos euellit dentes, & longo ſupra eandem menſam ordine diſponit. Tandem ſibi faciem excoriat, & ſanguinolentam pellem vſque ad ſummitatem capitis extrahit violenter.

His finitis accedit ad lectum horribile ſpectrum,inſiliens in illum ſe jungit Dominico , & eius vultui vultum applicat: Sed recedit vſque ad murum Dominicus, & ſpectrum euaneſcit ad eius orationem.Quamvis autem ex præcedentibus ſignis Dominicus collegiſſet illum eſſe Dæmonem inimicum, vt dictum eſt : vltimo tamen acceſſu ad ipſum ſubdubitare cœpit , num eſſet figura alicujus in purgatorio detenti , qui accedens ad eum auxilium poſtularet ; & ſic cor ad Deum erigens enixè precabatur , vt ſi foret ſpiritus Diuinæ capax miſericordiæ,dignaretur ipſius miſereri.

Dum mane diei ſequentis hoſpes ſingulorum iter agentium ſumptus exigit, non comparet ille juuenis , qui nocte præcedente ſingulos,etiam ipſum hoſpitem turbauerat ; diligenter inquiritur , ſed nuſquam reperitur. Hoſpes Dominicum vocat, de ſocio interrogat ; ſe neſcire vbi ſit,reſpondet Dominicus : Vrget hoſpes eum ipſo conſentiente & adjuuante fugiſſe, & vult vt pro illo ſoluat quaſi pro ſocio per ipſum adducto ; Replicat Dominicus , omnes hoſpitij januas repertas fuiſſe clauſas, ac proinde nullum hominem euaſiſſe ; & ex hoc infert poſſe colligi, quis fuerit ille inſolens juuenis : ſed hoſpes non rationes, at pecunias quærens cogit Dominicum ſoluere quæ Dæmon expenderat ; ſoluto igitur duplici pretio diſcedit , & tandem Valentiam peruenit.

CAPVT

CAPVT VIII.

Cantat Dominicus primam Miſſam, auget pœnitentias, & Diuinos recipit fauores.

POſtquam Dominicus à ſuſcepto presbyteratus ordine rediit Valentiam, ſe primæ Miſſæ celebrandæ ſumma qua poteſt credi ſollicitudine præparauit: Tanto enim tam ſublimis officij pondere premebatur, vt ſemper de ſe humiliando cogitaret. Vnde in oratione totus ſoluebatur in lachrymas, conſiderans conceſſæ ſibi miſericordiæ magnitudinem: & cum ſuſpiriis ac gemitibus Dominum exorabat, vt ſe miſerum peccatorem ad debitè exercendum hoc Angelicum munus diſponeret, quod ex obedientia ſola, ſeu ſolo ipſius præcepto ſuſceperat.

Primam deinde Miſſam deuotiſſimè cecinit, & in eius celebratione ſenſit interiùs maximum charitatis incrementum, quo pectus & cor incendebantur. Ex tunc præteritum viuendi modum, quamvis ſemper auſterum & rigoroſum, præſertim in ſtatu religioſo, quaſi nimis delicatum & penè relaxatum erubeſcebat & damnabat: Vnde cœpit nouos affligendi ſe modos excogitare; Et refert R.P. Melchior à Reſurrectione eius confeſſarius, quòd poſtquam fuit ſacerdos, nunquam eum ſine cilicio vel ferrea catena viderit. Hujuſmodi catena in noſtra religione plurimùm vſitata conſtat multis acuminibus carnem ipſam penetrantibus: quæ tamen rigidior aſſumebatur à Dominico, nam ſuper humeros tranſuerſa quinquies ipſum cingebat. Quinque continuis annis ipſam tulit, & ampliùs tale martyrium ſuſtinuiſſet, niſi P. Prioris juſſu deponere coactus fuiſſet: Tunc rigoroſa patuit eius pœnitentia, nam ſic primus & intimior catenæ circuitus carnem penetrauerat, vt ipſam accreſcentem & annulis catenæ inhærentem opus fuerit reſcindere,

ſcindere,non ſine magno dolore ac periculo,ad hoc vt inde catena extraheretur.

Fuit toto vitæ tempore plurimùm ſollicitus, vt ſe Miſſæ ſacrificio quotidie præpararet:ſed in illo principio tam feruenter huic vacabat præparationi,vt plurimas noctis horas inſumeret. Et ne ſingularis appareret diutiùs immorando in hoc ſacrificio, ſolebat per vnam horam cum dimidia Domino commendare neceſſitates illas,quæ in commemoratione tam viuorum quàm mortuorum in Miſſa commendantur; ad quam poſtea ſuo tempore relationem habens breuiter vtrumque memento expediebat,ne foret aſſiſtentibus ſua prolixitate faſtidioſus.

Cœpit Dominus ſacerdotium Dominici multis fauoribus honorare: quorum aliquos breuiter indicare ſufficiet, omnes enim adducere longum eſſet, & forſan inutile, cum multi ſimiles referantur. Contigit quadam die poſt factam conſecrationem, vt Dominicus impetu ſpiritus extra ſe raperetur, ſed breui tempore; cumque rediens ad ſe non recordaretur an conſecraſſet, & dubius vnde continuare deberet, Dominum conſulit, qui viſibiliter ipſi apparens in Hoſtia dubium ſoluit, & mirabiliter ſeruum ſuum conſolatur dicens; Amice amantiſſime hic ſum.

Vidit ſæpiùs ipſe Dominicus in Hoſtia paruulum Ieſum ſpecioſum forma præ filiis hominum: Vidit & illum in manibus Dominici pia quædam Matrona nomine Cabreriza; Viderunt & alij. Vidit etiam prædicta Matrona Spiritum ſanctum ſub ſpecie columbæ candidiſſimæ capiti Dominici celebrantis accubantem: Viderunt etiam tres eius filioli, qui ſimplicitate ætatis teneræ decepti currebant ad altare & Dominicum,vt candidiſſimam illam columbam caperent, vt dicebant.

Dum quadam die vellent aliqui de manibus Dominici celebrantis communicare, quæritur clauis tabernaculi, ſed fruſtra, non enim inuenitur: Tunc Dominicus rem Deo commendat, & oblatam caſu clauem aliam accipit,qua miraculosè

raculosè ſacrarium aperitur, & facta communione eodem miraculo clauditur, vt euidenti poſtea probatum eſt experientia; cum enim miniſter caſum aliis religioſis dixiſſet, aliqui curioſi poſt ſacrum tentant eadem claui tabernaculum aperire; ſed perperam id tentantes miraculum confirmarunt.

Alia die dum ſimiliter aliqui petunt communicare, & Dominicus ſumpta è ſacrario pixide particulam vnam eleuat, altera cadit extra pixidem versùs terram: Pater de hoc caſu mirabiliter afflictus culpam ſuam agnoſcit, & Diuinum inuocans auxilium cadentem particulam reſpicit, quæ priùs quàm ad terram perueniat, in eius oculis fit ſplendidior ſole, & miraculosè ſursùm reuerſa Dominici os ingreditur, quod tanta replet ſuauitate, vt per quindecim dies nec dormire, nec quicquam manducare potuerit, vix vnciam panis diebus ſingulis deglutiit.

Quodam mane celebrauerat Dominicus, & finita Miſſa receſſerat in oratorium gratias acturus: Cumque diutiùs oraſſet Deo vnitus, ſurgit & exiens vidit ſuum cuſtodem Angelum, & audit ſibi dicentem, Sequere me; ſed quia lentiùs ambulabat, aſſumpſit eum Angelus, & breui ſpatio tranſtulit in valetudinarium conuentus, vbi jacebat quidam religioſus agonizans, qui magis de animæ quàm corporis ſalute periclitabatur. Hic religioſus erat doctus & bonus, ſed Dæmonis arte tunc deluſus: Apparuerat ei Dæmon transfiguratus in Angelum lucis, dicit infirmo ſe miſſum à Deo vt eum ſoletur in agone, & retrahat ab errore in quo ſemper vixerat; cœpit plura contra fidem & legem Dei dogmata credenda proponere, quæ primò refutat infirmus, ſed Dæmonis ſubtilitate deceptus eis tandem aſſentitur. In hoc erat damnationis æternæ periculo infirmus, cum ad eum raptus eſt Dominicus. Conſtitutus igitur propè infirmum ſeruus Dei cum ſuo Angelo cuſtode, vidit priùs Angelum cuſtodem infirmi, cum ipſo ſuoque cuſtode Deum exorat pro infirmo; Vidit deinde Dæmonem infirmi

firmi proditorem rabie percitum, qui vim orationis ferre non valens ſtatim aufugit. Tunc Dominicus diuina & Angelica luce perfuſus tam efficaces infirmo proponit rationes ad credenda myſteria fidei diuinitùs reuelata & per Eccleſiam propoſita, quòd omninò conuictus ſuum cœpit nouiſſimum errorem lugere, & poſtea per Sacramentalem pœnitentiam expiare; ſicque plures & feruidos actus fidei cæterarumque virtutum elicuit inſtructione Dominici, & receptis Eccleſiæ Sacramentis non multò poſt obdormiuit in Domino.

CAPVT IX.

Fit Dominicus hæres ſpiritus B. P. Nicolai Factoris.

SVpra vidimus, quanto amore Venerabilis tunc, nunc Beatus Nicolaus Factor vir eximius Ordinis S. Franciſci noſtrum Dominicum in Domino proſequebatur, & quanta ipſum veneratione colebat. Hujus amoris & venerationis initium dedit ille mirabilis euentus, quo Dominicus Factori reuelatus pertinacem ab energumeno Dæmonem ejecerat.

Deinde ſancta & familiari eius conuerſatione Venerabilis ſenex tot Diuinos fauores, tantamque in juuene Dominico perfectionem aduerterat, vt mira de ipſo diceret encomia: quædam informatione facta, & pluribus viris fide dignis referentibus probata referuntur; quæ Dominicum noſtrum reddunt illuſtrem, cum fuerint viri tam ſancti, & inter Beatos ab Eccleſia decreti oracula.

Dixit aliquando Dominicum fuiſſe ſpeciali prouidentia Dei formatum, vt maxima totius Europæ negotia apud Deum oratione, & apud homines ſua prudentia expediret.

Aliquando dicebat, non poſſe cogitari rem tam infœlicem & deſperatam, nec labyrinthum tam inextricabilem, nec infortunia tam fatalia, quæ vel mutari, vel

vel extricari, vel etiam impediri non poſſint oratione Dominici.

Dicebat aliàs & frequenter, Dominicum cœlo natum,& non terris: Et à Deo fuiſſe conditum, vt plures hæreticos ſuo magiſterio & exemplo ad fidem Catholicam conuerteret. Plura ſimilia dicebat hic vir inſignis in laudem Dominici, quæ fuiſſe veras prædictiones, & non ſolas adulationes exitus eorum confirmauit.

Quatuor menſibus antequam V. P. Nicolaus Factor migraret in cœlum, Diuina didicit reuelatione fœliciſſimum obitus ſui diem, & Diuinum recipit imperium,quo ei præcipitur vt conueniat Dominicum, & ipſi cœleſte decretum intimet, fuiſſe ſcilicet electum à Deo hæredem pretioſi ſpiritus ipſius Factoris.

Inenarrabili gaudio perfuſus Factor de tam bono cœleſti nuntio,duabus horis ante auroram ſuo conuentu egreſſus ad Carmelitanum feſtinat, vt ſuum conueniat Dominicum, & communis boni nuntij participem reddat: Appulſus igitur ſic eum alloquitur; Conceſſit Deus meis lachrymis, vt poſt quatuor menſes tali die (ipſum indicat) deponam hanc peccatorum ſarcinam,& abſque corporis impedimento laudem ipſum in paradiſo. His tam fœlicibus nuntiis pro Factore relatis, ſumma fuit Dominicus lætitia perfuſus, quia verè Factorem amabat in Domino, nec pretioſam ipſius mortem triſtitiæ lachrymis, ſed lætitiæ plorare potuit: Vnde ſimul illum diem feſtiuum egerunt.

Verùm cum Factorem audiit ſequentia proferentem: Deus qui quondam Eliſæo ſpiritum Eliæ communicauit, Te ſpiritus mei conſtituit hæredem; Vt Spiritum ſanctum per Eliam & Eliſæum ad te, & per Franciſcum & me iterum ad te deriuatum poſſideas, & valeas ipſum aliis pluribus communicare: manſit attonitus,& deuoto plenus horrore penitùs obmutuit: tacitus enim conſiderabat frequentiſſimos ipſius Factoris raptus, & multa prodigia, quibus ipſum Deus illuſtrauerat; populorum applauſus, acclamationes

tiones & concurſus ei conciliauerat: Quæ omnia Dominicus vt verus humilis vitare volebat, maximè quia ſibi ſuſpecta videbat, & fortè nocitura formidabat,cum ſe parùm in virtute fundatum crederet; cum tamen ipſi Factori, vt pote perfecto, non nocuiſſent. Propterea ſe talium gratiarum incapacem profitetur, & tam aptè hunc ſuum timorem viro Dei expreſſit, ad hoc vt pro ſe Deum oraret ne ſimiles fauores exteriores commúnicaret, quòd ei promiſerit ſuam erga Dominum interceſſionem, vt dignaretur hos fauores in eo moderari, & potiùs per viam crucis ipſum deducere.

Orat Factor pro Dominico, & quod poſtulabat obtinuit: Vnde cum ad eum rediiſſet ait; Exaudita eſt Fili mi oratio tua, vult ſuam omnipotentiam Deus tuæ humilitati & prouidentiæ accommodare, ſufficit ipſi vt cum cruce ſequaris, & tibi promittit auxilium quo facilè ac delectabiliter illam portes, ecſtaſes & raptus mutabit in dolores: In diebus Feſtis ſuæ Diuinæ majeſtatis, Beatiſſimæ Virginis Mariæ,& præcipuorum ſanctorum quos ſpeciali deuotione colis, maximos patieris: In illis tibi concedet omnes illas gratias, quas in raptibus & ecſtaſibus conceſſiſſet: Dabit tibi ſpiritum Prophetiæ, impoſitione manuum ſanabis infirmos, ſuſcitabis mortuos, & veſtes tuæ tam in vita quàm poſt mortem miracula facient: Eris in orbe celeberrimus ad majorem Dei gloriam, ad vtilitatem proximi, & ad lucrandas Chriſto animas. Hæc & ſimilia dixit Factor Dominico in nomine Domini.

Licet cum humili obedientia conſenſiſſet Dominicus factæ legationi in nomine Domini,& magnam in eo ſenſiſſet animæ conſolationem,quòd multum paſſurus eſſet pro Dei amore; valde tamen ſollicitus erat, quòd tam citò vitam ſuam Domino pro aliis deuouiſſet, etſi multò ante ſignum feruidæ charitatis & compaſſionis erga proximum à Deo recepiſſet, vt conſtat ex his quæ in teneris adhuc annis fecerat: Vnde ſe totum Diuinæ voluntati commiſit, remanens

plurimùm

plurimùm conſolatus ex verbis Beati Nicolai Factoris, qui perſuaſit ipſi audacter animæ ſinus Diuinæ liberalitati aperire.

Quatuor reſiduis vitæ menſibus Factor cœptam cum Dominico fidelem amicitiam continuauit : Ipſum jam vt filium ſpiritualem, & ſui ſpiritus hæredem conſiderabat; quem Dominicus quaſi ſuum patrem & maximum ſanctum venerabatur : mutua ipſorum colloquia non niſi de rebus Diuinis ac cœleſtibus erant.

Venerabilis Nicolaus Factor ſpecialem habebat amicum Valentiæ ex Ordine S. Dominici V. P. Ludouicum Bertran ſanctitatis opinione inclytum, quem S. M. N. Thereſia volens noſtram reformationem incipere, conſuluit humiliter, & ab eo fœlicem futurum illius exitum in nomine Domini loquente didicit. Voluit ipſi ſtrictiſſimo ſanctæ amicitiæ vinculo Dominicum connectere, ſignificans ei Diuinitùs ipſum fuiſſe conſtitutum ſui ſpiritus hæredem. Tali igitur medio Ludouicus & Dominicus tam ſtrictè conjuncti ſunt, vt vix ſeparari poſſent; hanc autem mutuæ charitatis amicitiam ſic Deus approbauit, quòd continuato penè miraculo confirmauerit; cum enim non poſſent ſe inuicem corpore viſitare quoties vellent, ſe in ſpiritu viſitabant, ſibi mutuò nonnunquam apparentes & mente colloquentes.

CAPVT X.

Dominicus Regis procerumque viſitationes, & applauſum populi fugit.

TAnta erat humilitas Dominici, vt fugeret omnia quæ vanitatem ſapiunt, qualis eſt affectata cum Principibus conuerſatio: ſed quò magis illos fugiebat, eò magis ab illis quærebatur; Vnde toto vitæ decurſu coactus fuit Prin-

cipes etiam ſupremos, puta Summos Pontifices, Imperatorem, Reges, alioſque frequentare,

Sub illud tempus venerat Valentiam Philippus II. Hiſpaniarum Rex, ibi comitia generalia celebraturus, & filium Philippum III. ſuum ſucceſſorem decreturus, præſtito ex parte populorum juramento fidelitatis, Secum etiam adduxerat dilectiſſimam filiam Iſabetham Claram Eugeniam Belgij Principiſſam, quæ cum eſſet ſtudio pietatis addicta, ſolebat cum viris piis & ſanctis plurimùm conuerſari.

Cùm manens Valentiæ multa de Dominici noſtri ſanctitate publica voce didiciſſet, illum ſummopere deſiderabat videre; Et quia etiam pij Principes venerantur ſanctitatem, noluit illum ad ſe vocari, ſed voluit priùs inuiſere, Rex vt filiæ deſiderio ſatisfaceret, decreuit quadam die ad Conuentum Carmelitarum accedere, vt ibi Miſſam audiret, & poſtmodum ex occaſione Dominicum viſitaret.

Audiens Dominicus Regem in Eccleſiam venturum, ornat altaria, & cætera receptioni eius neceſſaria diſpoſuit, quantùm ad ipſum attinebant: Deinde timens & tumultum & applauſum, receſſit, & ſupra fornicem majoris capellæ inter trabes & tegulas ſe abdidit, ibique ſecretus orabat.

Finita Miſſa Rex conuentum ingreditur, adſtabat cum aliis P. Prouincialis, ſicut & P. Prior. Rex petit videre P. Dominicum, qui ſtatim quæritur, ſed non inuenitur: cumque rex inſtaret, conjiciens P. Prouincialis Dominicum ſe abdidiſſe, multos miſit religioſos qui diligenter inquirerent, & alta voce per conuentum ita clamarent, P. Dominice Ruzzola præcipit obedientia, vt ſtatim venias in Eccleſiam. Audita voce obedientiæ deſcendit illicò, & ad Regem adducitur, eumque cum filiis humili reuerentia ſalutauit: Cui ſubridens Rex ait; Et nos fugitis Frater Dominice! Nihil reſpondens Dominicus Regem & alios proceres ædificauit; cumque vna ex pediſſequis. Infantiſſæ ipſum vrgeret ad loquendum, videns Dominicus illius & aliorum

aliorum ſuperfluum apparatum dixit ; Vanitas vanitatum, & omnia vanitas : Quod Diuinum oraculum à Dominico cum ſancta libertate prolatum ceſſit ad plurium ædificationem,& ad aliquorum confuſionem. Rex præcepit ſuperioribus,vt ad Curiam ſæpe mitterent Dominicum, cum ab ipſo inuitatus Dominicus reſpondiſſet ſe facturum id omne quod ſuperiores injungerent , & ex tunc cœpit plurimùm æſtimare , ac frequentiùs diuque illum conſulere. Sed familiariùs cum eo egit Infantiſſa : nam & ſuam illi conſcientiam aperiebat, ſpiritus rationem reddebat,ipſum concionantem aliquando etiam ex improuiſo audiebat , cum maximo ſemper fructu & ſolatio animæ.

Quotidie multa circa Dominicum accidebant , quæ ipſum apud homines venerabilem reddebant : Accidit enim quadam die , dum ad perditas mulieres authoritate publica congregatas concionaretur, quòd tanto feruore ſpiritus declamaret in vitium, vt extra ſe raptus in ecſtaſim eleuaretur in aëra : quod videntes vniuerſi vehementer commoti obſtupuerunt , & vna ex illis meretricibus hoc pietatis ſpectaculo conuerſa deinceps pœnitens vixit in timore Domini.

Hæc , inquam quotidiana prodigia tantum Dominico populi applauſum conciliarunt , vt omnes poſt ipſum currerent. Vnde contigit quadam die , dum ſolemnis fieret proceſſio , quòd Dominicus illac tranſiret , & hoc audito diſſolueretur populus , & ad ipſum videndum ac venerandum curreret : quòd etiam in aliis occaſionibus dicitur contigiſſe.

Humilis erat Dominicus,& ſimiles applauſus volens fugere , plateas ciuitatis & vicos celebriores vitabat , cum negotia charitatis aut obedientiæ cogebant eum exire : nec tamen in inuiis locis latere poterat , vbique reperiebatur à populo concurrente , ac lætis acclamationibus honorabatur.

Cum ſimilia pietatis negotia Dominicum ad portum

maris adduxiſſent, ad ipſum maxima populi multitudo concurrit, vt deuotionis cauſa manus aut veſtes eius óſcularetur. Ipſe vt talem fugeret honorem,cimbam confeſtim ingreſſus nautas rogat vt ſe in altum deducant : Recedentem à littore diuerſorum piſcium copia comitatur, ſicut & redeuntem, ſuiſque circulis ac ſaltibus piſces applaudunt Dominico, & feſtiuum ipſi diem agunt ; ipſorum lætitia delectatus Dominicus ad laudandum Dominum communem omnium creatorem excitatur. Hoc piſcium applauſu manifeſtare voluit Dominus, quòd glorificantes ſe glorificat, & irrationales etiam creaturas mouet ad honorandos fideles ſeruos, qui præ humilitate humanos fugiunt honores : quia verum eſt illud Prophetæ dictum ; Nimis honorati ſunt amici tui Deus.

In principio ſimiles applauſus humani multum Dominico diſplicebant, & maximè dum particulas habitus velut reliquias pretioſas ſibi videbat abſcindi : Sed cum hæc vitare non poſſet, ſeipſum tanquam ſeruum inutilem aut viliſſimum mancipium agnoſcens, totam gloriam ad Deum referebat ; & dicebat ſe tam malum eſſe peccatorem,vt deberent populi membra corporis abſcindere,cum in ſolis veſtibus ſcindendis occuparentur.

CAPVT XI.

Patitur Dominicus moleſtias Dæmonum, & perſecutiones mulierum pro caſtitate.

IN conuentu Valentino Carmelitarum ſunt duo deuotionis monumenta : ſcilicet ſtatua quædam miraculoſa Beatiſſimæ Virginis, & miraculoſa item hoſtia conſecrata,quæ diu ſub terra latuerat in quodam campo ſepulta, nunc incorrupta manens in ſpecial ſacello Eccleſiæ magna deuotione colitur, non ſecùs ac prædicta Sanctiſſimæ Virginis ſtatua.

Quoties

Quoties aliqua vel ſpiritualis vel temporalis neceſſitas vrgebat, Dominicus ad dicta loca confidenter tanquam ad azilum confugiebat, ibique vel à Filio vel à matre ſolatium & remedium, tam contra moleſtias Dæmonum, quàm contra perſecutiones hominum & præſertim mulierum obtinebat: Tanta enim ab illis pro tuenda caſtitate paſſus eſt, vt ſingula referre longum eſſet, ſolùm aliqua magis ſpecialia ſuis locis indicabuntur.

Dæmon, vt Dominicum vexaret, & à prædicto deuotionis azilo remoueret, nunc Eccleſiæ & ſacellorum claues abſcondebat, nunc phantaſticos opponebat muros, nunc ipſum extra ſacella per vim extrahebat. Imò contigit aliquando, quòd latam fecerit foſſam, vbi conjectum Dominicum vſque ad os ſepeliuit; biquc ſeruus Dei multis horis coactus manſit; donec orationis efficacia, quam Dæmone deſpecto continuabat, eodem terram remouente liberatus eſt.

Cum Dæmon non poſſet ſe ſolo nocere Dominico, licet continuas cauſaret ipſi moleſtias; voluit alium efficaciorem nocendi modum mediis mulieribus adhibere, ſperans tandem eum amore ipſarum ad ruinam impellere, quem proprio furore nec ad timorem poterat mouere.

Iuuenis quædam & ſpecioſa mulier Dominici amore capta, nec valens ampliùs diſſimulare, eum conuenit, ac tandem præmiſſis aliis quæ poſſent ipſum emollire, ſuum amorem laſciuum manifeſtat, ſua omnia ſuamque pulchritudinem offert: miratur & terretur Dominicus, tandem virtute deſuper munitus illam dimittit, aut etiam repellit.

Hac vice victa mulier impudica, nouo ac magis temerario auſu Dominicum aggreditur; aſſumpto ſiquidem habitu viri, & depoſito muliebri proprio qui poſſet ipſam prodere, per aditum Eccleſiæ irrepit in cellam eius ſupra ſacriſtiam: Cum venit Dominicus ſub ementito habitu illo credidit eſſe hominem, qui ad ipſum recurreret ſolatium quæſiturus in aliqua tribulatione (ſic enim plures ad ipſum confugiebant;)

bant;) ſed tamen ſe videt deceptum, & inuocans Sanctiſſimam Virginem ſumma conſtantia blandienti ac ſollicitanti reſtitit, ſummaque prudentia corripit, & ſummo repellit ſecreto, ne famæ noceret.

Facta correctio & repulſa non profuerunt ad ſalutem illius miſeræ; quin potiùs eius amor mutatur in furorem contra Dominicum, à quo ſe vidit deſpectam, & odio habitam credidit. Perniciem eius meditatur, jurat in mortem; & quia faciliùs ac ſecretiùs ſe per venenum illaturam judicat, illud aſſumit medium ſuæ vindictæ.

Procurauerat hæc furioſa fieri paſtilium (alij vocant artocream) infectum veneno, mittit in conuentum Carmelitanum, datur Ianitori tradendum Dominico: Tunc exierat è conuentu ſeruus Dei ad aliquod pietatis negotium, & munus illud Dominico miſſum traditur P. Priori, qui jubet in partes diuiſum religioſis in prandio diſtribui. Dominicus abſens de periculo totius communitatis monetur tempeſtiuè à ſuo cuſtode Angelo, jubetur ſtatim & celeriter in conuentum redire, quod tanta exequitur diligentia, vt eum ſocius per viam non poſſet aſſequi: Cum ad conuentum peruenit ſudore madidus de miſſo munere interrogat, vt reſciuit diſtributum jam religioſis, currit ad refectorium, diſcos cibo venenato plenos amouet, & alta voce dicit, non eſt iſte cibus hominum; cumque particulam feli projeciſſet, cœpit ſtatim coram omnibus torqueri, & intra horæ quadrantem euomens inteſtina moritur.

Non deerant, qui facinus illud intentatum judicabant ad judicium criminale deferendum, & malitioſam illam mulierem eſſe puniendam: Sed mitiſſimus noſter Dominicus, qui magis periclitabatur, ſuadet ſecretum vitæ & honori illius conſulens. Deinde illam in loco tuto conuenit, enormitatem criminis objicit, vniuerſale periculum magnæ communitatis religioſæ proponit, Dei vindicis terribile judicium ponderat, ac tandem infallibilem vitæ & honoris ipſius jacturam minatur: Quæ ſingula penetrans infœlix

illa, & ſanctitatem, Dominici miraculoſam & à Deo protectam conſiderans, efficaciaque verborum ipſius mota, dolet de intentato facinore, procumbens in genua veniam orat, Dominicum interceſſorem apud Deum impetrat: Et ex tunc vitam pœnitentem ducere cœpit, & bonis operibus plena ſancto fine quieuit.

Dominicum tot victoriis inſignem non ſinit Dæmon quieſcere: illum de nouo aggreditur alia muliere roboratus. Erat Valentiæ pulchra juuenis, quam Dæmon obſidebat, & qua ad alios turbandos vtebatur. Vix inuenitur, qui velit ipſam exorciſmis Eccleſiæ juuare, nam pertinax ſpiritus obſidens exorciſtas deſpiciebat, & occultiſſima etiam peccata reuelabat. Vocatur ad auxilium Dominicus, qui Dæmonem peccata circumſtantium manifeſtantem tacere jubet: Dum ſtolam & alia exorciſmis neceſſaria præparat Dominicus, vt eum Dæmon ad vanitatem excitet, ait; Tu non es ſimilis cæteris exorciſtis, qui ſtola, libro, & Eccleſiæ ritibus indigent; Tu majoris es meriti, & natus es vt ſerues homines, & ſolo verbo Dæmones expellas: Sed ridet Dominicus fallacia Dæmonis verba; Iuuenem obſeſſam hortatur vt cor ad Deum erigat, & Mariam inuocet; Dæmoni verò præcipit, vt ſtatim ab illa recedat, & eleuatus in aëra tonitru edat in ſignum ſui receſſus. Coactus Dæmon obedit, tonitru magnum edit, quod totam terruit ciuitatem velut inexpectatum, cum aër ſerenus, ſol lucidus, & cœlum nubibus omninò purgatum apparerent. Recedens autem Dæmon ſic illam juuenem vexatam & exanimem reliquit, vt opus fuerit nouo Dominici ſubſidio ad illam ſuis viribus reſtituendam.

Liberata hæc miſera cœpit Dominicum ſuum liberatorem amare, priùs amore puro, vt præſumitur; deinceps autem amore impuro, ac laſciuo, tamque ardenti quòd magis ab illo pateretur, quàm ante paſſa fuiſſet à Dæmone. Amoris impotens ſe Dominico manifeſtat & offert, ſed impuderis repellitur: petulantior effectà veſtem Carmelitanam ſibi

ſibi conficit, & ſciens Dominicum extra ciuitatem iturum ad opera pietatis, ſe præparat itineri ficta veſte protecta; ſed monitus ab Angelo cuſtode Dominicus ſic iter accelerat, vt ipſa non valens aſſequi Valentiam, redire coacta fuerit.

Non tamen deſpondet animo, & ad extremum audaciæ & petulantiæ deuenit; Cum enim reſciuiſſet Dominicum ad quandam arcem ruſticanam vocatum, ad opera pietatis, illum ſequitur, & admiſſa ab arcis Domina, quæ ipſam nouerat à Dominico liberatam, tota die manet quieta: ſed media nocte dum omnes quieſcerent, cubiculum Dominici cautè ingreditur, illumque jacentem petulanter aggreditur: qui Deum inuocans exilit è lecto, pugnis illam excipit cum verba non prodeſſent. Illa verò ne manifeſtetur ſtrepitu, ſtatim aufugit, & deinceps à laſciua ſua prætenſione deſtitit.

Quia Dominicus experientia tot caſuum didicerat naturalem ſui corporis pulchritudinem ſimilibus contra caſtitatem perſecutionibus occaſionem præbere, rogat inſtanſtanter Dominum & Sanctiſſimam Virginem, vt illam moderentur, quam ipſe pœnitentiis moderari non potuerat; & vultus viuacitatem in pallorem conuertat, vt nihil in ipſo videretur quod laſciuis placeret oculis. Obtinuit quod petierat, ex tunc enim vultum cœpit habere pallidum & macilentum; venerabilem tamen, & pietate ac majeſtate plenum.

CAPVT XII.

Claret Dominicus Diuinis reuelationibus & miraculis.

MIrabilis Deus in ſanctis ſuis arcana ſua ſolet eis reuelare, tanquam familiaribus amicis, & eos aſſumens vt inſtrumenta ſuæ omnipotentiæ multa ſupra leges naturæ facit miracula. Confirmatur vtrumque in Dominico.

Domus

Domus erat in territorio Valentiæ ſatis ab ipſa ciuitate diſſita, in qua vir diues & auarus habitabat; qui cum in morbum periculoſum incidiſſet, mittit ſeruum cum equo ad Dominicum, rogans ipſum ad ſe venire in ſolamen animæ & quietem conſcientiæ. Dum pergit Dominicus, diuina reuelatione miſerrimum moribundi ſtatum videt, didicitque periculum eſſe in mora, premit equo Calcaria, tamque velociter accelerat, vt qui ſequebantur eum aſſequi non poſſent. Peruenit tandem domum, infirmum adit, moribundum inuenit: diligenter ſuccurrit animæ, ipſum ad actus contritionis & aliarum virtutum excitans, deinde domeſticis rebus exarato teſtamento prouidet, omnibuſque completis intra horæ quadrantem ad cœlum tranſmittit.

Dum quadam die ad ianuam conuentus Valentini pauperibus eleemoſynam diſtribueret, aduertit prætereuntem quendam hominem, valde turbatum, mœſtum & quid triſte meditantem: Aduocat illum Dominicus, ſed ille non audit; egreſſus illum ſalutat, & verbis ſuauiſſimis ad conuentum attrahit, cauſam mœſtitiæ inquirit: ſed cum inquirenti reſpondere nollet, ſic ait ad eum Dominicus; Prouidens tuæ ſaluti Deus reuelauit mihi cogitationes cordis tui, properas in domum tuam, vt occidas vxorem ex quadam ſuſpicione malè fundata: Certifico te ex parte Dei de eius innocentia; volebat te dæmon hac falſa perſuaſione ad perpetrandum tam grande ſcelus inducere. Cognouit homo ille hæc audiens talem notitiam à Deo eſſe; vnde crimen ſuum Deo & Dominico confitetur, ac deinceps vixit à ſimili turbatione liber.

Sub illud tempus Dominicus difficili & periculoſo laborauit morbo: vt periculum ceſſanit, ad hoc vt perfectè conualeſceret, ſuperiores de medicorum conſilio, vel etiam imperio præcipiunt mutare aërem. Mittunt eum ad arcem cuiuſdam pij Comitis parùm Valentia diſſitam; Dum illuc pergit Dominicus, occurrit feſtinus iuuenis, quem cum interrogaſſet cauſam itineris, & ipſo reſpondente didiciſſet

eum in patriam centum quinquaginta milliaribus inde diſtantem feſtinare, vt patrem quem grauiter ægrotantem audiuerat, viuentem adhuc inueniret: Dixit ei; Si non alia te vocant illuc negotia, redire potes Valentiam, nam pater tuus heri ſub meridiem mortuus eſt: non credit iuuenis, pergit vlteriùs, in patriam peruenit, & patrem eadem die & hora qua audiuerat defunctum reſciuit, vt ipſe poſtea rediens Valentiam cunctis mirantibus narrauit. Ad arcem Amœnam peruenit, excipitur vt Angelus à Comite & à Comitiſſa, quibus erat chariſſimus; imò & ab omnibus domeſticis, qui loco magni fauoris habebant huic ſeruo Dei miniſtrare: Et quia deerant filij, Comitiſſa Dominici interceſſionem implorauit, quam eſſe plurimùm efficacem bono ſuo didicit, tum ipſius Dominici prædictione, tum fœlici ſucceſſu: Dum enim quadam die in prandio vidiſſet Dominicum non manducantem, ipſum hortatur vt manducet, cui reſpondit Dominicus, manducet potius vestra Dominatio, nam debet pro duobus manducare: Ipſa prædictionem intelligens credidit, poſt paucas hebdomadas ſe grauidam ſentit, & debito tempore filium peperit. Dum ibi conualeſcit æger deuotus, non terrenas, ſed cœleſtes quærit recreationes, nam eius conuerſatio in cœlis erat: Vnde quadam die ſpiritualem hanc inſtituit, voluit vt quilibet aſtantium aliquid de celſitudine ac miſericordia Dei diceret, & cum omnes dixerint ſigillatim, tunc ſimul canerent, Laudetur ſemper Dominus. Ad hanc deuotam recreationem multæ in aulam conuolant gallinæ (addunt etiam aliqui anſeres & anates) quæ capitibus eleuatis velut iis attendentes quæ dicebantur, dum homines ſimul canerent, ipſæ quoque ſimul toties quoties mirabili concentu Domino canebant.

Fecit multa mirabilia & miraculoſa Dominicus, maximè quantùm ad ſanitatem corporum & animarum, iuxta promiſſum ei factum à V. P. Nicolao Factore, quorum aliqua ſub hoc tempore facta deſcribentur. Valentiæ propè

Eccleſiam

Eccleſiam Carmelitarum habitabat quædam fœmina, quæ è gradibus lapſa brachij fractionem paſſa eſt: Cum partes per Chirurgum malè coaptatæ maximum diu noctuque cauſarent dolorem, paruulus eius filius ab vbere pendens, qui nunquam fuerat loquutus, ſic ait mœrenti; Vade mater ad Eccleſiam Carmelitarum, & ibi ſanctus te ſanabit: miratur afflicta mater nouam filioli ſui loquelam, quem antea tantum balbutientem audiuerat, quaſi Diuinum oraculum, & ipſum aſſumens in altero brachio pergit ad Eccleſiam, eique ingredienti ſubdit diſtincta voce filiolus, Ibi eſt ſanctus, digito demonſtrans S. Annæ Capellam: illuc tendit mulier, & orantem aduertens Dominicum, ipſum vocat, ſuum infortunium exponit, eius interceſſionem confidenter implorat. Condolens afflictæ mulieri ac ſimul compatiens pro ipſa orat, & facto crucis ſigno ſupra vulnus, brachium perfecte reſtituitur, oſſa optimè coaptantur, & illicò ſenſus doloris ceſſat, cum ſtupore omnium qui miraculum valde diuulgatum audierunt.

Alia die puer vlceribus plenus adducitur Dominico, vt eius benedictionem percipiat: Cum eius vulnera ſaniè manantia ſeruus Dei vidiſſet, ad illum accedit, & memor calicis Chriſti lingit vlcera, & ſaniem ebibit tanto Spiritus feruore ac ſi potum delicatiſſimum ſumeret: & hoc pietatis obſequio ſanitatem puero reſtituit.

Tam celebre iam erat nomen Dominici, propter adducta & alia quàm plurima miracula, quòd ad ipſum ex longinquis etiam Hiſpaniæ regionibus plures venirent, vt ſuis neceſſitatibus tam animæ quàm corporis remedium inuenirent. Propterea Superiores Dominicum ad audiendas confeſſiones expoſuerunt, bis aut ter ſingulis diebus ad Eccleſiam mittebant, vt infirmos ſigno crucis benediceret: Ex quo multi de repente ſanabantur, alij verò poſteà. Ipſe vt gloriam miraculorum ſibi attributam ad Deum referret, vel ſanctorum reliquias, vel ſcapulare Beatiſſimæ Virginis, vel etiam inuocationem Diuini nominis in efficien-

tia

tia miraculorum adhibebat.

Non minus efficax fuit Dominicus in ſanandis animarum quàm corporum morbis, vt in reducendis ad ſpem deſperatis, in conuertendis hæreticis, in emolliendis obſtinatis in malo, & in aliis huiuſmodi, de quibus hic breuiter dicetur. Damnatus erat quidam ſceleratus ad mortem, & iam hora ſupplicij inſtabat, obſtinatus erat in malo, multorum monita contempſerat, & ſic ad æternam damnationem currebat. Vocatur Dominicus, ſuis orationibus & documentis ſalutaribus cor illud lapideum conterit ad pœnitentiam, quam vberrimis teſtatur lachrymis, & ſic promiſſa pœnitentibus præmia conſequitur, Diuinæ & humanæ iuſtitiæ fuſo ſanguine ſatisfaciens.

Paulò poſt damnatur laqueo quidam nobilis adoleſcens, qui tam alta mœſtitia & deſperatione plenus erat, propter infame ſupplicij genus ſuæ nobilitati contrarium, vt nullum ſolamen caperet, nec nomen ipſum confeſſionis audire vellet, præoccupa tus ac omninò turbatus infamis ſuæ mortis meditatione. Plures ad eius conuerſionem adhibentur religioſi, ſed fruſtra laborant; tandem vocatur Dominicus vt ſuccurrat infœlici ipſa nocte præcedente ſupplicij diem, miſerum piis exhortationibus aggreditur, in principio parum vel nihil proficit: Rogat diſceſſurus vt appenſam in carcere imaginem Beatiſſimæ Virginis ſaltem intueretur, ille ſe facturum promiſit vt ſe à moleſto concionatore liberaret. Tota nocte Dominicus in conuentu preces fundit cum lachrymis, Cilicium induit, catena ferrea acuminibus munita ſe cingit, ter diſciplinam vſque ad ſanguinem renouat; & hæc omnia facit, vt conuerſionem perditi illius impetraret. Summo mane redit in carcerem, mutatum à dextera Excelſi reperit iuuenem, qui lætus accurrens Patrem conſolatorem amplectitur, narrat ei qualiter tota nocte in peſſimo deſperationis ſtatu manſerat, quòd ſomno preſſus dormitauerit vſque ad quartam poſt mediam noctem; tunc excitatus, ac memor promiſſionis factæ,

prædictam

prædictam imaginem Beatiſſimæ Virginis reſpexerit, quam vidit valdè fulgidam, & quodam lucis radio prius oculos, deinde mentem ab illa ſenſit illuſtrari, ac tanta perfundi conſolatione, conſtantiaque roborari, quòd iam deſideret illam mortem quàm ante ſic horrebat. Paratus erat ad confeſſionem, illum audit Dominicus, conſolatur amplius, eique vſque ad vltimum agonem aſſiſtit. Sicut obſtinatio iuuenis fuerat multis ſcandaloſa, ſic eius tam perfecta conuerſio plurimum omnes ædificauit: Vnde facile fuit Dominico à magiſtratu obtinere, vt venerabile eius cadauer honorificè ſepeliretur.

Contigit etiam, quòd quidam hæreticus per ſententiam ſanctæ Inquiſitionis brachio ſæculari traditus fuerit, vt obſtinatus in hæreſi damnatur ad ignem, à carnifice rapitur ad locum ſupplicij: Aſſiſtunt ei Confeſſores ipſum rationibus vrgentes ad reſipiſcentiam, omnes deſpicit ſe doctiorem illis iactans (erat Puritanus negans realem Chriſti præſentiam in Sanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento.) Dum hæc aguntur venit Dominicus & præmiſſa oratione potiùs humilitate quàm argumentatione certamen incipit, dicens: Nolo tecum rationibus contendere; ſatis es doctus, vt mea non egeas inſtructione; indiges tamen admonitione: Tempus, quod tibi Deus & iuſtitia concedunt, breue eſt; Agitur de æternitate, confitere errorem, veniam à Deo deprecare, & tuam ſalutem redde ſecuram.

Hæc Dominici verba penetrant hæreticum, & in ſpem ſalutis exigunt: Vnde iam compunctus Patri reſpondit; Potero ne poſt tot ſcelera commiſſa veniam à Deo ſperare & tandem ad gloriam peruenire. Certum de hoc illum reddit Dominicus, & adductis ſacræ Scripturæ, ac ſanctorum Patrum teſtimoniis; imò & exemplis pœnitentium, & maximè D. Petri, cuius nomen ille patiens habebat, efficaciter probat infinitam eſſe Dei miſericordiam, & præſtare ſupra malitiam hominum.

His confirmatus patiens ille ſuam abiurat hæreſim, cum

lachrymis peccata confitetur, ac libenter mortem & ignem in ſatisfactionem peccatorum, cum maxima populi circumſtantis ædificatione, Chriſtum inuocans acceptat.

Quadam die Dominicus redibat lætus in conuentum, poſt compoſitam difficilem controuerſiam inter duas nobiles familias, ortam ex homicidio in vna ipſarum ab altera commiſſo, cum perueniens ad ædes S. Laurentij vocatur à muliere, ipſaque narrante didicit qualiter mancipium eius nigri coloris ex his quos in Europa vocamus Æthiopes (ſed immeritò, nam veri Æthiopes ſunt Chriſtiani) poſtquam apud ipſos Hiſpanos annis quadraginta vixiſſet, adhuc Chriſtianam legem cõtemnebat, & iam iam moriturus animam Pſeudo-prophetæ Mahometano cõmendabat. Accurrit ſtatim Dominicus, vt moribundum vidit clauſos habentem oculos, & vltimum penè ſpiritum trahentem; ipſum alloquitur, ſed non auditur; Deũm & Beatiſſimam Virginem implorat pro infœlici mancipio, & exauditur: Tunc enim moribundus aperiens oculos ſe conuertit ad Patrem, alta voce clamat ſe velle fieri Chriſtianum; pro temporis anguſtia ſufficienter & breuiter Pater ipſum Chriſtianæ religionis inſtruit documentis, quæ iam nouerat, & aqua baptiſmi Deo regenerat: Quibus ſimilis infirmus candidiſſimam animam Creatori ſuo reddidit, quam Dominicus ab Angelis in Cœlum recta vidit deferri: Vnde deinceps ipſum ſuis cœleſtibus patronis annumerauit, & in neceſſitatibus inuocare ſolebat. Vidit etiam corporis oculis dæmones de tali ſucceſſu furibundos, minas ipſi pro amiſſa præda intentantes: Et conſequenter quadam nocte baculis tanto furore percuſſerunt, vt ſemimortuum reliquerint, & ſtrepitus non ſolùm à religioſis fuerit auditus, ſed etiam à vicinis ſæcularibus, qui mane venientes ad conuentum attoniti quod audierant retulerunt.

CAPVT

CAPVT XIII.

Multas & graues Dominicus patitur perſecutiones.

DVm proſpero duplici vento, ſcilicet Diuini fauoris & applauſus humani, nauigaret Dominicus, crudelem ipſi dæmon tempeſtatem præparabat, quæ ſuo tempore deſæuiit. Virtus ſuos patitur æmulos: Vnde non mirum, ſi Dominicus tam domeſticos quàm extraneos habuerit inimicos. Totum perſecutionis ſucceſſum à principio & ordinatè deſcribam.

Non ſolùm inter ſæculares & extraneos religioſos, ſed etiam inter domeſticos Carmelitas erant aliqui, quibus ſingularis in virtutibus & miraculis vita Dominici non placebat, eius ſpiritum vel indiſcreto zelo, vel æmulatione temeraria damnabant. Verùm nullus eum ſub protectione P. Prouincialis conſtitutum (qui ſanctitatem eius raram tot experimentis teſtatam nouerat) aggredi vel perſequi audebat: ſed ipſo mortuo plures in eum inſurrexerunt.

Quadam die poſt prandium in ordinaria recreatione ſimul læti permanebant religioſi, & inter alios P. Prouincialis & noſter Dominicus. Inter alios diſcurſus ait Prouincialis; Ego ſum ſenex & decrepitus, jam vnum in foſſa pedem habeo, breui inferam alterum, & nouum habebitis Prouincialem: Reſpondent religioſi aſtantes, quibus erat chariſſimus Prouincialis, vt pote bonus & prudens, ipſum ad multos annos victurum, Carmelitanæ religioni neceſſarium adhuc eſſe, & ſimilia ex corde dicta vt præſumitur. Solus tacebat Dominicus, ſubridet Prouincialis, amicum enim ſuum nouerat, jubetque dicere quid circa hoc ſentiat: Tunc ait Dominicus; Ne jocetur V. R. Paternitas, eueniet enim vt prædixit. Nullum morbi ſignum aderat, cum hæc dixit Dominicus, & poſt paucas horas cœpit Prouincialis febri

febri laborare, & breui deceſſit è viuis. Voluit in extrema illa infirmitate Dominicum habere & confeſſarium & inſtitutorem in arte bene moriendi: Eique fideliter etiam in aliis Dominicus deſeruiit quaſi filius obediens patri chariſſimo, & à Dæmone protexit qui ſub araneæ ſpecie cellam irrepſerat, à qua Dominici precibus fuit repulſa.

Mortuo Prouinciali ſufficitur alius parùm affectus Dominico, vel etiam omninò contrarius, quia non nouerat ipſum. Vnde quem alij ſanctum, ipſe improbum; quem alij ſincerum, ipſe hypocritam dicebat, qui vel homines deciperet, vel à Dæmone deciperetur: nec ſolùm aliis, ſed etiam ipſimet Dominico hæc improperabat. Ad exemplum Vicarij Prouincialis alij Dominicum perſequebantur, conuitiis impetebant, deceptorem & ambitioſum nominabant. In capitulo conuentuali ſingulis hebdomadis fieri ſolito tam rigidè corripiebatur, quòd alius minoris virtutis ferre non potuiſſet ſimiles correctiones; ipſe verò lætè perferebat, quamvis falsò in rebus grauiſſimis, etiam in materia caſtitatis accuſaretur. Et cum multa ſubmiſſione ſolebat dicere iis qui compatiebantur, quòd meritò accuſabatur & corripiebatur, cum præ humilitate ſe Dæmonem crederet. Intra ſe verò dicebat, volo pretioſam hanc colligere margaritam, vt poſſit eam Dominus meæ coronæ inſerere, majores his confuſiones paſſus eſt meus Dominus.

Majoris occaſio perſecutionis fuit prædictio funeſti ſucceſſus claſſis maritimæ, quam in regno Luſitaniæ Philippus II. Hiſpaniarum Rex contra Elizabetham Angliæ Reginam parabat: Hæc vocabatur inuincibilis, & victura ac triumphatura credebatur. Multi principes & nobiles, vt ſuo Regi Catholico in hac expeditione glorioſa deſeruirent, vltrò naues conſcendebant, & ad illas filius Proregis Valentini juuenis bonæ ſpei cum ingenti Procerum comitatu deſtinabatur: ſed Proregina mater eius de filij ſalute ſollicita, Dominicum jam multis inuiſum, ſed apud ipſam magis venerabilem in ſua humilitate & patientia, confidenter

denter adit, Filij profectionem eius orationibus commendat, ſimulque rogat conſilium juxta proprium ipſius ſenſum de fauſto vel ſiniſtro talis expeditionis euentu futuro.

Ad ſolitam Dominicus orationẽ recurrit: vbi Diuina reuelatione didicit florentiſſimam hanc claſſem ingenti maris Anglici tẽpeſtate diſſoluendã,& totam fere perituram: Vnde piæ matri futuram eius ruinam prædicẽs, diſſuadet filium & cognatos ad hanc mittere tam infœlicem futurã expeditionem. Quia Prophetica Dominici prædictio nõ fuit ſub debito cuſtodita ſecreto,& aliàs omnib⁹ præſertim politicis Regi fauſta jam acclamantibus diſplicuit,& omnes ſimul Dominici famam tanquam inimici Regis & regno funeſti dilacerare cœperunt, ipſumque palam perſequi & impugnare.

Aliud tunc accidit, quod æmulorum Dominici, tam ſæcularium quàm religioſorum etiam Carmelitarum, audaciam auxit. Tunc concionatus eſt V. P. Ludouicus Bertran Ordinis S. Dominici, vir magnæ ſanctitatis opinione celeberrimus; Quædam dixit quæ ſiniſtre concepta contra noſtrum Dominicum, imò & contra V. P. Nicolaum Factorem communi populorum voce detorquebantur. Dixerat ſcilicet ecſtaſes ſiue raptus eſſe in triplici differentia, quoſdam à Deo, alios à natura, tandem alios à Dæmone; & hoc exemplis illuſtrauit: ſic autem concludit: Et vtinam à Deo ſint omnes ecſtaſes, quæ totam Europam hoc ſæculo perturbant: Vtinam à Deo procedant reuelationes, quæ populos irritant & commouent; & non à natura, vel potiùs à Dæmone & ab arte. Hæc dicta Ludouici vera ſunt, ſed ab æmulis Dominici malè concepta, qui horum occaſione ipſum cum Factore digito demonſtrabant. Narrantur hæc fideliter V. P. Nicolao Factori, Narratur & V. Ludouico ſiniſtra verborum ſuorum intelligentia: Voluiſſet hic nihil de raptibus vnquam dixiſſe; ille verò, quamvis honorem ſuum negligeret, videns tamen Dei cauſam periclitari & ſcandalum ſerpere, vadit die ſequenti ad conuentum S. Dominici pranſurus ibi & Ludouicum alloquuturus, qui Fa-

ctoris aduentum præſentiens præ reuerentia & pudore ſe ſubtraxit. Ad ſuum rediens conuentum Factor longam ſatis & humillimam ſcripſit epiſtolam Ludouico, dicens: Pater, pater, pater; Cur me deſerit? Oro Deum, eò beatitudinis veniam, vt ſim Veſtræ Reuerentiæ mancipium. Nonnulli tua concione commoti me Dæmonem eſſe clamant; & fateor me Dæmone pejorem eſſe, multæ namque mihi communes cum cæteris hominibus datæ ſunt gratiæ, & multæ ſpeciales quæ non ſunt Angelis datæ. Sunt Dæmones ingrati Diuinis beneficiis, ſum & ego: & quia mihi majora collata ſunt, major eſt & execrabilior ingratitudo mea Dæmonum ingratitudine. Si non peccaui, quare ſe ſubtrahit? & ſi peccaui, quare ſe ſubtrahit, cum amicitiæ jure me monere & adjuuare teneatur? Iui hodie, & paſſus ſum repulſam, cras reuertar, & ſi non pateat porta, me poſticum excipiet: Et ſi hoc crudele ſit, locum non deſeram, me profitebor indignum, qui vobiſcum conuiuam, & in porticu adhærebo pauperibus; nam & Angeli ſunt etiam ipſi, & qui pejor ſum Dæmone, ſummè fœlix ero, ſi inter Angelos infimæ Hierarchiæ ſinar manere, & illuminari ac foueri à Ludouico Bertran Angelo Hierarchiæ ſuperioris. Faciat ergo quodcumque voluerit, dicat quod placuerit; ſim opprobrium hominum, & abjectio plebis; ſim illuſus, aut ſi velit illudens; ſim, vt vno verbo cuncta dicam, pejor Dæmone, quod multi dicunt, & meam ego conſiderans ingratitudinem non nego: ſed tamen gratia Dei, licet indignus, Chriſti ſum crucifixi, & Reuerentiæ Veſtræ vel inuitæ in Chriſto crucifixo ſeruus.

Hi duo caſus ſic multorum excitarunt in Dominicum animos, & tam crudelem perſecutionem, vt ipſum tanquam in fide ſuſpectum, à Dæmone deceptum, & populi deceptorem ac impoſtorem ad ſacrum Inquiſitionis tribunal detulerint, vt ſic eius ſpiritus examinaretur, miracula & reuelationes probarentur. Inquiſitores cauſam admittunt, delatum aduocant Dominicum, potiùs commoto populo

ſatisfacere

ſatisfacere volentes, quàm de probitate ipſius dubitantes: Et adhibita ſufficienti diligentia, & maturo morum ipſius, miraculorum ac reuelationum examine, lata declarant ſententia, nihil in vita Dominici reperiri, quod fidei vel bonis moribus repugnet: ſe ſpiritum eius, raptus & ecſtaſes examinaſſe dicunt, & nihil reperiiſſe, quod reprobent: Prædictiones aliquas contuliſſe, & quia ſucceſſus veras fuiſſe demonſtrat, non potuiſſe eas reprobare: Declarãt ſe in illa, quæ cõcernit Anglicanam expeditionem, manere ſuſpenſos; cujus proinde deciſionẽ in euentu futuro reponunt. Tam fauorabili ſententia dimiſſus ab illo tribunali Dominicus famam apud aliquos recuperat, qui ex ignorantia aliorum exemplo moti conjurauerant in ipſum; ſed apud pleroſque, qui ex malignitate perſequebantur, contemnitur & irridetur.

CAPVT XIV.

Morti V. P. Nicolai Factoris aſſiſtit in ſpiritu Dominicus, & continuatam patitur perſecutionem.

ADuenit tandem fœlix illa dies, qua V. P. Nicolaus Factor, vt Dominico prædixerat, ex hac valle miſeriarum ad paradiſi delicias erat tranſiturus, vt pro ſuis meritis ac laboribus coronam gloriæ conſequeretur.

Hac ipſamet hora vacabat orationi Dominicus, & ecce ſubitò rapitur in ecſtaſim, ac nouo Dei beneficio ad lectum Factoris transfertur in ſpiritu, vt eius pretioſæ morti præſens adeſſet, quaſi filius ſpiritualis & conſtitutus hæres à Deo ſpiritus ipſius, ibidem ſpiritum recepturus, velut alter Eliſeus in raptu Patris & Magiſtri ſui Eliæ.

Vidit in illa ecſtaſi ſanctam Factoris animam ineffabili claritate circumfuſam ad paradiſum volare, multorum Angelorum & Sanctorum comitantibus copiis honoratam. Libenter illum ſequeretur Dominicus; ſed tunc non conceditur: illum tamen à ſe recedentem mœſtus ſic alloquitur; Cur me Pater deſeris, aut cui deſolatum relinquis? ipſumque ſi non effectu, affectu tamen ſequitur.

Tanto recedentis Factoris affligitur deſiderio, tantoque premitur dolore, quòd ab ecſtaſi ad ſeipſum redierit, & tunc ſuffuſùs lachrymis coram aliquibus religioſis in hæc mœſta verba proruperit: Sanctus Pater Frater Nicolaus nos reliquit ſolos, eamus ad honorandum illud ſanctum corpus. Paulò poſt oraculum Dominici verificatur, cum mors ſerui illius Dei in tota ciuitate Valentina publicatur. Eius ſacro funeri tum ex aliis ordinibus religioſis, tum ex ordine Carmelitano plures concurrunt, & inter alios Dominicus: Quem prædicti religioſi qui verba ipſius mortem Factoris denuntiantis audierant, attoniti judicarunt Dominicum illi morienti aſtitiſſe.

Viſis tot mirabilibus in Dominico, & lata in eius fauorem ſacræ Inquiſitionis ſententia, non ceſſant æmuli, nec ceſſat perſecutio, quin potiùs augetur: Domeſtici etiam Carmelitæ verbis aſperis, & aſperioribus factis eum vexare perſeuerant; ſi cuncta referrentur, & moleſtam indignationem contra perſequentes, & teneram compaſſionem erga Dominicum patientem Lectori excitarent.

Caſum vnum adjicimus, vt ex illo plurimi ſimiles conjiciantur. Quadam die Sabbathi ſub veſperam concurrunt ad Eccleſiam religioſi, vt antiqua & immemorialis eſt apud Carmelitas conſuetudo, ad cantandam Beatiſſimæ Virgini Mariæ antiphonam Salue Regina: ſingulis diſtribuuntur candelæ, dum lux expectatur qua accendantur, ſuperuenit Dominicus accenſam deferens candelam, qua cæteris lucem & ignem communicat: Quod videntes aliqui ſæculares, qui maximam nouerant Dominici ſanctitatem, lepidè dixerunt; Lucem igitur à P. Dominico recipiunt vniuerſi. Quod dictum pietatis indignè ferens quidam Pater ſenior ex æmulis Dominici, duriſſimis verbis reſpondit. Omnes omnes ab illo, non lucem, ſed fumum recipimus: Quo tam impertinenti reſponſo mortificati plurimùm religioſi, & ſcandalizati fuerunt ſæculares.

In his perſecutionibus & injuriis immotus ſemper & conſtans

conſtans perſeuerauit Dominicus : nec vnquam factum mutauit propoſitum, quo ſtatuerat ſe cuncta pro amore Dei paſſurum, & nunquam de objectis juſtificaturum, & multò minus ſe vindictam ſumpturum de aliquo : quin potiùs tempore majorum perſecutionum magis vrgente charitate ad imitationem ſui Domini, mirum & maxime arduum fecit votum, quod poſtmodum per totam vitam fideliter obſeruauit, benefaciendi ſcilicet ampliùs iis qui fuiſſent ampliùs ipſum perſecuti. Quod ita Deo placuit, vt eius innocentiam & ſanctitatem paulò poſt, verificatis eius prophetiis, nouis editis miraculis, & pluribus communicatis fauoribus demonſtrauit.

Sub illud tempus venit tandem infortunatum nuntium de ſubmerſione vel deſtructione claſſis maritimæ Hiſpanorum eo prorſus modo quo Dominicus prædixerat Proreginæ, quod totam afflixit & terruit Hiſpaniam, & tantam Dominico ſanctitatis opinionem conciliauit, ad confuſionem aliquorum pertinacium æmulorum, quòd omnia eius verba ſuſciperentur deinceps vt oracula, & jam remota omni dubitatione velut ſanctus Dei famulus communiter honoraretur : Et eò res deuenit, vt etiam aliqui ex eius perſecutoribus ad eum pœnitentes accederent, ac genibus flexis veniam tot judiciorum ac verborum contra ipſum prolatorum ſummis precibus & lachrymis poſtularent. Non tamen omninò defecerunt æmuli, quos Deus ad eius exercitium & meritorum incrementum eſſe permiſit.

CAPVT XV.

Mittitur Xatiuam Dominicus, vbi miracula patrat, poſtea Valentiam reuocatur.

SÆuiebat adhuc tempeſtas & perſecutio multorum contra Dominicum. Inter perſecutores adhuc perſiſtebant aliqui Domeſtici, & ipſe Vicarius Prouincialis, qui vt Dominicum à nimio concurſu remoueret, vel etiam fortè vt probaret, Xatiuam miſit itinere vnius diei Valentia diſſitam

ad occidentem, in extremitate planitiei Valentinæ ad radices montium ſitam, olim ciuitatem magnam & celebrem, nunc ad mediocritatem redactam.

Vix Valẽtia fuit egreſſus, cum toto ſcitur regno eius profectio: nobiles ſuas arces, ruſtici villas deſerunt, ſimul omnes currunt, vt tranſeuntem Dominicum videre poſſint, & eius recipere benedictionem. Vt populorum concurſum Dominicus fugiat, communem & tritam deſerit viam, & inuias ac difficiles ſemitas quærit: ſed vbique reperitur & circumquaque vox clamantium reſonat, hac tranſit Sanctus.

Mulio qui Dominicum ducebat, jam à multo tempore laqueis vnius feminæ captus perditam ducebat vitam, & contempta Dei lege in ruinã ſuam properabat. Eius ſtatum peſſimum oranti Dominico reuelauit Dominus, & Dominicus à Domino cõuerſionem eius precibus & lachrymis impetrat. Deinde perditum hominem ſuauiter quidem in principio, deinde fortiter aggreditur, ſcelus inueteratum objicit, diuinum judicium & inferni pœnas minatur: Tamque potenter ac fœliciter negotium concludit, vt eius verbis & rationibus miſer ille conuictus, ac omninò conuerſus peccata ſua deteſtatus fuerit, & Sacramentali Pœnitentia apud ipſum P. Dominicum cum multis lachrymis expiauerit.

Peruenit Dominicus Xatiuam, & veniens ad conuentum aliquantò ab vrbe diſſitum tantám populi multitudinem reperit, vt domus ſuperior coactus fuerit ipſum ad Eccleſiam mittere, vt concurrentis populi deſiderio ſua benedictione ſatisfaceret. Non multo poſt multi nobiles totius vrbis nomine deputantur & ad Dominicum & ad ſuperiorem conuentus, vt ipſum Dominicum obtineant ſequenti die in majori Eccleſia concionatorem, ſolemnis enim tunc proceſſio fuerat indicta, vt pluuiam à Deo terræ ſitienti & ſatis areſcentibus impetrarent. Tanto feruore concionatur, vt ab auditorum oculis lachrymas extorſerit, & ipſis ſpem obtinendæ gratiæ firmiter indiderit. Vult Dominicus ſignifer eſſe, & lachrymis plenus crucifixum præfert; &

breui

breui deſideratam pluuiam deuoto populo obtinuit.

Dum fieret proceſſio, quædam mulier cæca, fide & ſpe plena accedens ad Dominicum ait, Sana me: Cumque Dominicus vlteriùs progrederetur, commendans ipſam Chriſto crucifixo quem gerebat, & nihil reſponderet, ſequitur confidenter,& iterum inculcando clamat;Sancte;Sana me, ſana me. Tunc nihil aliud facit Dominicus quàm Deum rogare vt ipſam curet, ipſam autem vt taceat. Sed finita proceſſione proceres vrbis ſuperiorem rogant vt imperet Dominico cæcæ mulieris oculos tangere: Qui cum Dominico parum eſſet affectus conſenſit petitioni volens ipſum confundere, ſupponebat enim non patrandum fore miraculum; præcipit igitur illi vt ad mulierem accedens eius oculos tangat, & ſic eam ſoletur: Reſpondit Dominicus humiliter præcipienti; Quomodo eſt poſſibile, quòd ego pejor Dæmone valeam huic mulieri lucem reſtituere; ſed quia Veſtræ Reuerentiæ teneor obedire, eam magna mea confuſione ſigno crucis benedicam: Et accedens ad eam ait; Tuos tango oculos & Deum oro vt tibi lucem reſtituat. Vix hæc dixerat & tetigerat Dominicus, cum ſtatim mulier Diuina virtute ſanata fuit, & viſum recepit: Mirantur omnes de tam euidenti miraculo, in cujus demonſtrationem mulier ſanata domum ſine duce & ſola rediit, duoque ipſamet die conſuit induſia, quæ in ſignum deuotionis & gratitudinis erga Chriſtum cuidam pauperi dedit. Attonitus manſit ſuperior, Dominici contrarius & irriſor: Et poſt datas ab omnibus Deo gratias, ipſe confuſus & lachrymis ſuffuſus ſe ad pedes Dominici prouoluit, & jam pœnitens ac humilis coram tota multitudine fatetur, quàm malè ſe erga Dominicum habuerit, maleuolum & indiſcretum ſuum zelum in perſecutione hujus ſerui Dei manifeſtat, & ſe futurum ſanctitatis ac ſinceritatis eius præconem pollicetur, & talem ſe poſtmodum præbet. Hunc ſuperiorem ſcimus fuiſſe Vicarium: ſed quidam faciunt Vicarium Prouincialem, quem ſupra vidimus

mus mortuo Prouinciali ſuffectum,& aſſerunt Dominicum Xatiuam ſecum duxiſſe,& poſtea Valentiam reduxiſſe; Alij verò faciunt eum Vicarium conuentus Xatiuenſis.

Dum abeſſet Valentia Dominicus, fama volat, qualiter in regno Luſitaniæ quædam monialis, quæ paulò ante colebatur vt ſancta fictis reuelationibus & miraculis, fuerat ab Inquiſitione damnata. Dedit hoc nuntium æmulis Dominici tunc abſentis occaſionem dicendi multa quæ ſanctam eius æſtimationem obſcurabant, & inter alia dicebant ipſum à terra abſorptum non comparere; & conſequenter vocabant hypocritam, ſacrilegum, atheum, & execratioribus eum titulis denigrabant. Sed volens Deus innocentiæ Dominici ſuccurrere, & publicum tollere ſcandalum, excitauit Dominum Ioannem Riberam, Archiepiſcopum Valentinum & Patriarcham Antiochenum, vt ſtaret pro Dominico, & adductas contra eum calumnias diſſiparet, eximiam enim ipſius nouerat ſanctitatem: Egit enim & inſtanter apud ſuperiores, vt ipſum Valentiam reuocarent, ſic enim non ſolùm ad eius honorem, ſed etiam ad gloriam Carmelitanæ religionis expediebat. Rediit Dominicus, & velut ſol fulgentiſſimus omnes malitiæ nebulas diſſipauit. Sanctiſſimè ac quietè deinceps vixit, mira multa patrauit, & majori quàm ante fuit in communi ſanctitatis opinione.

Non tamen ſecreti defuerunt æmuli ad exercitium patientiæ. Dum quadam nocte Dominicus coram Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contemplationi vacaret, vi ſpiritus rapitur in aëra corpus: Aderat quidam æmulus, qui neſcio qua ductus intentione furtim inſidiabatur; Vt vidit Dominicum attolli, currit temerarius, & pedes eius apprehendit. Verùm cum ipſe ſimul in aëra tolleretur, temeritatis ſuæ pœnitens pedes dimittit,& cum aliquo damno cadens audaciæ pœnas luit.

LIBER

LIBER TERTIVS VITÆ V.P. DOMINICI A IESV MARIA IN CARMELO RENOVATO PERFECTISSIMI.

PROLOGVS.

PERFECTORVM eſt, ad majorem ſemper aſpirare perfectionem; nec illis ad radices montis Dei veniſſe ſatis eſt, ad eius culmen violenter aſcendere conantur, vt ibi Dominico propinquiores effecti, & à terrenis amplius ſegregati, quadam beatitudine inchoata, & aliquali præſentia Dei mortalibus compoſsibili fruantur. Perfectum libro præcedenti vidimus Dominicum, in hoc tertio videbimus ad majorem aſpirare perfectionem, & ad culmen renouati Carmeli fœliciter peruenire: vbi namque renouationem eius didicit; æmulans chariſmata meliora, ſtatim ad illum euolauit, neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Ibi exactiori virtutum exercitio, bono cæterorum religioſorum exemplo, tantam perfectionem obtinuit, vt hic meritò perfectiſsimum nominemus. Sed quia Domi-

num audiuerat dicentem; Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc: Et legerat quòd in via perfectionis non progredi, regredi eſt; toto tempore vitæ ſic feruenter in ea properauit, vt non ſolùm currere, ſed etiam volare videretur.

CAPVT I.

Tranſit Dominicus ad noſtram Diſcalceatorum congregationem, vbi finito nouitiatu profeſſionem emittit.

IAm ab aliquot annis per S. M. N. Thereſiam cœperat Carmeli renouati congregatio, in qua plures viri & fœminæ florebant ſanctitate. Non latuit Dominicum Carmeli renouatio; non tamen illam ſtatim amplectitur, quamvis æmularetur chariſmata meliora: quia nouam vidit congregationem vix natam tot perſecutionibus vexari, tot tempeſtatibus agitari, vt illicò deſtruenda, ſubmergenda, & ab ortu ad occaſum, ab incunabulis ad tumulum transferenda videretur. Noluit Dominicus de ſtabili religione ad inſtabilem, & de certa ad incertam tranſire.

Vbi vidit jam ceſſaſſe perſecutiones, jam tranſiſſe tempeſtates, majoris cupidus perfectionis de tranſitu jam diu deſiderato cogitare cœpit, non vt ipſe perſecutiones fugeret: nam cum eſſet fidelis ſeruus Domini, ſuaues ad ipſum ſolebat formare querelas, quòd ſibi tot delicias & recreationes internas miniſtraret, & paruum abſtuliſſet præcedentium tribulationum calicem, quaſi vellet inde monſtrare, quòd ipſum in cruce ferenda ſocium recuſaret. Vnde magno deprecabatur feruore, vt promiſſum ſibi ab ipſo factum, & ore famuli ſui (B. Nicolaum Factorem intelligebat) intimatum adimpleret, in concedendis ſcilicet multis laboribus; cum tamen vice verſa tot honores, & tantum populorum

lorum applauſum concederet. Quem vt fugeret, ac magis Diuinæ majeſtati deſeruiret, tandem optatum ad noſtram Diſcalceatorum congregationem decreuit tranſitum; credidit enim ſub primitiua regula Carmelitana, in medio tot illuſtrium virorum, ſe faciliùs perfectionem acquiſiturum, & Domino fideliùs obſequuturum.

Videns igitur Dominicus jam tranquillam Diſcalceatorum congregationem, & ſanctitate florentem, voluit exequi quod ante decreuerat. Cumque Dominum in oratione de tam graui negotio conſuleret, audiuit ab ipſo, ne diutiùs tardaret, ſed ſtatim licentiam peteret deſiderati tranſitus, certus de ſuo efficaci auxilio, ac de fœlici exitu, licet aliquæ difficultates ex parte ſuperiorum orirentur.

Quia tam mitigati Carmelitæ quàm primitiui Diſcalceati tunc ſub eodem Generali militabant, ſolis Prouincialibus diſtinctis, non ad P. Generalem, ſed ad Prouincialem & ad P. Vicarium Generalem Diſcalceatorum debuit habere recurſum. Sed quia majorem à ſuo Calceatorum Prouinciali difficultatem præuidebat, ad ipſum ſerias & efficaces dirigit epiſtolas, in quibus ſuum manifeſtat intentum. Tunc erat Calceatorum Prouincialis P. Magiſter Michaël Alphonſus de Carranza, Dominico plurimùm affectus, qui captam eius reſolutionem demiratus, & nolens tam bono & perfecto priuari ſubjecto ſimul & amico, reſpondet humaniſſimis litteris, eius deſiderium eſſe virtuoſum ac laudabile; ſed ſuadebat ipſum magis maturari tum orationibus tum conſiliis: Et quòd non reſpiceret ad contradictiones ipſi ab inimico motas; & interim licentiam concedebat recedendi ad conuentum de Vnda, vbi remotus ab æmulis poſſet quietè Deo ſibique reformando vacare.

Inſtat ampliùs Prouinciali Dominicus, mentem ſuam ipſi amico & ſuperiori fideliter aperiens, ſignificat ſe velut indubitatum credere perſecutiones viam eſſe regiam, qua ad Diuinam peruenitur vnionem; Vnde non vt fugeret perſecutiones, ad reformatam Diſcalceatorum congregationem

tranſire

tranſire volebat,ſed vt fugeret mundi honores ; & addebat tale deſiderium fuiſſe à multis annis conceptum , & à Deo inſpiratum , à quo nunc ampliùs vrgebatur , nec judicabat notæ ſibi Diuinæ voluntati reſiſtendum. Et propterea ſe expectare dicebat integram ab ipſo conſolationem , acceptans interim conceſſam gratiam recedendi ad conuentum de Vnda.

Vt efficaciùs P. Prouincialem moueret , & fœliciùs negotium expediret, commendatitias quas obtinuerat epiſtolas à Patre Archiepiſcopi Valentini & à Magiſtro equeſtris Ordinis de Monteſa (quia tam ſibi , quàm Prouinciali & nouæ Diſcalceatorum congregationi plurimùm erant affecti) ſimul ad Prouincialem dirigit : Et ſtatim ad conuentum de Vnda recedit , fœlicem ſuæ negotiationis exitum Domino commendaturus , vbi majorem Ruſticorum applauſum & moleſtiam quàm Valentiæ patiebatur, eſt enim ruſticæ gentis indiſcreta pietas.

Dum ibi manet Dominicus perſeuerans in oratione, per nobiles prædictos interceſſores à Vicario Generali Diſcalceatorum licentiam obtinet vt in congregationem admittatur,& paulò poſt epiſtolam à ſuo Prouinciali recipit, qua petitam concedit licentiam, & ſimul Dominicum orat , vt alquantum in eodem conuentu perſiſtat, donec ipſe veniat, declarans ſe velle Prouincialis officio renuntiare, vt ipſum ad Diſcalceatos comitetur , ſimulque cum eo apud ipſos maneat.

Libenter expectaſſet Dominicus Prouincialem, & libentiùs ſecum deduxiſſet : ſed timens inconuenientia majora in Calceatorum Carmelitarum prouincia ex ipſo Prouincialis receſſu, conceſſa ſtatim vſus licentia die ſequenti Valentiam venit,& ad monaſterium S.Philippi Carmelitarum Diſcalceatorum properat,vbi jam à multo tempore deſiderabatur. Sumpto reformationis habitu ſic ſibi ipſi renuntiauit , quòd cum eſſet vir ſublimiſſimæ contemplationis, & cœleſtibus aſſuetus fauoribus , ſe Patris Magiſtri noui-

tiorum

tiorum directioni totaliter commiſerit, quaſi tunc genitus infans vitæ ſpiritualis; & prima virtutum ac orationis rudimenta didicerit, quaſi nullam in his experientiam haberet. Mirum & miraculum omnibus videbatur, quòd ille qui ſanctitatem perfectioribus docere poterat, ab alio doctrinæ ſpiritualis elementa ſuſciperet.

Tranſiit Dominicus ad Carmelitarum Diſcalceatorum congregationem, vt in ſtrictiſſimo illius receſſu populorum applauſum vitaret. Sed Dominicum creauerat Deus ad majorem ſui gloriam, ad ſolatium afflictorum, & ad Eccleſiæ ædificationem: Vnde noluit eſſe ſub modio, ſed conſtituit ipſum ſuper candelabrum vt omnibus luceret. Propterea jam populus relicto Carmelitarum monaſterio concurrebat ad Diſcalceatos: Quod aduertentes ſuperiores, veriti ne ipſius occaſione receſſus turbaretur, & ſilentium ſolueretur, mittunt Dominicum Paſtranam, vt ibi nouitiatum abſolueret, credentes ipſum in tam diſſito loco non fore cognitum.

Egreſſus Valentia Dominicus, quò populi vitaret occurſum, collaterales percurrit ſemitas, donec ad vallem de Conca veniens propter montium aſperitatem, ad viam regiam redire cogitur. Accidit vt currus, quem conſcenderat, impetu currentium aut quaſi volantium mularum euerteretur: cadit Dominicus, euerſi ſuper eum currus pondere premitur, oppreſſus creditur & mortuus, dum jumentum cum crure fracto reperitur; ipſius autem pes ſolo colore liuido notatur, & incolumis ſurgit: quem ſucceſſum itineris ſocij miraculo aſcribunt.

Nouitiatus Paſtranenſis, qui ab initio reformationis hactenus perſeuerat in Prouincia Caſtellæ nouæ, fuit ſemper celeberrimus, & ſufficeret indicare ſanctas in omnium virtutum exercitio nouitiorum conſuetudines, vt Dominicum nouitium extolleremus: ſed tamen ipſe inter bonos erat optimus, inter perfectos perfectiſſimus, omnes virtutes in gradu heroïco poſſidebat; promptam & cæcam habuit obedientiam,

obedientiam, humilitatem ſummam, inuincibilem patientiam, Angelicam modeſtiam, & ſilentium maximum, quæ ſunt virtutes à nouitiis exigitæ, quaſi naturæ corruptæ reformatrices: non referuntur hic caſus particulares, cum fuerit continuò in illarum exercitio.

Inter laudabiles alias conſuetudines hujus nouitiatus hæc laudabilior reperitur, quòd ſemper in choro nouitius aliquis coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento mentali vacat orationi. Contigit ſæpè, quòd alij nouitij vel eſſent infirmi, vel eorum miniſterio deputati, vel aliis officiis occupati: ſolus Dominicus diu noctuque cæterorum omnium vices ſupplebat, ne laus perennis & juge ſacrificiū orationis deficeret; ſola quippe neceſſitate coactus inde recedebat.

Tunc contigit loca ſecreta conuentus debere mundari, ne ſuo fœtore moleſtiam religioſis æſtiuo tempore cauſarent. Hoc humilitatis officium ambit Dominicus, & ſummis obtinet precibus, ſociuſque in hoc opere deputatur ei P. Melchior à Reſurrectione: Dum vacant operi, vel feruore ſpiritus, vel abſorptus contemplatione, vel caſu decidit in ſordes illas Dominicus, inficitur totus, imò non parum ex illis deglutit, vnde corrupto malignitate illarum ſtomacho, quindecim dierum ſpatio dolorés paſſus eſt. Nec tamen tam humilitatis quàm patientiæ præmio caret; quin imò conceditur ei de præſenti, nam ex tunc redeunti de raptu vel ecſtaſi apparent Angeli, qui thuribulis aureis aromata pretioſiſſima imponentes, ipſum incenſant, ſuauiſſimoque recreant odore.

Videns Magiſter nouitiorum Dominicum tam benè præparatum mortificationi & virtuti diſpoſitum, ſatis amplam in exercendis operibus ſupererogatoriis licentiam conceſſit: Vnde & frequentiores ſumebat diſciplinas, & cilicia diutiùs ferebat, & ſæpiùs ſolo pane & aqua contentus reficiebatur. Sic autem internæ Dei præſentiæ vacabat, vt totaliter collectus oculis apertis non videret, & arrectis auribus non audiret.

Dum quadam die martyrij deſiderio motus ſummopere cuperet ſanguinem ſuum pro Domino fundere, contigit quòd in quinque partibus folij, in quo tunc ſcribebat, cadentes quinæ ſanguinis guttæ apparerent; ita quòd omnes ſanguinis guttæ eſſent viginti quinque, quæ per quinas diſtributæ in quinque folij partibus, vt dictum eſt, quinque paruas cruces efformabant, vna ſiquidem erat in medio, quatuor aliæ erant circumquaque in æquali diſtantia: Omnes verò illæ cruces figuram quinque ſacrorum ſtigmatum Chriſti repræſentabant. Obſtupuit Dominicus: Cumque adhibita ſufficienti diligentia non reperiſſet in ſe veſtigium vllum, vnde ſanguis hujuſmodi fluxiſſet, rem totam narrat Magiſtro nouitiorum, vt moris eſt, ne diabolica fraude ſparſus hic ſanguis aliquam cauſaret deceptionem: Pater nouitiorum Magiſter ſucceſſum judicat miraculoſum, folium chartæ penes ſe conſeruat; & poſt tres annos cum dimidio folium intuens ſanguinem reperit æquè viuidum ac priùs erat.

Super antiquum fornicem conuentus Paſtranenſi ædificatum fuerat oratorium, vbi ſolebant orare religioſi. Nouit Dominicus reuelatione Diuina frangendum nouo pondere fornicem, ac ruiturum conſequenter oratorium: rogat Magiſtrum nouitiorum, ne permittat vlli nocte ſequenti oratorium ingredi; jam experientia multiplici didicerat Dominicum vera prædicere; Vnde cauſam celans præcipit vt omnes in chorum & Eccleſiam ad orationem conueniant. Dominicus autem graui neceſſitate compulſus exit, verùm ſe magna vi ſenſit per capillos reduci, & judicans inſtare tempus ruinæ, (cujus tamen nullum apparebat indicium) redit in chorum, & tunc magno fragore fornix antiquus dehiſcit, & ſuperædificatum ruit oratorium abſque vllius læſione.

In die Pentecoſtes, dum Miſſæ introïtum deuotè canunt religioſi, res mira, an ſit miraculoſa judicet lector: candidiſſima quædam columba chorum ingreditur per feneſtram, &

poſtquam

poſtquam hac illac ſupra capita religioſorum aliquandiu volitauit, ſuis alis caput Dominici ſuauiter percutit, quaſi vellet ipſum recreare; deinde receſſit.

Ante finem nouitiatus aliqui ex antiquo Carmelo religioſi, jam ſentientes jacturam quam in amiſſione Dominici fecerant, cogitant ſeriò de eius reductione, media exequutioni mandant. Ad illum Paſtranum proficiſcuntur, ſecum adhibentes P. Magiſtrum Michaëlem Ruzzolam (quem ſupra fecimus religioſum ordinis S. Dominici, alij verò faciunt Carmelitam) germanum fratrem Dominici, vt Dominico reditum ad primam religionem Carmelitanam perſuadeant, multis inſtant rationibus, honores & dignitates promittunt: ſed Dei ſeruus ſignificans eis ſe nihil quærere præter Chriſtum crucifixum, & reliqua deſpicere, illos re infecta dimiſit.

Finito nouitiatus anno monent ſuperiores Dominicum, vt ſe ſolemni profeſſioni diſponat. Ille credens majoris eſſe humilitatis inter nouitios remanere, rogat & humiliter inſtat vt in ſtatu nouitiorum vſque ad mortem relinquatur. Non conſentiunt ſuperiores, ſed diſtincta die volunt profiteri, poſtquam majori receſſu & feruentiori oratione ſeipſum in holocauſtum præparauit. Profeſſionem igitur emiſit Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo, ætatis verò trigeſimo primo, in vniuerſali concurſu tam nobilium quàm ciuium totius vrbis Paſtranæ.

CAPVT II.

Mittitur Madritum Dominicus, vbi mirabilia pro Deo facit.

CRedebat Dominicus poſt emiſſam profeſſionem in aſſueta Paſtranæ ſe manſurum ſolitudine, vbi pro voto fruebatur animæ tranquillitate, & Deo ſibique vacabat. Sed Dei mirabili prouidentia & ſuperiorum diſpoſitione,

ad

ad majorem Dei gloriam & vtilitatem proximi, retrahitur è ſolitudine, & ad curiam totius Hiſpaniæ Madritum mittitur. Cum igitur patentes litteras à P. Vicario Generali miſſas recepiſſet, triſtis remanſit præuidens ibi futurum æqualem, ſi non majorem tumultum & populi applauſum eo quem fugerat per mutationem religionis. Sed quia ſemper fuit ad obediendum promptiſſimus, ſe ſtatim accingit itineri, crucem oblatam amplectendo.

Dum religioſis fratribus diſceſſurus vale dicit, conuerſus ad imaginem Beatiſſimæ Virginis è muro pendentem, cum magno feruore dixit: Ignoſce Domina ingratitudini meæ, & malo obſequio, quod in hac domo ſanctorum Filio tuo Tibique præſtiti; & peſſimo exemplo, quod ad meam confuſionem relinquo his tuis filiis, & meis Dominis ac fratribus. Tanta Dominici humilitate remanſerunt omnes ædificati, dimiſerunt illum, ac lachrymis & amore proſequuti ſunt.

Solito modo iteragendi mortificato & ædificatiuo Dominicus Madritum peruenit, vbique enim ſeu in conuentu manens, ſeu iteragens virtutis actus exercebat. Tunc ibi Magiſter nouitiorum erat P. Bartholomæus à S. Baſilio, qui ſimul Definitoris Generalis munere fungebatur: Hic propter negotia publica ſæpiùs abeſſe debebat; Vnde nè eius abſentia nouitij detrimentum paterentur, judicatur indigere ſocio, & Dominicus eligitur qui ſe totaliter obedientiæ committens acceptat officium, nouitiiſque ſuum perfectionis ſpiritum communicat.

Degebat Madriti P. Thomas de Aquino, Definitor Generalis, vir pius & doctus, qui propter fractam ſtomachi venam multos vomitus patiebatur. Contigit aliquando quòd ſtatim poſt Miſſæ celebrationem vomuerit, & inter ſtomachi ſordes apparuit hoſtia conſecrata. Turbatur tali caſu pius ille pater, eum ſolatur Dominicus & ad cellam reducit: Deinde rediens in mediis ſordibus ſacratiſſimas videt ſpecies ad inſtar ſolis fulgentiſſimas, adorat eas deuotè,

& in vno calice reponit, materiã autem reliquam vomitus in alio vaſe collocat; Hæc omnia ad majus altare conſeruat, totam noctem coram illis in oratione perducit, & mane ſequenti poſt ſanguinis ſumptionem tam ſpecies conſecratas quàm reliquam vomitus materiam reuerenter aſſumpſit, ad condignum honorem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Nec præmio caruit tam eminens actus deuotionis tamque generoſus animi motus, nam poſt Miſſam agens Deo gratias Dominicus rapitur in ecſtaſim, videt in imaginaria viſione Sanctiſſimam Trinitatem cum Angelorum infinita multitudine: Tunc Pater Æternus dixit; Qui tantùm pro nobis pati deſiderat, & tam magna pro amore noſtro facere, meretur à nobis honorari cum ſpeciali fauore; Et vocato è choris ſuperioribus Angelo præcepit, vt ſimul cum Angelo Cuſtode deinceps aſſiſteret Dominico ſuo fideli ſeruo, præueniens ipſum cœleſti luce,& adjuuans in rebus grauioribus,quas honoris ſui cauſa facturus erat:Relinquens Deus Dominicum cum illo nouo Cuſtode,benedixit eum,& viſio diſparuit. Sic deinceps animatus manſit Dominicus, quoties aliquid ad majorem Dei gloriam agendum occurreret, quod majores difficultates ipſum redderent audaciorem. Dubitabat in principio num deſcripta viſio fuiſſet à Deo, vel Dæmonis illuſio, præ humilitate ſiquidem credere non poterat,ſe tam ſingularem meruiſſe fauorem; ſed vtriuſque Angeli ſibi ad cuſtodiam conceſſi frequens apparitio, & familiaris conuerſatio prorsùs omnem remouit dubitationem.

Poſt aliquot menſes ſimiliter accidit, quòd quidam ſacerdos extraneus, poſt celebratam in Eccleſia noſtra Miſſam, alteratione ſubitánea ſtomachi vomuerit in luto.Miſit ſuperior conuentus P. Dominicum vt recognoſceret vomitum ad debitam erga Sanctiſſimum Sacramentum cautelam & reuerentiam; Accedens Dominicus ex prædicto ſplendore in caſu præcedenti ſacratiſſimas ſpecies inter ſordes cognouit, & tempore Miſſæ ſimul cum toto vomitu ac

parte

parte luti reuerenter eas ſumpſit. Factum hoc tam generoſum ſic prædictum ædificauit ſacerdotem, vt Dominici ſanctitatem extollens, per totam ciuitatem Madritenſem publicauerit.

Septem captiui Mauri cum vno Chriſtiano propter furtum commiſſum fuerant ad ſuſpendium damnati: Et quia Mauri in ſua ſuperſtitione Mahometica pertinaces mori volebant, ad inſtantiam D. Georgij Manriquez, ad quem ex illis captiuis duo pertinebant, petentibus miniſtris Regiis mittitur ad carceres Dominicus, vt miſeris illis pereuntibus ſuccurrat. Pergit ad carcerem Dominicus, inuenit Mauros pertinaces & obſtinatos vt audiuerat: ſed quia inter ipſos vnum inuenit altioris ingenij, qui cæteros dirigebat, Mahometum nomine, ipſum feruore ſpiritus potiùs quam ratione aggreditur, & tandem obtinuit ab ipſo quòd Deum humiliter rogaret, vt ſibi lumen infunderet ad cognoſcendam fidei veritatem. Rediit ad conuentum Dominicus, totam noctem in oratione & lachrymis inſumpſit, vt Mauri illius conuerſionem impetraret, & tandem obtinet. Summo mane Mahometus jam in corde conuerſus nuntium mittit ad Dominicum ſe velle fieri Chriſtianum. Lætabundus de nuntio Dominicus dat gratias Deo, feſtinat ad carcerem: Inſtruit & confirmat in fide nouum catechumenum, & cooperante ipſa gratia Spiritus ſancti quatuor alios conuertit Dominicus, & quinque ſimul baptiſmate juſtificatos regenerat Chriſto. Supererant obſtinati duo, & omnes ſeptem ducuntur ad ſupplicium, volebat carnifex ab obſtinatis executionem incipere. Rogat Dominicus vt vltimi plectantur, ſperans ipſos aliorum exemplo tandem conuertendos. Dum vnus ex Mauris recenter baptizatis per gradus ad patibulum eleuatur, obtinet Dominicus ab vno ex duobus obſtinatis vt conſentiat quòd ille ſtatim moriturus Deum oret pro ipſo cum ante Diuinam eius præſentiam peruenerit; obtinet ſimiliter ab illo morituro opus illud charitatis & pietatis erga fratrem ſuum nationalem. Res

mira, breuiſſimo poſt mortem illius temporis interuallo clamat alter ſe velle fieri Chriſtianum & baptizari, quod & Dominico & toti populo circunſtanti magnam dedit cauſam lætitiæ: Vnde ſtatim poſt aliquam inſtructionem baptizatur, & poſt mortem inſtantaneam conſequitur vitam æternam. Et ſic ex ſeptem vnicus in ſua perfidia miſerè periit.

Similes conuerſiones aliis Dominici prodigiis adjunctæ maximam ſanctitatis opinionem conciliarunt: Et tantus erat populorum applauſus, quòd nuſquam antea majorem habuerit. Superiores noſtræ Congregationis ſingularem & extraordinarium videntes Dominici ſpiritum, quamvis pij & docti, non ſibi fidebant in eius examine propter piam erga eum affectionem: Vnde vt ſimul ſapientibus & inſipientibus in hac parte ſatisfacerent, extraneos idoneoſque procurant Spiritus Dominici examinatores: qui regulis infallibilibus adhibitis, & maximè tam ſublimem videntes eius ſanctitatem, cum tam exacta obedientia & profunda humilitate, quæ nunquam cohærent cum Dæmonis illuſione, juſtam in eius defenſionem ſententiam vnanimiter tulerunt.

CAPVT III.

Deſtinatur Complutum Dominicus, vt ſtudeat Theologiæ Scholaſticæ.

PRæter generales rationes, quibus noſtra Diſcalceatorum congregatio mota ſolet religioſos clericos ſtudiis occupare; Tum quia ſeminarium errorum ignorantia eſt, etiam in ſuiipſius directione; Tum quia ſine ſcientia vix poteſt quis proximo prodeſſe, cum tamen ex inſtituto noſtro debeamus etiam vtilitati proximi vacare; Tum quia ſine ſtudio, vix poſſit quis diu in cella perſeuerare, qui tamen receſſus eſt omninò pro contemplatione neceſſarius,

quæ

quæ eſt potior pars noſtri inſtituti: Habuit particulares vt Dominicum ſtudiis occuparet; Tum vt concurſum à Nouitiatu Madritenſi remouerent, debent enim quieti viuere Nouitij; Tum vt applauſum populi vitaret Dominicus, ipſi moleſtum & periculoſum; Tum vt ſtudio Theologiæ Scholaſticæ Theologiam myſticam aliquantulum intermitteret, cujus exercitium ſaltem ſanitati eius credebatur eſſe nociuum.

Deſtinatur igitur Complutum, vbi floret celebris Caſtellæ nouæ Vniuerſitas. Cognita ſuperiorum voluntate ſtatim iter arripit, pergit quò eum mittit obedientia, gaudens maximè, quia ſperabat ſe ſub titulo Scholaris nomen ſancti perditurum. Vbi peruenit, ſeriò ſtudiis vacat, vt ſtudiorum adminiculo majorem Dei notitiam ac ſimul majorem eiuſdem amorem poſſet acquirere: Et quantò magis latere deſiderat, tantò magis eum Deus miraculis & cœleſtibus gratiis manifeſtat.

Tunc erat Compluti Vir ſimplex & rectus, ac opinione ſanctitatis celeberrimus, nomine Franciſcus, Vrbis illius Xenodochio deſeruiens, qui noſtros Carmelitas affectu ſpeciali diligebat, & ad ipſos tranſire cogitabat: Iam ad præceptum Beatiſſimæ Virginis ſibi apparentis circa hoc votum emiſerat; ſed contradicente tota penè Hiſpania & inſtante Rege apud Summum Pontificem eius diſpenſatio venerat, credebatur enim receſſus eius bono publico nociturus, cum recedens tot pauperes quæſitis eleemoſynis ſuſtentare non poſſet. Dubius in tam graui negotio Dominicum conſulit, cujus ſanctitatem publica nouerat fama. Orat Dominicus vt ſolebat, antequam conſilium præbeat, & cognita voluntate Diuina Fratri Franciſco in nomine Domini præcipit, vt prouiſis Xenodochio diligentibus miniſtris ſui curam ſuſcipiat, & ad noſtros tranſeat Diſcalceatos; quod cum fauſtè compleuiſſet, mirabili poſtea ſanctitate ſua (quæ nunc in ordine ad eius beatificationem inquiritur) euidenter oſtendit conſilium Dominici fuiſſe

Diuinitùs inſpiratum, quamvis tunc eſſet ab hominibus reprobatum.

Non longè ab vrbe Complutenſi palatium erat rurale Ducis de Medina cœli : Is cum plurimùm noſtros amaret Diſcalceatos, ipſi pluribus obſtrictos beneficiis, à P. Vicario Generali precibus impetrat, vt illuc ad ſui ac Duciſſæ conſolationem mitteretur Dominicus per aliquot dies ibi manſurus : mittitur Dominicus, & P. Prior Collegij Complutenſis jubetur illum comitari. Recipitur vterque tam à Ducibus, quàm ab aliis etiam ruſticis ſumma deuotione, ibique Dominicus ſuis exhortationibus monita ſalutis dando, & confeſſiones audiendo multas Deo lucratur animas.

Inde diſceſſuri P. Prior & P. Dominicus ad vicinam inuitantur villam, quò etiam conuenerant Eccleſiaſtici quidam & ſæculares conuiuæ. Sub finem prandij petit à P. Priore Dominicus, vt aliquid ad præſentium ædificationem diceret, ex cujus licentia tanto cum feruore Eccleſiaſticorum negligentias & peccata cœpit declamare, quòd omnes terruerit, & vnum inter alios compunxerit : Is erat Parrochus diues, qui diuitiis & potentia plurimùm abutebatur. Cunctis de menſa ſurgentibus ſeorſum iſte Dominicum conuenit, & gratias agit plurimas de monito ſingulari : Reſpondet Dominicus ſe pro ipſo ſpecialiter peroraſſe, cum miſerum conſcientiæ ipſius ſtatum cœlitùs didiciſſet ; emendationem vitæ ſuadet, Diuinum promittit auxilium, ac ſimul Diuinam minatur indignationem ni reſipiſcat, dicens à Deo clementiſſimo æquè ac juſtiſſimo decretum eſſe ipſum breui moriturum, ſi rediret ad vomitum : Conuerſus omninò Parrochus conſcientiam ſuam apud P. Dominicum Confeſſione generali emundat, & promittit vitæ reformationem.

Redibant Complutum, ſolus præcedebat Dominicus, vt liberiùs internæ collectioni vacaret : Tardiùs ſequebatur P. Prior cum aliis, qui cum de ſanctitate Dominici, & maximè de prompta eius obedientia colloquerentur, & Prior

addidiſſet ipſum ſuperioris præceptum mente conceptum ac vix intimatum exequi; ad eorum ædificationem & dicti ſui confirmationem dixit Dominico longius diſtanti, ita quòd audire non poterat; P. Dominice projice te in fluuium, in cujus ſcilicet ripa gradiebatur; & ecce ſubitò vt erat veſtitus in illum ſe projicit. Vnde cæteri turbantur, ibique ſe voluit, donec egredi juſſus ad ripam rediit: Et Deus in præmium tam promptæ obedientiæ Dominicum cœleſtibus deliciis aliquot dierum ſpatio recreauit.

Anno ſequenti, dum adhuc Compluti maneret Dominicus, prædictus Parochus in periculoſum incidit morbum, qui ſtatim nuntium miſit ad noſtrum Complutenſem conuentum, cum commendatitiis Duciſſæ de Medina cœli litteris ad Priorem, vt Dominicum obtineret tanquam ſibi maximè neceſſarium in periculo mortis. Audito nuntij aduentu Dominicus, agnouit Parrochum ad vomitum rediiſſe: Pergit ad ipſum ex obedientia, reperit non triſtem, ſed magno perfuſum gaudio, ſibique dicentem audit; Confiteor me vidiſſe Chriſtum, & iterum atque iterum adoraſſe. Verùm examinatis hujus apparitionis circunſtantiis, ſeruus Dei concludit ſpiritum tenebrarum ſe in Angelum lucis transfiguraſſe. Vnde dicit infirmo eum quem viderat eſſe Dæmonem, qui ſub ementita Chriſti forma voluit ipſum deludere, & illuſum damnare: Et accipiens præ manibus Crucifixum quem ſub Scapulari geſtare ſolebat ad pectus, ait; Hæc eſt imago vera filij Dei, qui crucifixus fuit pro noſtra redemptione, hanc imaginem humiliter oſculare, ac Dæmonem deteſtare.

Dum illuſum reducere conatur Dominicus, Res prorsùs ſtupenda! Dæmon ſub ficta eiuſdem Dominici figura comparet ex altera lecti parte, vt cauſam ſuam agat, & cœptam perficiat illuſionem, & attonito ac penitùs mirabundo dixit infirmo: Variæ ſunt Dæmonum inſidiæ, vt homines decipiant, & in æternum perdant; Voluit te Deus præterita viſione ſolari, & in fide paſſionis confirmare, vt fuſi ſangui-

nis ipſius fructum perciperes : ſed Dæmon ſciens quòd me Fratrem Dominicum vocaueras, ſumpta mea forma & habitu præuenit me, vt poſſet te nefario decipere ſacrilegio, & Chriſtum quem tuis oculis vidiſti, Dæmonem eſſe perſuaderet. Ego ipſe verus ſum Dominicus, qui te anno præterito ad obſequium Dei & viam ſalutis reduxi, & quem nunc aduocaſti; Ille alius quem Dominicum credebas, Dæmon eſt, ne dictis eius auſcultes, vult te decipere.

Hæc audiens Dominicus obſtupeſcit, & miratur Dæmonis audaciam & malitiam; & zelo Dei motus, vt periclitanti ſubueniat animæ, falſum intuetur Dominicum, & arguit mendacij ac perfidiæ; multa Dæmon opponit, & altercatio inter duos Dominicos, verum & fictum, diu protrahitur, volebat enim Dæmon hac dilatione moribundum ſic deluſum ad vltimum vitæ & ad æternam damnationem reducere: eóque Dæmonis fraus deuenerat, vt infirmus fictum acceptaret Dominicum, & verum à ſe repelleret.

Videns Dominicus, quòd infirmitas illius miſeri magis aggrauabatur, & nullum afferebatur ipſius animæ remedium, accedit ad infirmum, & procumbens in genua manum morientis vel inuiti ac renitentis aſſumit, & humiliter oſculando ſic ait : Ego Frater Dominicus à Iesv Maria ſeruus indignus Noſtræ Dominæ de Monte Carmelo confiteor me indignum oſculari manum hanc conſecratam, in qua ſæpè fuit meus Dominus; erga quem ſum ingratiſſimus; ſed pœnitet me toto corde, ab illo miſericordiam peto, & impetraturum confido.

Deinde conuerſus ad infirmum ait; Fac Domine quòd ille alter Dominicus idem etiam dicat; & quis ſit illuſor, cognoſcetur. Cum doctus eſſet Sacerdos moribundus, pactum approbat, & fictum reſpiciens Dominicum, ad eliciendos ſimiles actus humilitatis, pœnitentiæ & ſpei inuitat. Sed victus & confuſus Dæmon horribilem edens vocem ſic ait : Ego nec poſtulo, nec ſpero miſericordiam, pœniteat Deum qui me contra juſtitiam torquet, ego non debeo nec volo

volo pœnitere : Hiſque blaſphemè prolatis ſtatim diſparuit. Tunc infirmus de tam mirabili ſucceſſu plurimùm attonitus, magnam lachrymarum copiam profudit, & verè de peccatis contritus Dominico confitetur, optiméque diſpoſitus alia ritè ſuſcipit Sacramenta, & moritur in Domino.

CAPVT IV.

Occaſione peſtis Dominicus Barcinonem proficiſcitur, vbi mirabilia facit.

GRaſſabatur in principatu Catalauniæ peſtis, & ciuitatem Barcinonenſem plurimùm affligebat. Iam quinque Carmelitæ Diſcalceati, qui ex charitate deſeruiebant infectis, malignitate peſtis obierant : Cumque ad ſimile charitatis officium alij deſiderarentur religioſi. R.P.Nicolaus à IESV MARIA oriundus ex illuſtriſſima domo Genuenſi Auriaca, Vulgo Doria, Vicarius Generalis volens tam publicæ quàm domeſticæ neceſſitati prouidere,& aliàs nolens vlli vim inferre,permittit P.Prouinciali vt ex noſtro Complutenſi collegio religioſos ſtudentes educat, qui ſe ſponte ad miniſtrandum peſte laborantibus ſacrificare vellent.

Venit Complutum P. Prouincialis, exponit publicam neceſſitatem, ac R. P.Vicarij Generalis voluntatem. Tunc multi ad hoc charitatis eximiæ,& heroïcæ obedientiæ opus vltrò ſe offerunt : Et inter alios primus ac majori feruore Dominicus, millies mori paratus pro majori Dei gloria, & proximorum ſalute, qui tempore morbi contagioſi facilè derelinquuntur timore communis ruinæ, cum maximo ſalutis tam corporalis quàm ſpiritualis detrimento.

Iam tribus annis Theologiæ Scholaſticæ vacauerat Dominicus, cum tam periculoſæ deſtinatur miſſioni. Die ſequenti ſuam electionem hilaris & lætabundus cum electis

ſociis iter aggreditur. Cum propè Cæſar-auguſtam veniſſet, in media reperit via captiuum Mahometicæ legis infirmum à ſuo Domino derelictum: Miſerabili eius ſorti tam corporeæ quàm ſpirituali condolens, hanc occaſionem ſibi diuinitùs oblatam arripit, vt ipſum captiuum ad fidem conuertat. Vnde ſe totum eius obſequio committit; ſocios rogat ad ſuum admittere currum: Eleuatum igitur imponit currui, deponit & reponit quoties opus eſt, ac promptè ſemper quaſi mater illi deſeruit. Agit cum illo de ſua conuerſione ad fidem Chriſti, tamque ſuauiter ſimul ac fortiter rationibus vrget, vt captiuus eximia Dominici charitate præuentus, & piè affectus ad legem Chriſtianam quæ ſimilia præcipit opera charitatis, propoſitiones ſibi factas in principio libenter audiret, ſe Patris precibus commendans; Deinde ſuæ conuerſioni aſſentiens fit catechumenus, de myſteriis fidei per viam diligenter inſtruitur, ac tandem vbi Barcinonem peruenerunt baptiſmi ſuſceptione fit Chriſtianus.

Cum Dominicus Barcinonem ingreditur, vt ſe peſtifero laborantibus morbo deuoueat, morbum hunc contagioſum ceſſaſſe reperit, quaſi ipſe foret Angelus pacis & ſalutis. Vnde deſtinatur aliis operibus pietatis: Et occupatur in audiendis confeſſionibus patientia & aſſiduitate maxima, quibus mirabilem animarum profectum operabatur, non tantùm induſtria propria, ſed etiam virtute ac directione Diuina; In hoc enim tribunali miſericordiæ cœleſti luce perfundebatur vt pœnitentium conſcientias videret, & intimos etiam ſinus penetraret, vt quotidiana conſtabat experientia, nam dubia peccata declarabat, oblita ſuggerebat, & ſecretiſſima manifeſtabat; Vnde in conſcientiis velut in libro legebat, vt ſequentibus exemplis confirmatur.

Acceſſit ad eum aliquando vir quidam ſceleratus, qui tamen ſecretò peccabat. Deo ſic inſpirante vult eum Dominicus mirabili modo confundere, vt poſſit tandem conuertere. Vnde cœpit peccatorum ipſius ſeriem texere, commemorando

memorando priùs ea quæ adhuc in tenera commiſerat ætate, & ſic ætates ſingulas percurrendo tandem omnia manifeſtauit. Quibus omninò confuſus, & in Dominico diuinam virtutem admiratus ſe ad eius pedes prouoluit, & cum multis lachrymis peccata ſua confeſſus vitam corrigens in bonis operibus perſeuerauit.

Volens Deus conuerſionem duorum nobilium, quorum vnus Madriti, alter Hiſpali viuebat in miſero ſtatu peccati, eos Dominico in viſione ſupernaturali manifeſtat, præcipitque vt pro eorum conuerſione inſtanter oret: cumque ab ipſo miſericordi Domino precibus ac pœnitentiis obtinuiſſet; res ita Dominus diſpoſuit, vt illi nobiles eodem omninò tempore in ciuitatem Barcinonenſem & in conuentum noſtrum venirent; ſi ipſos conſideremus, non alio quàm curioſitatis titulo; ſed ſi Diuinum attendamus decretum, propriæ conuerſionis ratione. P. Prior conuentus ad illos non petentes mittit Dominicum, vt eos pia conuerſatione per conuentum deduceret. Vt eos Dominicus intuetur, agnoſcit eoſdem eſſe quos in præterita viſione conſpexerat: Tunc vtrumque ſeorſum accipiens, ſecreta conſcientiæ cuique manifeſtat, malum peccati ſtatum detegit, tantáque ad conuerſionem hortatur efficacia, vt contritos & conuerſos à ſe dimiſerit.

Alius nobilis, qui multo tempore ſorduerat impudicitiis, in extremis conſtitutus miſeram in manibus concubinæ agebat animam. Accedit ad eum Dominicus, jamque ſenſibus deſtitutum reperit: Deumque rogat vt morienti tempus pœnitentiæ concedat. Tunc ipſum moribundum ſenſibus Diuina pietate reſtitutum alloquitur, ſummam erga ipſum Dei miſericordiam extollit, qui penè lapſum ad inferos eripuerat; miſerum damnationis ſtatum exponit, ad reſipiſcentiam & Sacramentalem peccatorum confeſſionem efficaciter hortatur; cumque per actus contritionis, gratitudinis cæterarumque virtutum morti diſpoſuiſſet, ad cœlum tranſmiſit.

Caſus mirabilis erga alium nobilem Dominico ſucceſſit. Dum die quodam extra Barcinonem ambularet ille nobilis, qui caſu miſerabili ad extremam deuenerat paupertatem, apparuit ei Diabolus, qui cauſam mœſtitiæ extorquens immenſas promittit diuitias, ſi ſeipſum eius obſequio traderet: Conſentit miſer victus deſiderio vitandæ tam grauis indigentiæ, & chirographum contractus proprio firmatum ſanguine conſignat.

Sed cum Diabolus ſit mendax & peſſimus Dominus, nouum clientem tam crudeli tyrannide vexat, vt aſſumptis aliis Dæmonibus ipſum poſſideret, & miris cruciatibus quotidie torqueret. Conducitur miſer ad Dominicum, qui eum hortatur ad reuocandam promiſſionem Diabolo factam, quaſi fraudibus extortam ac Deo vero Domino injurioſam; Deinde ad actus contritionis excitat: Denique Diabolum crudelem tyrannum ad reſtituendum contractus Chirographum, & ad recedendum ſimul cum aliis poſſeſſoribus injuſtis compellit. Expulſus ab illo corpore Diabolus, ſtatim condenſatis nubibus horribilem cauſat tempeſtatem vehementibus ventis agitatam, quæ præſertim in noſtrum conuentum & in cellam Dominici deſæuiit, maximam lapidum nucibus majorum pluuiam præcipitando; qui tamen cellam penetrantes, vbi tunc erat Dominicus Deo gratias agens de beneficio, nullum omninò damnum intulerunt, licet ſumma cum violentia ventorum impetu raperentur.

CAPVT V.

Singulares Diuinos fauores recipit Dominicus.

QVamvis Dominicus toto vitæ tempore plures Diuinos fauores receperit, vt jam ex parte dictum eſt: hoc tamen tempore tam ſingulares recepit, vt credi vix poſſint niſi pia adſit affectio. Sed recordetur beneuolus lector Dominicum eſſe ſanctum ſingularem, quem Deus ab ipſis incunabilis

cunabilis maximæ ſanctitati præparauit: Vnde credat mirabilibus Dei prodigiis in ipſo factis. Et licet multos ſimiles fauores receperit, qui volumen integrum replere poſſent; ipſe tamen ex humilitate majori ex parte reticuit, & ſola coactus obedientia ſequentes manifeſtauit. Cum enim exteriùs aliqualiter apparerent, ſuperiores conueniens, imò neceſſarium eſſe judicarunt ad majorem Dei gloriam & animarum vtilitatem, ipſi præcipere, vt eos proprio confeſſori manifeſtaret: quod fideliter verus obediens exequutus eſt, licet vt verus humilis interiùs repugnaret; Vnde contigit quòd aliquando repertas horum fauorum relationes à Confeſſore ſcriptas fregerit.

Currebat annus Domini milleſimus quingenteſimus nonageſimus tertius, & dies decima quinta menſis Auguſti Aſſumptioni Beatiſſimæ Virginis ſacra aduenerat: Cum Dominicus cœpit à Deo & ab eadem Sanctiſſima Virgine majores ac frequentiores recipere fauores, qui continuis quindecim diebus ſequentibus perdurarunt; & tantam ſpiritus ſuauitatem ac animæ conſolationem cauſabant, vt in perpetua videretur ecſtaſi remanere: Tam violenter corpus in aëra rapiebatur; quòd vix religioſi plantas pedum eius in altum eleuati poſſent attingere manibus. Inde ſæpiſſimè neruorum contractiones ſucceſſerunt, quæ valde ipſum torquebant; Inde etiam proceſſit, quòd poſtea maximam ſanguinis copiam ex ore projiciebat, & tanta corpori debilitas accidit, vt cogeretur in lectulo jacere non ſecus ac ſi per annum infirmitatibus grauiſſimis laboraſſet.

Die vigeſima Auguſti, quæ fuit hebdomadæ ſexta, dum ſub veſperam vacat orationi, cœpit aër grauidis obduci nubibus, quæ tonitrua, fulgura & fulmina penitus horribilia pariunt. Præcipit ei ſuperior vt conſuetis Eccleſiæ exorciſmis tempeſtatem diſſipet: Sumpto præ manibus crucifixo, tanto feruore nubes procelloſas conjurat, vt in ecſtaſim raptus hæreret. Tunc Dæmones vidit tempeſtatis authores, qui nimia rabie ſub magna confuſione ſimul irruentes

in

in eius perniciem, & in totius conuentus, imò & ciuitatis ruinam conſpirabant: ſed armatus crucifixo Dominicus totam nubium tempeſtatem diſſoluit, & inde Dæmones fugere compellit. Fugatis Dæmonibus adeſt illi mellifluus Bernardus, cujus erat ſolemnis dies: Et dum eum contemplatur, in ſuis videt manibus paruulum Ieſum tanta pulchritudine radiantem, vt præ jubilo mentis exclamare cœperit; Ieſus in meis manibus! in meis Ieſus! in meis! Hoc clamore de myſtico ſomno excitatus ad ſe rediit, & aduertens adeſſe religioſum, ne cogeretur ei viſa referre, ait; Opprimor ſomno, & adhuc videbar dormire.

Nocte ſequenti dum vacat contemplationi, videt Chriſtum Regem, & Mariam Angelorum Reginam, quos ſumma excipit veneratione ac mentis jubilo.

Poſtridie rapitur in ecſtaſim, & tanto impetu corpus eius eleuatur, vt caput tectum cellæ tangeret; ſic eleuatus tota nocte perſeuerat. Adeſt illi Beatiſſima Virgo multorum Angelorum turmis comitata, ſicut & plurium Sanctorum, quibus ſpecialiter affectus erat Dominicus. Adeſt etiam Chriſtus majori cœlitum comitatu decoratus. Tunc facta eſt inter S. Bernardum & Noſtrum Dominicum pia contentio, quis eorum affectu majori Beatiſſimam Virginem coleret: cumque Dominicus Bernardo non cederet, Deipara Virgo contentionem terminat dicens; Verè ô Bernarde ſeruus meus Dominicus me multum amat,& propter amorem meum pluribus meis deuotis ſæpè juuit; Propterea æquum eſt, vt maximum erga ipſum amorem meum ei manifeſtem,concedens nunc illi fauorem illum,quem aliàs tibi conceſſi: Et tenerè complexa Dominicum applicat ſuo pectori, & ſacratiſſimo lacte refecit; Fuit hic realis, & non ſolùm imaginarius fauor, nam tantum inde dulcorem hauſit, vt poſtea cum ineffabili ſuauitate labia ſibi lambebat.

Nec minus liberalis fuit Chriſtus erga Dominicum: Accedit enim, vt majus conferat beneficium; ſed non valens Dominicus proximitatem tantæ gloriæ ac tam magnæ majeſtatis

jeſtatis ferre, clamat dicens, Impotens ſum Domine ſine me, vel juua tantiſper. Tunc confortans & diſponens eum Dominus fauori concedendo complectitur amicabiliter, & ſacrato ſuo lateri ſuauiter admoto pretioſiſſimum ſanguinem ſuum ſumendum concedit. Verè potuit Dominicus cum S. Auguſtino in ſimili myſtica viſione conſtituto dicere; Quò me vertam neſcio. Hinc paſcor à vulnere, inde lactor ab vbere. Deinde interrogatus à Chriſto, ſi nunquam ipſum relinqueret; Reſpondit, Domine non relinquam te: Cumque Chriſtus in præmium amoris ac promiſſæ fidelitatis ſignificaſſet ſe velle ſacra ſua ſtigmata corpori ipſius imprimere, in ſignum ſui erga ipſum amoris: humiliter deprecatur Dominicus tam liberalem Dominum, ne fauorem hunc viſibilem ſibi concedat, quæ populorum applauſum & æſtimationem ſibi conciliaret, cum eius Diuinæ majeſtati non deſint alij modi inuiſibiliter ipſum gratificandi, velut charitatem augendo, & concedendo vires ad crucem ferendam. Annuit Dominus humillimis Dominici precibus, & amorem ſacrorum ſtigmatum impreſſit animo: Ex tunc enim Dominicus maximam erga ſacra ſtigmata deuotionem in ſe ſentiebat, & ſæpiùs Miſſam de illis celebrabat,

Conceſſis tot fauoribus diſcedens Chriſtus Dominicum cum Sanctiſſima Matre ſua reliquit, quæ de nouo ſuum fidelem ſeruum fauoribus cumulat; eique ſignificat vt D. Bernardo diceret quicquid deſideraret, quod ipſa reſciens per Bernardum libentiſſimè concederet. Quod audiens Dominicus, nec amplius conſulens data voce clamat: Precor, ad fœlicitatem æternam recipi cum his omnibus; illos intelligens, quos in memoriali deſcriptos habebat, vt in ſuis precibus Domino commendaret: Et tunc raptus & viſio ceſſarunt.

Die vigeſima tertia Auguſti, quæ fuit dies Lunæ, cum occaſione præcedentium fauorum & raptuum, Dominicus ſummam corporis debilitatem ac frequentes vomitus pateretur,

teretur, jubet ipſi P. Prior vt hauſtum confortatiuum à Medicis præſcriptum ſumeret. Dominicus qui cauſam infirmitatis ſuæ nouerat, & præuidebat hujuſmodi potionem ſtomacho potiùs nocituram quàm profuturam, cæca bibit obedientia, memor abſynthij & fellis Chriſti Domini; Vnde dolorem percepit incredibilem, donec totaliter ſumptam potionem euomuerit.

Sub veſperam ejuſdem diei, quando noctis crepuſculum incipiebat, Dominicus cœleſtem audit melodiam, qua rapitur in ecſtaſim: Vidit chorum Angelorum, qui tangentes inſtrumenta muſica feſtum ſolemne celebrabant: ſequebantur aliæ cœleſtium ſpirituum & ſanctorum turmæ; & tandem Chriſtus Dominus cum Sanctiſſima ſua matre agmen terminabat, qui Dominicum ſic alloquitur: Non debebam ad te hac nocte venire, ſed ſola Mater mea; ſed quia te mortificaſti propter amorem meum, volui etiam præſens adeſſe matutino, quod ipſe cantare debes in eius honorem. Deinde cum Sanctiſſima Matre ſua pulcherrimum conſcendens thronum præcepit Dominico, vt matutinum inciperet; Angelis autem & Sanctis, vt illud proſequerentur. Hora decima, quæ eſt ſecunda ante mediam noctem auditus eſt ab aliis religioſis alta & ſonora voce cantare Dominicus; Domine labia mea aperies; & mox, Deus in adjutorium meum intende; Et in fine cujuſque nocturni. Pater noſter, &c. cumque aliqui Angeli alteri miniſterio occupati ceſſarent à cantu, dicebat interdum Dominicus, Omnes, omnes; quaſi ad cantandum excitaret.

In medio tantæ ſolemnitatis cohors ſpirituum infernalium, velut inuida tantæ gloriæ, eam turbare tentauit, horribilem in aëre ſupra conuentum excitans tempeſtatem. Religioſi qui tunc matutinum recitabant, timore perculſi ſtatim illo finito ad orationem coram Sanctiſſimo Sacramento confugerunt: Sed Dæmones furore perciti fulmen in cellam Dominici vibrant: quod aduertens ſeruus Dei perſeuerans adhuc in ecſtaſi ad Beatiſſimam Virginem recurrit, cujus

cujus imperio tempeſtas aliò diuertitur; Vnde clamat Dominicus, Miraculum Domina, miraculum: Eique gratias agit, ſimulque Filio aſſidenti, quorum nutu cuncta reguntur. Deinde Dæmonibus crucifixi virtute repulſis ad choros Angelorum & Sanctorum rediit, & laudes incipit canere, quas cum cœleſti harmonia compleuit: cujus vocem ipſe Dominicus ſuauiter excipiebat, ipſius autem Dominici cantum audiebant religioſi ſuperioris juſſu ibi remanentes, vt hæc arcana notarent. Finitis laudibus, & obtentis à Chriſto Domino, & à Beatiſſima Virgine variis fauoribus ad ſe rediit; & ſequenti mane tantum expertus eſt corporis vigorem, ac ſi nunquam debilitatem vllam paſſus fuiſſet.

Inter ecſtaſes hujus diei vigeſimæ tertiæ Auguſti vidit Matronam quandam, quæ denominabatur cognata, tunc in igne Purgatorij detentam: Hæc fuerat Carmelitis & Dominico piè affecta. Apparuit autem illi, vt auxilium pro ſua libertate poſſet impetrare: Compaſſus Dominicus eius pœnis ſua merita meritis Chriſti ac Beatiſſimæ Virginis vnita pro ipſa libenter obtulit, & obtinuit vt ſequenti die veneris liberaretur; ipſaque jam libera & gloriæ radiis perfuſa rursùs eadem die Dominico apparuit, eique ſummas pro ſua libertate gratias agit.

Die vigeſima quarta Auguſti S. Bartholomæo Apoſtolo ſacra Miſſam celebrauit, vbi eleuatus in ſpiritu vidit eundem Apoſtolum inter alia ſibi dicentem in nomine Domini, quòd à continuorum vomituum moleſtia liberaretur: quod ita ſucceſſit, vt fuerat promiſſum, ex tunc enim cœpit in ſtomacho retinere quæ comederat.

Nocte ſequenti duabus circiter horis ante medium eius, dum eſſet in lecto, & piis cogitationibus ad ſomnum ſe præpararet, rapitur in ecſtaſim, & eleuato in aëra corpore vidit Chriſtum Dominum ejuſque Sanctiſſimam Matrem cum eadem gloria, eodem cœlitum comitatu, ac eadem cœleſti harmonia, qua nocte præterita. Cumque Chriſtus ei di-

xiſſet ſe velle, vt ipſe ſolemnem hac nocte Miſſam celebraret, ab Angelis ad pretioſum ducitur thronum, vt ſe ſacerdotalibus indueret veſtibus. Aſſignatur ei S. Ioſeph Diaconus, & S. Franciſcus ſubdiaconus. Mittunt hi Angelum ad Chriſti thronum, vt ab eius ore diſcerent quænam Miſſa foret cantanda : Remittit Chriſtus electionem eorum deuotioni; Tunc S. Ioſeph indicat Miſſam de Beata Maria ſua ſacratiſſima ſponſa, eam indicat S. Franciſcus de ſacris ſtigmatibus ; Dominicus controuerſiam determinat dicens : Honor qui matri exhibetur, eſt filij; Cantemus igitur Miſſam de Beata Virgine, & tam Matrem quàm Filium honorabimus. Placuit Chriſto, placuit & cunctis cœlitibus Dominici reſolutio: Vnde cœlites in choros diuiſi canere cœperunt; Salue ſancta Parens. Cum accedit ad altare Dominicus, aſſurgit Chriſtus, & omnes Eccleſiæ ritus obſeruati fuerunt. Non fuit facta conſecratio : nam intellexit Dominicus velle Chriſtum vt de ſua viſibili præſentia contentus eſſet, nolentem hora ſacrificandi diſpenſare, ac ſimul volentem nouo fauore ipſum beare : tempore namque communionis adducta fuit Dominico per Angelum particula conſecrata, & ipſe Chriſtus ipſi ſacrum latus aperuit, vt eum ſuo ſanguine pretioſo reficeret. Finita Miſſa deponit ornamenta Dominicus, Chriſto ac Beatiſſimæ Virgini ſummas agit gratias; à quibus animatur vt pro ſe ipſis laboret, cum eum elegerint vt innumeras animas à peccatis liberaret. Vt illum nouis cumulet beneficiis, jubet ſedere, & ſingulos Angelos ante eum tranſeuntes flectere genua, & diſcedendi facultatem ab ipſo petere: Ipſeque Chriſtus cum Sanctiſſima ſua matre poſt datam ei benedictionem receſſit. Hactenus fuerat in aëre ſuſpenſus Dominicus, & Angelorum miniſterio reponitur in lectulo, ac ſuis ſenſibus reſtituitur.

Mirabilis eſt Deus in omnibus, & maximè in honorandis fidelibus ſuis amicis : Propterea dicit Regius Propheta; Nimis honorati ſunt amici tui Deus : Et certè in hoc videtur exceſſum quendam, ſi ſic fari liceat, committere. Sed

quid

quid mirum,cum deliciæ eius ſint eſſe cum filiis hominum? Hæc mira quæ fecit Dominico,poſſunt confirmari ex aliis, quæ dilectis animabus alibi feciſſe legitur. Pius lector hæc mirabitur,ſed credet; non enim ſimilia ſcribimus animalibus hominibus, qui non percipiunt ea quæ Dei ſunt, nec credere volunt quæ non vident. Hæc autem contigerunt partim ſenſibiliter, cum Dominicus verè ſit ab aliis auditus canere; partim etiam in viſione imaginaria & intellectuali, cum in eodem loco ſuſpenſus perſeuerans in illa myſtica celebratione toties motus eſſe dicatur, ac ſacerdotalibus veſtimentis indutus. Hoc genus Miſſæ ſine conſecratione ſatis vſitatum eſt apud Luſitanos, maximè dum majoribus nauibus ad Indias Orientales nauigant, & eſt periculum proximæ tempeſtatis.

CAPVT VI.

Dæmonum perſecutiones patitur Dominicus, & ab his diuinitùs liberatur.

IN medio tot gratiarum & fauorum Dei ac Deiparæ Dominicus penè cœleſtibus fruebatur deliciis,quibus ſe plurimùm reputabat indignum; Et tutiùs judicabat iter crucis. Deoque acceptius. Vnde vt ſe Chriſto Magiſtro ſuo tanquam ſeruus fidelis conformaret, motiuo etiam gratitudinis pro tot beneficiis & fauoribus receptis erga tam liberalem Dominum; dolores, perſecutiones & cruces in ſuis ſoliloquiis ab ipſo poſtulabat.Dicebat aliquando pia cum exclamatione: ô Deus meus, ſi tandem mihi concederes pro te mori, ô quàm fœlix eſſem! Da mihi labores, fac me crucis tuæ participem: Benè meritis præbe delicias, mihi miſerrimo & ingratiſſimo dolores. Hæc & ſimilia continuis votis & ſuſpiriis exclamabat Dominicus, & Dominus qui pati voluit vt intraret in gloriam ſuam, tam ſancta

approbans deſideria, tanquam alterum Iob ad majorem gloriam nominis ſui, ad patientiæ probationem, ad meritorum augmentum, ad fidelium ædificationem, & tandem ad Dæmonum confuſionem, ipſiſmet Dæmonibus torquendum relinquit ipſum ad tempus: ſed mirabiliter per Angelos liberat.

Quadam nocte, dum ſimilibus cum Domino ſoliloquiis occupatur, irruit in cellam eius numeroſus Dæmonum exercitus, qui ſub horribilibus apparentes figuris crudeles intentant minas, & terribiliter clamant ſe licentiam omnem à Deo juſto judice contra ipſum obtinuiſſe, vt ſe de tot malis ab ipſo receptis vindicarent. Et multa ſimilia inſolenter objiciebant, vt ſeruum Dei terrerent.

Vt Dominico ſublatam eſſe cujuſlibet auxilij ſpem demonſtrent, aliqui portam occupant, alij feneſtram cuſtodiunt, alij per aëra diſperſi fideliter inuigilant. Tunc illorum Præpoſitus in tenebricoſo ſedens Throno, Dominicum ſiſtere jubet, præcipit adeſſe teſtes ſcelerum ipſius accuſatores, & tandem imperat carnifices eſſe paratos ad ipſum ſæuiſſimè torquendum. Rapitur ad iniquum tribunal Dominicus, & confuſis vndique vocibus accuſatur, & ad extremum poſtulatur ſupplicium.

Intrepidus manet Dominicus & audacter ait: Hoc totum eſt deſiderium meum pro Chriſto pati, nunc irruite in me, paratus ſum ad omnia, quæ Domini mei permiſſione contra me facietis. Ah proditor, ſubjungunt Dæmones, multa & maxima commiſiſti ſcelera. Et producere volentes, quidam imponunt falſa, quidam autem omninò ficta: Primi dicunt, ipſum fingere miracula ad vanitatem, & lætari præ luxuria de mulierum conuerſatione: Secundi verò dicunt, ipſum contra temperantiam peccaſſe, dum iter agens cum Fratre Ioſepho reperta per mediam viam mora nimis auidè comedit; ſubjungunt, ipſum retraxiſſe alios à bonis operibus, qui tardiùs ad chorum & ad orationem accedebant, vt cum ipſo narrantes otioſa confabularentur in cella;

&

& ſimiles proferebant accuſationes. Et his prolatis terribiliter clamabant: Homo nequam nunc reſponde, & tuam defende cauſam, ſi poſſis.

Reſpondit Pater: confido in Diuina gratia me nihil commiſiſſe, quod majeſtatem Domini mei grauiter offendere potuerit: mentiris in multis accuſationibus contra me factis. Ah temerarie, furibundus ait judex, audes mihi contradicere: Eia miniſtri mei ſceleratum hunc punite. Subitò cum incredibili rabie Dæmones aliqui inſiliunt in Dominicum, corpus eius vnguibus & dentibus dilacerant tam crudeliter quòd ſeruus Dei ſentiret ſe vſque ad oſſa transfigi, & crederet omnes ſuas carnes dilaniari: Et vnus illorum ſub horribilis figura ſerpentis in ipſum irrepens guttur eius perſtringit.

In hoc agone recurrit ad Deum Dominicus, & fide ac ſpe plenus ait: Deus meus, Ieſus meus. Ipſi verò volentes Dominicum in diffidentiam reducere, ſubſannantes ac irridentes dicebant: Te Diuina juſtitia noſtræ totaliter tradidit poteſtati, non tibi proderit Deum inuocare. Sed dum Pater replicat dicens: Confido, & confidam in æternum in Domino meo Ieſu Chriſto ad veſtram confuſionem, aſſumit crucifixum quem ſub Scapulari ad pectus appenſum geſtabat, reuerenter oſculatur: è cœlo deſcendit in eodem momento temporis Angelorum legio candidiſſimis armis inſtructa, quæ tanto ſupra Dæmones irruit impetu, quòd ſtatim diſſipati euanuerint.

Demum accedentes ad Dominicum Angeli congratulantur ipſi de tam glorioſa paſſione pro Chriſto tolerata, & de tam inſigni victoria: relicta perfectiſſimè curant totius corporis vulnera; ſed ad perpetuam hujus agonis memoriam in genu remanſit cicatrix vulneris à prædicto ſerpente inflicti, quæ vulnus & profundum & periculoſum fuiſſe demonſtrabat.

Audierant tres religioſi magnum & confuſum è cella Dominici ſtrepitum, accurrunt ſubito vt ſucceſſum videant:

deant : ſed dum portam aperire conantur, eam ad inſtar muri reperiunt immobilem ; Vnde flexis ante cellam genibus continua pugnantem illum oratione juuerunt, donec agone finito porta per Angelos aperitur, & ingreſſi Dominicum hilarem ac lætum inueniunt,& ad majora pro Chriſto toleranda paratum.

Iacebat aliàs Dominicus in lectulo, non quidem molli, ſed duriſſimo ſuper aſſerem impoſitum : cœpit Chriſtum patientem contemplari, tantaque compaſſione mouetur vt extra ſe raptus fuerit, quamvis aſtantes duo religioſi procurarent illum diſtrahere. Paulò poſt frigore lethali premitur, pallorem mortis induit,pectus intumeſcit,& alia vicinæ mortis apparent ſigna : Voluerunt illum Dæmones interimere, ſed à violenti oppreſſione coguntur ceſſare, qui vexandi tantùm, & non interimendi facultatem à Deo obtinuerant.

Dæmon,qui Dominicum aperta vi ſuperare non potuerat, fraude decipere tentat,vt vel in laſciuiam, vel in ſuperbiam ſaltem inducat ; apparet cuidam mulieri plauſibilem deuotionem affectanti, narrat ipſi multa Dominici prodigia, & præteritos præſertim agones, vt ſic miſcendæ cum Dominico familiaritatis occaſionem inueniat. Hæc vt ſuas jactet reuelationes, ad noſtrum accedit conuentum, & mediis quibuſdam religioſis Dominicum alloquitur : qui cœleſti luce diſcernens propoſitas hujus mulieris reuelationes à Dæmone, & non à Deo procedere, ſuperbiam eius & illuſionem reprehendens ipſam ad veræ humilitatis viam reduxit.

Toties victi Dæmones infeſtare Dominicum non ceſſant : Aderant dies Bacchanalium à Gentilitate relicti, & Chriſtianitati indecentes ac funeſti : ne Dominicus, vt ſolebat, peccata multorum impediret illis diebus frequentia, nocte quadam ab ipſis conteritur, & tam ſtrictè manibus & pedibus colligant,vt penitus moueri non poſſet,etſi vincula non apparerent. Strepitum audientes religioſi jam

his

his aſſueti concurrunt ad eius cellulam,cujus tamen januam aperire non poſſunt à Dæmonibus cuſtoditam,donec à Dominico moniti aquam benedictam aſpergunt,qua fugantur Dæmones, & poſtea facillimè januam aperiunt, & cellam ingrediuntur, vbi jacentem Dominicum tam ſtrictè manibus & pedibus colligatum ac immobilem reperiunt, quòd nulla vi de ſuo loco dimouere potuerint: Vnde non aliud auxilium præſtabant,quàm compatiendo ac pro ipſo Deum exorando.

Poſt ſeptem continuos dies hujus acerrimi cruciatus, Maria mater miſericordiæ voluit ſuum fidelem ſeruum viſitare, doloribuſque compatiens ait ei: Scito fili mi, quòd Dominus tuis conceſſit licentiam inimicis,vt contra te ſuum exerceant furorem, quò poſſit ipſe ſuam in te potentiam manifeſtare,ad majus tui meritum,& ad ipſorum confuſionem; Propterea viriliter certa, non tibi meum deerit auxilium, & decima quarta die veniam iterum, vt te de his eripiam vinculis, vna ante meridiem hora, quò poſſis ipſamet die Miſſam celebrare. His diebus perdurauit Dæmonum furor in Dominicum & crudelis vexatio, ita quòd vna vice totus liuidus ac vulneribus plenus fuerit inuentus;Vnde debuit à religioſis curari.

Accedens P. Ioannes Baptiſta à Sanctiſſima Trinitate Prior conuentus, ipſi præcipit vt ſibi cuncta quæ ſucceſſerant manifeſtet,qui ſingula menti reponens decimum quartum expectat diem promiſſæ libertatis inſignem. Audiuntur interim fragores in cella Dominici; Auditur ipſe religioſis dicens, Inuocate pro me generis humani Redemptorem; Auditur etiam Deo dicere,Reminiſcere miſerationum tuarum Domine,& miſericordiæ tuæ,quæ à ſæculo ſunt,ne vnquam dominentur nobis inimici noſtri. Ipſa die cum aliis religioſis venit in cellam Dominici rei ſucceſſum inſpecturus: Accedente jam hora præfixa manſit in placida ſuſpenſione Dominicus,in qua Sanctiſſimam Virginem ſeipſum ſuauiſſimè viſitantem intuetur, quæ manus pedéſque

ſuo tactu ſacrato ſoluens jubet eũ ſurgere & ad celebrandum Miſſam properare. Tunc oculos ad cœlum erigens ait: oculi mei ſemper ad Dominum, quia ipſe euellet de laqueo pedes meos. Surgit illicò Dominicus obediens, mirantur aſtantes dum illum vident celeriter ac lætè ſimul ambulare; celebrat, & aliquas fidelium animas virtute ſacrificij de flammis purgatorij liberat.

Tam extraordinarij ſucceſſus in Dominico ſicut multos habuerunt admiratores, qui ſanctitatem eius nouerant; ſic multos excitarunt æmulos ex iis, qui ſanctiſſima quæque ſolent in deteriorem partem detorquere. Vnde Dominicum ad ſanctæ Inquiſitionis tribunal deferunt: ſed formato proceſſu, & accuſationibus accuratè diſcuſſis, ſecunda jam ſententia declaratur innocens.

CAPVT VII.

Tarraconem vadit Dominicus, vbi duos conuertit hæreticos, & redit Barcinonem.

IN vna ex præcedentibus viſionibus Beatiſſima Virgo Deipara dixerat Dominico ſe velle eius vti opera ad liberandum à morte violenta Philippum II. Hiſpaniæ Regem, & ad conuertendos ad fidem duos hæreticos, qui talem mortem machinabantur. Et ideò quantocyus Tarraconem ſe transferret efficaciter imperat, vbi tali die in tali domo duos reperiret hæreticos ex Anglia aduentantes.

Dominicus ſuo refert Priori quæ in reuelatione didicerat, & commiſſionem ſibi à Beatiſſima Virgine datam ei communicat. Prior jam longa doctus experientia, quàm veræ ac fideles eſſent Dominici reuelationes, ipſi ſtatim facultatem proficiſcendi Tarraconem concedit, & idoneum itineris ſocium aſſignat. Pedes egreditur & progreditur Dominicus, accelerat quantum poteſt, ne ſit in mora periculum.

culum. Interim & Regis ſalutem, & hæreticorum conuerſionem aſſiduis precibus Deo commendat, etiam ambulando.

Vbi Tarraconem peruenit, ſignis quæ in reuelatione acceperat, ad conjuratorum hoſpitium rectà feſtinat: Viderat namque Deo reuelante plateas, vicos & domos ciuitatis, & Angelorum ductu dirigebatur. Hoſpitium ingreſſus vnum conjuratorum tantummodo reperit, alter enim foras exierat, & per ciuitatem negotiis detinebatur.

Accedit Dominicus cubiculum, vbi ſine teſtibus inuentum alloqueretur hæreticum, illum proprio ſalutat nomine, de patria rebuſque aliis ad ipſum attinentibus tam diſtinctè diſſerit, ac ſi multis annis cum eo egiſſet. Stupet hæreticus, ſed paulò poſt terretur & horret, dum audit Dominicum de formata contra Regem conjuratione ipſum arguentem.

Incipit igitur Dominicus ſuam ad ipſos legationem Diuinam exponere: Verbis expreſſis manifeſtat ſe ſcire eum cum ſocio, quem proprio appellat nomine, miſſum à conjuratoribus è tali loco vt Regem Catholicum interficiat. Negat ſtatim hæreticus, ſubridet Dominicus: Cumque indignabundus ille Dominicum repelleret, velut impoſtorem qui ſibi crimen imponeret, cujus erat incapax, & de quo ſolùm etiam cogitare non poterat; proſequitur Dominicus, & cordis ipſius ſecretiſſima pandit, dicens quali eſſet infectus hæreſi; conjurationis ſingulares circunſtantias aperit, affirmat ipſam eſſe Ciphris ſcriptam, & in paruula burſa contentam, quam in pectore geſtabat: hiſque ſignis demonſtrauit ſe fuiſſe miſſum à Deo, cujus oculis nihil eſt abſconditum. Concludit ſe non ad eorum perniciem, ſed ad ſalutem & conſolationem veniſſe: Vnde ſuadet vt nihil mali ab ipſo timerent.

Tanto feruore proſequitur Dominicus, vt primò hæreticum in admirationem, deinde in compunctionem rapiat, & tunc is Dominico cum lachrymis ait: Illud Pater quod

mihi dicis, non poteſt ab alio quàm à Deo procedere, qui te miſit vt me ſaluum faceret: Vnde tibi promitto me fore diſſipaturum conjurationem, & futurum Catholicum. Vt ipſum vidit Dominicus jam Deo acquiſitum, cum ſumma benignitate conſolatur, corroborat, & ad conuertendum complicem hortatur, ipſoque relicto diſcedit poſtmodum rediturus.

Reuerſus domum alter hæreticus, vt ſocium audit narrantem quæ ipſi cum Dominico ſucceſſerant, primò credit ipſum jocari: Cum autem didicit eius conuerſionem, tum ab hæreſi, tum ab inferenda Regi nece, cœpit implacabiliter iraſci, mille ſocium injuriis laceſſere; proditoris ſcilicet & ignaui; parumque ábfuit, quin ipſum armis impeteret.

Dum mortalis ſæuit rixa, redit ad hoſpitium Dominicus, vbi poſt ordinarias ſalutationis vrbanitates in nomine Domini ſecundum aggreditur hæreticum, & tanto feruore repetit ei quæ priùs ſocio dixerat, ſecretiſſima cordis ipſius, tam quoad peccata cómmiſſa, quàm quoad dictam conjurationem, vt ſtatim & à mala voluntate & ab hæreſi conuerterit. Vnde jam compunctus & plurimùm attonitus ſe ad Patris pedes proſtrauit, ipſumque veneratur quaſi cœleſtem hominem ac verum Prophetam.

Ambo deinde ſcripturas omnes conjurationis Dominico tradunt, quas ipſe in eorum præſentia igne concremauit. Demum à Patre cœleſtibus in fide catholica diſcurſibus confirmati redeunt in Angliam; Vnde Patri reſcribunt, non ſolùm de ſua perſeuerantia in fide catholica, ſed etiam de zelo Apoſtolico quo jugiter aliorum conuerſioni vacabant.

Finita ſua legatione Dominicus, & de duplici eius fructu lætabundus, de conuerſione, ſcilicet hæreticorum, & de Regis incolumitate, Barcinonem in ſuum conuentum redire cogitat, & vt breuiorem ac ſocio faciliorem procuret reditum, accedit ad portum, vbi nautam reperit ſequẽti die hora

octaua

octaua præciſè ſoluturum. Mane celebrat tempeſtiuè Dominicus, & hora condicta ad mare properat : ſed dum ante Eccleſiam tranſit, & horam octauam numeraret, ſentit ſe ad Eccleſiam trahi vt ibi Domino ſuum diſceſſum breuiter commendaret. Verùm diutiùs Deo ſic diſponente ſiſtit in oratione, vnde cum peruenit ad portum, nauim jam ſoluiſſe reperit, ac vento valde proſpero mare ſulcantem intuetur : Propterea dolet propter ſocium triſtem de tam opportuna commoditate perdita. Noctu vehemens exoritur tempeſtas, quæ nonnullas abſorbet naues, & illam in qua diſceſſurus fuerat Dominicus, niſi prædicta via Dominus eum à naufrago liberaſſet : Vnde maximas Deo liberatori gratias egit.

Sequenti die Tarracone diſcedunt, & oram maris prætęrlegentes incidunt in piſcatores, qui ſæpe retia expandentes & magno labore extrahentes nihil ceperant. Ipſis condolens Dominicus benedictionem impertitur, quæ tantæ fuit virtutis & efficaciæ, quòd magnam piſcium multitudinem intra retia concluſerit: Vnde videntes mirabilem ſucceſſum laudauerunt Dominum.

Regreſſus Barcinonem Dominicus noſtrarum Monialium confeſſiones audiebat, cum incredibili earum profectu, ex tam ſancta & prudente ipſius directione. Inter eas illuſtris erat virgo Catharina de Chriſto, S. M. N. Thereſiæ quondam ſocia, & poſtmodum hæres ſpiritus eius, tam eximiæ perfectionis ac feruidæ charitatis, quòd præ nimio Diuini amoris incendio ſæpe viſibiles è pectore flammas emitteret. Plena dierum ac bonorum operum jacebat infirma, & vt dicebant medici, moribunda ; quod maximam Monialibus afflictionem cauſabat, videntes ſe tantæ matris ſolatio priuari : ſed illis & conuentui commiſeratus Dominicus, vt debitè prouideretur obſeruantiæ, menſes aliquot induciarum obtinet, & Catharina conualeſcit ; quibus elapſis Dominicus ait monialibus, Mater Catharina jam volat, cumque verba ipſius velut oracula ſuſciperent, etſi præſens

valetudo

valetudo contrarium ſuaderet, ipſam tamen breui morituram crediderunt.

Monet ipſam Dominicus de proximo fœlici tranſitu, congaudet ipſi, & hortatur vt ſpirituale condans teſtamentum virtutes ſuis ſororibus diſtribuat, retente ſibi humilitate, cujus confirmationem in cœlo poſtulet. Nocte Dominicæ natiuitatis ſumma cum deuotione viaticum accepit, mane ſequenti melius habuit, quod cum ſacriſta Dominico retuliſſet, reſpondit ille; ne curet hoc, eſt enim certiſſimè moritura, quod ſubitaneus confirmauit euentus, nam die tertia Ianuarij anni Domini, milleſimi quingenteſimi nonageſimi quarti animam ſub figura columbæ candidiſſimæ Chriſto ſponſo ſanctarum virginum tradidit. Prodigium admiratæ quotquot aderant moniales, non jam mœſtæ cecinerunt, ſubuenite Sancti Dei, ſed lætabundæ Te Deum laudamus intonarunt: Et Dominicus relictis veſtibus nigris ad Miſſam defunctorum in ſacriſtia paratis; aſſumpſit alba, miſſamque de Beata Maria cantauit.

Dum ſepultura prouidetur, foſſa reperitur aquæ plena: dolent moniales, ſuadet tamen Dominicus vt ibi ſepeliatur, præſciens fortè mirabiliorem exinde futuram eius incorruptionem. Cumque moniales in nouum monaſterium tranſmigraturæ forent, & ſacras eius reliquias ſecum transferre vellent, de licentia R. P. Eliæ à S. Martino Præpoſiti Generalis ſepulchrum ipſius die S. Laurentij fuit effoſſum, & eodem anno: ſed cum in principio vidiſſent magnam aquæ corruptæ copiam, effodere deſiſtentes referunt Dominico, quem in ecſtaſim raptum inueniunt. Is vbi ad ſe rediit, & relationem audit; pergere jubet, & incorruptum virginis corpus in loco corruptionis inueniendum affirmat. Quod ita contigit: nam corpus illud inueniunt integrum, ac cœleſtem emittens odorem; quod poſt aliquot annos de ſuperiorum mandato Pompeiopolim, vulgò Pampelunam; tranſtulit Dominicus.

CAPVT VIII.

Mirabilia patrat Dominicus, tam in corpora quàm in animas.

Continuò mirabilia patrabat Dominicus, tam in corpora quàm in animas. Dominus de Sero vnus erat ex deputatis Principatus Catalauniæ, qui ſcilicet prouinciam illam repræſentantes eius conſeruationi inuigilant: Hic dum quadam die publicis vacans negotiis equo vectus per ciuitatem Barcinonenſem diſcurrit, accidit vt incideret in hominem ligna ſcindentem: Equus ictuum ſtrepitu, & partium excisarum inſultu territus agitatur furioſiùs, exilit in aëra, & tandem excutit ſeſſorem, cui pediſſequorum turba ſuccurrere non potuit.

Ex caſu, ſeu violenta excuſſione contra murum impactus ille Dominus toto corpore conteritur, aut concutitur, & caput in duas partes ſcinditur. Plures certò moriturum, alij jam mortuum exclamant: quia ſine motu, & ſine pulſu reperiunt. Dum alij ad Medicos, & alij ad Chirurgos currunt, D. Catharina de Inturno conjux ipſius, de tam fatali caſu monita ad noſtrum conuentum aduolat, & lachrymis ſuffuſa fideque plena Dominicum aduocat; ad cujus pedes corruens ſuis malis implorat remedium, rogat vt ſuum maritum Deo commendet, & ad eum inuiſendum accedat.

Non diſtulit Dominicus hoc opus charitatis & pietatis implere, ſtatim accurrit, & vbi domum peruenit, miſerandum intuetur ſpectaculum, Medicos & Chirurgos in quærendis remediis occupatos, quamvis poſt longam conſultationem penè de nobilis illius ſalute deſperantes, inuenit. Tunc ipſe Dominicus capitis partes malè cohærentes ſuis manibus inter ſe vnit, vnitas ſtringit, & facto crucis ſigno fuſáque oratione feruentiſſima ſuper miſerum illius ſtatum perfectè

perfectè conſolidat,moribundus ſtatim ad ſe rediit, & poſt paucos dies perfectè ſanatur.

Eodem tempore lethalem in morbum deciderat Doctor quidam dictus cognomine Fontanus, vulgo la Fuente, vir bonus & Dominico noſtro chariſſimus, qui cum à Medicis ſe derelictum videret, miſit ad amicum ſuum Dominicum, rogans ipſum vt ſe dignaretur viſitare. Viſitat ipſum Dominicus,& ad mortem libenter ſuſcipiendam, cum integra reſignatione ad voluntatem Diuinam, optimè diſpoſuit: ſed eius vxor, quæ vitam ipſius bono domus ſuæ neceſſariam videbat, Patrem rogat vt illum ſanet; Et cum tanta lachrymarum ac ſingultuum copia, & Chriſtianæ fidei viuacitate, quòd ſeruus Dei negotium illud afflictæ familiæ toto conatu pertractandum apud Deum ſuſceperit.

Redit ad conuentum Dominicus, & cœpit infirmi Doctoris ſalutem fuſis inſtanter precibus exorare; ſed non exauditur: preces ingeminat, aliaque pia pœnitentiæ ac mortificationis adhibet media,tantoque feruore intercedit, vt rapiatur in ecſtaſim, vbi ſuarum precum intuetur obſtaculum: contradicentem enim reperit deuotam mulierem Aſtorgam nomine, quæ paulò antè in Domino deceſſerat, & multis ab illo Doctore receptis in vita beneficiis, ei plurimùm fuerat aſtricta.

Cum igitur Dominicus pro ſalute Doctoris oraret, dicebat illi pia mulier, conuenit Fontano pro ſalute animæ quòd moriatur: Imò, reſpondebat Dominicus,ad majorem Dei gloriam conuenit vt viuat. Subjunxit Aſtorga;mundus, juuentus,& Doctoris profeſſio periculis abundant: Verum eſt,replicat Dominicus, ſed Diuina gratia ſemper eſt prompta vt ipſum protegat, & vincat pericula. Dum quiſque pro ſua parte rationes, & conuenientias efficaces proponit coram Deo ſupremo judice: tota cœleſtis curia mortem infirmi videbatur approbare.

Sed Dominicus ſperans Doctorem media ſalute creſciturum in gratia & meritis,ac Dei virtute ſuperaturum tentationes,

tationes, vnde Diuina majeſtas magis exaltanda & glorificanda foret, inſtantiùs orat. Lis pia, & ex vtraque parte juſta per triduum durauit; & toties incipiebat, quoties ad hunc effectum obtinendum Dominicus orationi vacabat: Propterea tribus religioſis ſociis ſuis lepidè dicere ſolebat; nunc ego contra totum cœlum pugno, & totum cœlum contra me pugnat.

Toto triduo manſit infirmus cum tanta morbi ſuſpenſione,vt nec melius nec peius habuerit; cujus cauſam cum ignorarent medici, mirabantur attoniti de tam longa & inuariabili morbi tam vehementis ac læthalis conſiſtentia, credentes quid mirabilius eſſe quòd ſic inuariabiliter perſiſteret,quàm ſi penitùs ſanaretur. Vnde hæc miraculoſa mortis dilatio Dominici meritis eſt attribuenda.

Die quarta, cum ad orationem rediiſſet Dominicus, definitiuam contra ipſius cauſam Dominus ſententiam tulit, pronuntians moriturum Doctorem Fontanum, quòd ſic expediebat pro gloria ſua. Vnde poſt paucas horas in Domino moritur animatus per Dominicum in deſiderio videndi Deum ac fruendi ſocietate ſanctorum. Pro requie & ſalute animæ ipſius multas Dominicus obtulit Deo pœnitentias & orationes, quibus adjutus breui Diuinæ juſtitiæ in purgatorio ſatisfecit,& paucis diebus elapſis ſplendidior ſole ſuo benefactori Dominico apparuit, dum ſimul cum P. Prouinciali ad Beatiſſimam Virginem de monte Serrato deuotionis cauſa proficiſceretur,maximas ipſi gratias agens quòd eius ſuffragiis de purgatorij flammis tunc egrederetur, vt in cœlum conſcenderet.

In illa breui & ſacra peregrinatione multa exercuit opera charitatis & pietatis, præſertim erga pauperes. Vbi Barcinonem rediit, in palatium cujuſdam Domini ex principalioribus ciuitatis deducitur, qui germano fratri ſuo erat infenſiſſimus, eique etiam deprecanti nolebat reconciliari, quamvis multi acceſſiſſent interceſſores non contemnendi, tam ſæculares quàm religioſi, quorum authoritati & ſan-

ctitati nihil in hac re deferebat; & ſic in odio fraterno pertinax & obſtinatus moriebatur. Vt ad ipſum venit Dominicus, aſtantes de cubiculo excludit, & ſolus cum infirmo remanens tanto zelo periculum animæ ipſius proponit, tanta cum efficacia doctrinam & exemplum Chriſti circa reconciliationem ac amorem inimicorum inculcat, quòd infirmus ipſe compunctus & lachrymis ſuffuſus exclamanerit: Pater mi libenter volo fratri meo reconciliari. Et ſtatim adductum amplectitur, & in oſculo fraternæ pacis ſalutat: Deoque per Sacramentalem confeſſionem à Dominico reconciliatus, & per Sacramentorum ſuſceptionem benè diſpoſitus obdormiuit in Domino.

In feſtis Natalitiis rediens Dominicus ad conuentum vidit puellum pulcherrimum præcedentem, quem agnoſcit eſſe Ieſum: properat vt aſſequatur, ſed aſſequi non poteſt: ſed cum ingreſſus conuentum, ſumpta Superioris benedictione recedit ad cellulam, Diuinum ibi puellum reperit, cujus aſpectu & familiaritate diu frui conceſſum eſt.

CAPVT IX.

Eligitur Dominicus Supprior conuentus Valentini, & mira pacis ac pietatis operatur prodigia.

IN principio menſis Septembris anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto Dominicus Barcinone manens à P. Generali Madritum vocatur. Dum obediens iter injunctum proſequitur Cæſar-auguſtam venit, vbi jubetur aliquandiu manere, vt P. Alphonſum ab Angelis Catalaunicæ Prouinciæ ſuperiorem ibi ad fundationem procurandam degentem ſua ſocietate ſolari & juuare poſſit: in illa ciuitate commoratus in promouendo fundationis negotio fideliſſimè laborat, quæ fœliciter anno ſequenti completa fuit.

Cum

Cum Madritum peruenit credens fore terminum itineris, ſe priuatæ vitæ præparat,ſed paulò poſt ad prouinciam Catalaunicam regredi jubetur. Ipſum quidem P.Generalis Madriti reſidens aduocauerat, vt in prouinciæ Caſtellæ nouæ retineret; ſed Valentinorum precibus ſollicitatus reditum Dominici procurantium,qui fructum incomparabilem aliàs in eorum ciuitate produxerat,efficaciter inducitur mutare intentionem: Vnde ipſum in conuentum Valentinum remittit,ad officium Supprioris electum,quod vt verus obediens admittit, quamvis vt humilis recuſaret.

Ipſa die aduentus eius in conuentum Valentinum, cum eſſet in communitate religioſorum, de Diuino amore diſſerit, & ad proficuæ concionis methodum applicans diſcurſum ait, pium concionatorem non alio egere libro quàm Crucifixo, vt ſit optimus, quem ſi benè legat, benè intelligat,benè prædicet, ſeipſum & auditores conuertet, in cujus ſacris vulneribus & aperto latere ſapientiam omnem inueniet:Vnde Chriſtum Crucifixum populo prædicandum eſſe concludit.

In his verbis rapitur in ecſtaſim Dominicus: Et poſt vnius horæ ſpatium, volens P. Prior virtutis perfectionem in eo probare, præcipit aliis religioſis vt ipſum vocent, non tamen intendit quòd ad ſe redeat; Vocatus manet immobilis Dominicus, nec curat verba præcipientis quæ carent intentione obligandi, quamvis in nomine ſuperioris ſæpiùs iteretur vocatio. Tunc P. Prior duobus ait religioſis: nunc ipſum volo interiùs vocare, & cum intentione quòd redeat; videamus, vtrum redibit: Vix præceptum redeundi mente conceperat dicens, P. F.Dominice redeas ad teipſum,cum ſubitò ad ſe rediit,magnam ſanguinis copiam effundens ore,vt ſolebat,præ nimia naturæ violentia.

Vt Dominici reditus per ciuitatem Valentinam innotuit, maximus fit ad conuentum noſtrum populi concurſus: Eccleſiaſtici & ſæculares,nobiles & plebæi,viri & mulieres ſimul currunt, vt Dominicum reuertentem ſalutent,

vt fidelem amicum amplectantur, vt eximium benefactorem laudent, & vt ſanctum illuſtrem venerentur: ipſe verò recipit omnes humaniſſimè, multis remedium, ſingulis ſolatium præbet.

Non ſolùm pro particularibus & priuatis, ſed etiam pro communibus ac publicis negotiis ad Dominicum erat recurſus. Tunc inter Valentiam & Alicantem vrbes maritimas grauis & periculoſa lis ac diſſenſio, propter aliquas naues ſæuiebat. Valentini congruas pacis conditiones proponebant, quas alij penitus rejiciebant: Cumque nulla videretur alia concordiæ via, inſtant Valentini apud P. Priorem, vt pro bono publico Dominicum mittat Alicantem, confidentes quòd eius ſanctitas & prudentia pacem eſſent allaturæ.

Ex obedientia vadit Alicantem Dominicus: propter notam ſanctitatis opinionem honorificè recipitur à ciuibus; At vbi cœpit agere de concordia cum Valentinis ineunda, & opportuna media proponere, ſic Alicantij propoſitiones eius indecenter repulerunt, vt ipſis quaſi pacis inimicis de ventura ſuper eos ira Dei fuerit minatus: Et magno feruore ſic ait; Reuertar igitur, ne ſim vobis moleſtus, & memor Euangelicæ doctrinæ Chriſto obediam, qui ſuis dixit diſcipulis; In quamcumque ciuitatem intraueritis, ſalutate eam, & ſi quidem fuerit digna, veniet pax veſtra ſuper eam; ſi autem non fuerit digna, pax veſtra reuertetur ad vos: Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de ciuitate excutite puluerem de pedibus veſtris. Hæc cum dixiſſet zelo Dei motus, ſtatim è ciuitate diſceſſit.

Apoſtolico Dominici facto ciues attoniti, & grauibus eius minis perterriti, poſt eum mittunt qui reuocet, & propoſitas ab ipſo concordiæ juſtas conditiones admittunt, ſe totaliter eius directioni committentes: Vnde reddita per Dominicum pacis Angelum, inter Valentinos & Alicantios tranquillitas firmata fuit.

Terminata fœliciter pacis negotiatione, Dominicus eadem die diſceſſit Alicante : cumque Deo magis attentus quàm itineri foret, equus viam regiam declinat, & deuiam ingreditur ſemitam ; nec errorem aduertit, donec tenebræ jam ingruerent : tunc enim aduertens, ignorat quà debeat aut poſſit tranſire ; ſe tamen cum fiducia Deo commendat. Res mira, in medio noctis horrore inter incultas arbores apparent faces ab Angelis præparatæ, quæ ſemitam manifeſtent, & ipſum ad pauperem pagum perducant, vbi pernoctaret.

Nocte pluit tota : Cumque mane diſceſſurus eſſet, audit fluuium creuiſſe, viam regiam inundaſſe ; ac hoſpitium, ad quod diuertiſſet illa nocte, ſi rectam viam ſequutus fuiſſet, aquarum violentia direptum ac raptum fuiſſe:Vnde præuia deuiatio myſterioſa & fortè miraculoſa fuit. Agit Dominicus Deo gratias pro ſua libertate, ſubmerſos ille inundatione Diuinæ pietati commendat,& motus tenera compaſſione ad locum inundationis & ruinæ ſe dirigi procurat nec talis digreſſio fuit otioſa & abſque myſterio : Dum ad locum venit Dominicus, ruptos videt parietes, raptas trabes, & in quodam angulo ſupra reſiduam muri partem intuetur hominem,qui poſcit auxilium, & conſpecto Patre ſe velle confiteri proclamat : Accedit Dominicus quantum permittitur, audit confiſtentem in medio fluentium aquarum ſtrepitu, abſoluit, ſolatur, & Deo commendat : Tum ruit murus, & pauper ille coram omnibus ſubmergitur.

Cum Valentiam appropinquat, plures videt oppidanos in armis conſtitutos, ac inter ſe plurimùm diſſentientes, ad quos accedens Dominicus rixas componit, & pacem reſtituit quaſi pacis Angelus, ac vt talis Valentiæ recipitur.

CAPVT X.

Liberat Dominicus domum ſpectris infeſtam, erepta de Purgatorio anima Domini illius.

ERat Valentiæ domus magna & nobilis, quæ ſpectris ſic erat infeſta, quòd nullus eam poſſet habitare; Imò vix erat qui ad eam per diem auderet intrare, nullus per noctem: diſcurrentia namque videbantur, aut ſaltem audiebantur phantaſmata, quæ cunctis terrorem & horrorem incutiebant; Vnde quædam ſpirituum infernorum colonia videbatur.

Dominicus Diuina reuelatione didicit quid tandem eſſet. Vnde ſuperioris permiſſu decernit in dicta domo cum ſocio pernoctare, potiùs vt animam de Purgatoriis flammis eriperet, quàm vt domum à ſpectris liberaret. Obtenta igitur ſuperioris venia ad hoc opus charitatis exercendum, accedit nocte determinata, domum ingreditur neceſſariis inſtructus, & in Diuina bonitate confidens.

Ingreſſus cum ſocio Dominicus orationi vacat, & Deo fœlicem ſui cœpti ſucceſſum inſtanter commendat. Dæmones à Dominico toties victi procurant ipſum terrere, ne prædam dimittere teneantur, neue domum poſſeſſam relinquere. Vnde primò ſtrepitum horribilem tum vocum tumultuantium, tum catenarum ſupra fornices tractarum excitant, qui audaciorem alium à Dominico terreret, ac exanimaret: ſed Dominicus hæc omnia contemnit intrepidus, ſociumque timentem confortat.

Vt Dæmones vident, ſe per auditum non potuiſſe terrere Dominicum, attentant per viſum id aſſequi. Cubiculum, in quo Pater orabat cum ſocio, tumultuosè ingrediuntur ſub figuris horribilibus, ac ſecum Vmbram deformem ducunt, ac ita terribilem, quòd ſocius Dominici nimio terrore perculſus, deliquiumque paſſus ad eius pedes corruerit. Hanc

Vmbram

Vmbram Dæmones mille vexabant modis;& miris artibus torquebant nullatenus eorum violentiæ reſiſtentem.

Intrepidus ad hæc omnia perſiſtit Dominicus, ſociumque ſolatur, ac bono eſſe animo jubet. Tum Vmbræ miſerabili condolet, eamque in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Crucifixi,quem præ manibus habebat, adjurat animosè, vt dicat, Quiſnam ſit ? quid ibi faceret, & quonam indigeret ? Reſpondit ipſa : Ego ſum Pater Domini domus iſtius; quam quia cum auaritia & oppreſſione pauperum operariorum erexi, licet fuerim de hac injuſtitia confeſſus ante mortem, in locum tamen Purgatorij per Dei juſtitiam mihi decreta fuit;Vnde hic exceſſiua Dæmonum miniſterio tormenta patior. Rogo te, vt Deum pro me ores, quò me citò de his pœnis liberet;Et facta promiſſione à Dominico ſtatim cum horribili comitatu diſparuit.

Cœpit quantocyus huic animæ ſuis precibus ſuccurrere Dominicus, & diebus proximioribus Miſſas pro illa celebrare. Celebrata tertia rursùs apparuit illi anima jam ſole ſplendidior, ac pulcherrima,gratias ipſi velut eximio benefactori pro datis ſuffragiis maximas egit, & lætabunda in cœlum euolauit; domuſque illa remanſit ab omni ſtrepitu & phantaſmate prorsùs impoſterum libera.

CAPVT XI.

Calumnias & perſecutiones patitur Dominicus, & mirabiliter liberatur.

PErmittit ſæpe Dominus ſuos fideles ſeruos impiorum calumniis & perſecutionibus affligi, vt jam vidimus in vita Dominici. Nunc duo ſpeciales occurrunt caſus,in quibus Dominicus calumniam & perſecutionem paſſus eſt; In primo quidem puram calumniam, in ſecundo autem præter calumniam & ſimplicem perſecutionem, lethalem

hominis furibundi rabiem paſſus eſt. In præſenti capite ſigillatim vtrumque caſum deſcribemus.

Primus caſus ſic euenit. Valentiæ quædam erat mulier vidua, quæ defuncto marito prolem habebat, & nullam ſubſtantiam vnde poſſet alere. Neceſſitas, qua premebatur, ad quærendum filio remedium inducit; ſed cum licitum non inueniret, ad illicitum & Dominico contumelioſum inclinat. Sciebat mulier Stephanum Roſſium & D. Violantem eius vxorem eſſe diuites, ac plurimùm P. Dominico affectos: Adit ipſos mulier, ſuam exponit miſeriam, rogat vt ſuum filium aſſumant alendum, ſi non propter ipſam, ſaltem propter Dominicum quem mendaciter eſſe dicit eius patrem. Stupent illi, & ex vna parte nimis creduli, ex alia verò volentes Dominici famæ cautiùs conſulere, ac publicum vitare ſcandalum, amore patris præſumpti filiolum ſuſcipiunt: Cumque dicta credulitate præuenti eſſent, blanditias quas adueniens in eorum domum Dominicus paruulo faciebat, velut innocenti & amico Dei, ex affectu naturali patris erga ipſum procedere credebant. Ex hac igitur mulieris calumnia graui laborabat infamia Dominicus apud illos conjuges amicos ſuos, & apud alios qui talem impoſturam audierant: Sed voluit Dominus pro gloria ſua ſerui ſui fidelis famam reparare; ſucceſſit enim quòd illa mulier vidua calumniatrix in periculoſum morbum incideret, cumque apud Parrochum de tali calumnia confiteretur, noluit confeſſarius eam abſoluere niſi priùs impoſturam retractans famæ Dominici conſuleret: Vnde vocat Stephanum, exponit negotium, petit veniam, & honorem Dominico reſtituit.

Pejor ac periculoſior ſecunda fuit calumnia, cujus occaſio ſic deſcribitur. Erat quidam nobilis & diues, qui ſub promiſſione futuri matrimonij Virginem incautam deflorauerat, & jam à multo tempore velut propria vtebatur vxore. Hæc miſera vt conſcientiæ & honori ſuccurrat, accedit ad Dominicum, infœlicem ſuum ſtatum in confeſſio-

ne

ne manifeſtat:condolet ei Pater,& vt conſcientiæ ac honori conſulat,nobilem illum conuenit, hortatur vt promiſſis ſatisfaciens eam ducat in vxorem. Renuit ille, & promiſſa negat,volens eam apud ſe retinere.

Cum Dominicus illum vidit & infidelem in promiſſis, & obſtinatum in malo; nec aliàs medium appareret cogendi nobilem vt eam duceret, non enim Chirographum aut teſtes promiſſionis habebat, negotium Deo commendat, & priùs de remedio conſcientiæ cogitans, procurata ab amicis honeſta dote ſecretiùs in domum feminarum pœnitentium eam inducit.

Raptam ſibi prædam vt audit nobilis, de violentia conqueritur, perſtrepit, furibundus clamat, pœnitentium conuentui minatur: ſed præſertim iraſcitur in Dominicum, quem infortunij ſui cognoſcit authorem. Ruinam eius meditatur, famam & vitam auferendo: Vt igitur eum perdat, ad noſtrum S. Philippi monaſterium accedit, P. Priorem conuenit, ſuum erga religionem exponit amorem, quo ſe ductum affirmat vt de ſcandaloſa Dominici vita moneat. Iniquè illum accuſat, quaſi foueret adoleſcentulam valde ſpecioſam omnia ſubminiſtrans ipſi neceſſaria:quòd proinde religionis honori ejuſque famæ conueniebat,ipſum Valentia quantocyùs dimittere; & ni citò diſcederet, remedium aliud violentius cum majori eius detrimento adhibendum fore dicebat. Erat P. Prior vir prudens, de cujus conſilio totum hoc negotium Dominicus fecerat: Vnde nobili reſpondet ſe noſſe Dominicum, eius innocentiam & cœlo & terra confirmari,& dicta contra ipſum meram continere calumniam; quòd ſi ampliùs ipſum calumnietur, ad probandum compelletur,& pro impoſtura contra Dominicum innocentem ſimulata punietur.

Hoc P.Prioris reſponſo confuſus ac ſimul territus nobilis recedit,& furore percitus in necem Dominici jurat,duos conducit ſiccarios, qui pretio notabili conjuratam necem exequantur. Accedunt homicidæ, Dominicum vocant ad

audiendam moribundi confeſſionem : jam noctescebat, & Dominicum ad ſecretiorem locum ducunt. Tum vterque breuem catapultam in eum explodere tentat, ſed neutra concipit ignem ; pugionem exerit vnus vt confodiat, ſed Dominicus ab Angelo cuſtode monetur ne timeat, cumque manum eleuaſſet ille vt feriret, elata manus ſtetit rigida, & brachium attractum, & ambo manſerunt attoniti & immobiles.

Intellexit Dominicus hoc inſigni miraculo non ſolùm ſe Dei protectione ſecurum eſſe, ſed etiam ipſummet Deum velle ſiccariorum hujuſmodi cõuerſionem: Vnde immemor injuriæ, memor clementiæ efficaciter illis exponit quàm cæcam & perditam ducerent vitam, ſuauiſſimis verbis promittit ſe profuturum illis in neceſſariis vitæ, ſi verè conuerterentur ad Dominum. Sic verbis iſtis compuncti ſunt, & nouitate miraculi ad Deum conuerſi, quòd veniam ab ipſo ſtatim petierunt, emendationem vitæ promiſerunt, ac ſe totaliter in manibus Dominici commiſerunt. Fidelis ſeruus & imitator Chriſti Domini, facta pro ipſis oratione benedictionem impartitur, eos ſingulari teneritudine complectitur, & ab inuiſibilibus vinculis ſua ſoluit interceſſione, quos meritis vinxerat: Poſtea duxit ad conuentum, vbi generales eorum confeſſiones audit, & impoſterum ad honeſtè viuendum pro viribus adjuuit.

Audit ille nobilis prodigioſum ſui facinoris ſucceſſum, nec tamen conuertitur, imò perſeuerát in mala voluntate peccati, & in ſua perſiſtit amentia, quandiu perdurat in eo laſciuus amor illius puellæ. Sed Deus, qui & puellam jam pœnitentem, & nobilem ipſum adhuc furentem ſaluare decreuerat, illam è viuis poſt paucos pœnitentiæ dies eripit, ne rursùs malitia mutaret intellectum eius ; iſtum verò ſpe ſua fruſtratum ad ſanam mentem reduxit. Vnde Diuina luce ſuorum facinorum, & præſertim intemperantiæ tandiu continuatæ, ac intentati homicidij ſacrilegi, grauitatem agnoſcens ad noſtrum accedit conuentum, & ad pedes Pa-

tris

tris Prioris prouolutus,lachrymiſque ſuffuſus ait: Ego ſum iniquus ille, qui ſub prætextu zeli Patris Dominici famæ detraxi; Ipſe pecuniam dedi ſiccariis, vt ipſum necarent: Nunc miſericordiam à Deo, à veſtra Paternitate,& à Patre Dominico humiliter deprecor de tot malis operationibus, jam paratus ad emendationem vitæ. Ipſum tam Pater Prior, quàm Pater Dominicus magnis beneuolentiæ ſignis complectitur ac ſolatur: Ipſe verò mutatus in alium hominem, vitam duxit exemplarem, & in bonis operibus perſeuerantem, cum admiratione ac ædificatione omnium, qui ipſum nouerant.

CAPVT XII.

Vocatur Madritum Dominicus, redit Valentiam, & vbique mira ipſi ſuccedunt.

MAdriti tunc degebat P. Generalis, qui ad inſtantiam Comitis de Cincion propriæ conſolationis cauſa, & propter alia grauia negotia Dominicum ad ſe vocat. Multa ipſi mira ſuccedunt in itinere: Et primò ipſi Valentia egredienti velut itineris ſocius miles adjungitur, qui fuerat, à quodam inimico Dominici conductus pretio, vt ipſum vel ferro necaret,vel præcipitio collideret. Frequens vtrumque patrandi ſe præbet occaſio: ſed cum alterutrum patrare determinat, facinoris horrore perculſus hæret. Veniunt ad miſerum hoſpitium,vbi miles de ſiccario factus latro ſubripiens equum eius aufugit.

Die ſequenti,quamvis debilis,pedes ire cogitur; & ponderoſam ſatis peram tum epiſtolis, tum aliis chartis, tum Breuiario plenam humeris imponit. Perueniens ad Pagum quendam ſiſtit ibi, Miſſam celebrat, & oblatum ſibi poſſeſſum à Dæmone, ſigno crucis & paucis exorciſmis liberat: Vnde Dæmon rabidus alta voce vindictam jurat, & in eius ruinam conſpirat. Aſſumptis igitur ſociis,dum Dominicus

ſpiritualem cum incolis pagi concurrentibus ſermonem habet, horribilem excitat tempeſtatem, ventorum, quæ caminum propè quem erat Dominicus excutiens diruit; non tamen cadens illi vel vlli circunſtantium nocuit. Poſt prandium egreſſus è pago cum aliis comitantibus eandem Dæmonum ſæuitiam experitur, tanto enim impetu ventorum turbines vibrant, quod arbores eradicarent, & cunctis manifeſtum afferrent periculum: ſed oratione Dominici Dæmones expelluntur, & ceſſat tempeſtas.

Vt venit Madritum Dominicus, in pacificanda quorundam nobilium domo occupatur, vbi maritus & vxor diſſentientes non ſolùm rixas continuas, ſed etiam inteſtina ad inuicem exercebant odia. Dominicus animis conciliandis attendens, arduum hoc negotium tum fœliciter aggreditur, tantaque prudentia promouet, aſſueto proponens illis feruore, quòd ſine pace externa inter domeſticos pax interna conſeruari non poteſt; quæ tamen ad æternam ſalutem omninò requiritur, cum ſcriptum ſit, Beati pacifici quoniam filij Dei vocábuntur; quòd tandem vnitis voluntatibus ad priſtinum amorem conjugalem redierint.

Expeditis jam negotiis, propter quæ Madritum vocatus fuerat, à Superioribus Valentiam dimittitur. Iter incipit, & non ſine labore proſequitur; hyems erat, dies breues, & via difficilis propter lutum & præcipitia: Poſt ſolis occaſum quadam die tenebræ velut palpabiles ingruerunt, & adhuc hoſpitium longiùs diſtabat, quò neceſſariò erat eundum. Incipiunt iteragentes ambulando titubare, deinde cadunt, denique funeſtum aliquod infortunium formidant: Dominicus fide ac ſpe plenus ſocios conſolatur, vt ad Deum ac Beatiſſimam Virginem recurrant tempore neceſſitatis hortatur; ac bono animo, quaſi certus de Diuinis auxiliis eſſe jubet.

Vt omnes ſimul orantes faciliùs exaudirentur, cœpit ipſe Litanias Beatiſſimæ Virginis deuotè recitare, & comites itineris cum eadem deuotione reſpondent. Et ecce ſubitò globus

globus lucis, in ſplendore viæ lacteæ ſimilis, apparet ſuper ipſos in aëre, qui non ſolùm viam demonſtrat, ſed etiam nouo prodigio lutum exſiccat, ita quòd per duas leucas jam pedibus ſiccis inceſſerint; donec appropinquantes pago, ad quem tendebant, lux diſparuit, & de nouo lutum apparuit: Vnde ſine difficultate ac periculo ad hoſpitium peruenerunt. Propter quod omnes infinitas Matri miſericordiæ gratias pro tam miraculoſo fauore cum lachrymis egerunt. Conſiderabant enim in eo quandam participationem miraculi, quo Deus in deſerto filios Iſraël in columna ignis duxit.

Vbi Valentiam peruenit, maximus fit ad eum populorum concurſus, & tantus vt auxilio & cuſtodia opus fuerit, ne ab ingruentibus opprimeretur: quàm plures enim domos ſuas relinquebant, vt eum ſequerentur, & eius benedictionem reciperent. Deinde multi vel brachiis, vel jumento deferebant infirmos, certiſſimè credentes eos ſanitati reſtituendos, ſi manibus ipſius tangerentur: Et ita juxta fidem eueniebat; nam multi laborantes ſanitatem integram, alij ſolamen aliquod obtinebant, omnes verò conſolationem.

Succeſſit quid ſingulare, & miraculoſum juxta multorum opinionem, in palatio Ducis de Lerma, qui tunc erat Prorex Valentiæ: Nurus eius in primo ſuo partu periculosè laborabat; miſit Dux ad Dominicum, qui nomine ipſius illum rogaret, vt ad palatium veniret Nurum ſuam laborantem ſuis precibus adjuturus. Venit ſtatim Dominicus, incipit aliquas recitare preces, & mulier parit filiam nigram, immobilem, ac omni ſenſu vitæ carentem; Illam mœſta mater aſſumens lachrymis irrigat, & Dominico tradens ait; Compatere Pater partui tam infœlici. Sentiens in ſe Dominicus internum ſpiritus feruorem, coram omnibus dixit: non eſt mortua puella, cum fide recurramus ad Beatiſſimam Virginem: Genuflexus igitur cum aliis præſentibus (qui ante mortuam credebant puellam, & tunc ſuſpenſi

verbis Dominici ſucceſſum expectabant) Antiphonam Salue Regina recitauit, & antequam finiret,puella reſpirat, & fortiter vagit. Omnes Aulici & quotquot aderant mirantes ac læti cœperunt dicere precibus Dominici renatam eſſe puellam.

Anno ſequenti multæ febres ſæuiebant, licet non peſtiferæ : Et ſic laborantium numerus creuit, vt Xenodochij quod Noſter F. Franciſcus à Puero IESV fundauerat, nec ordinarij miniſtri, nec lecti pro infirmis ſufficerent. Vnde neceſſarium fuit, vt religioſi ordines extraordinarios ſufficerent miniſtros, quique per Hebdomadas vice ſua. Vt ad noſtros Diſcalceatos ventùm eſt, mittitur volans ac petens Dominicus cum aliis, qui non ſolùm pro Hebdomadá, ſed etiam pro toto neceſſitatis tempore libenter offeruntur.

Multa in hoc charitatis miniſterio ſucceſſerunt, præſertim Dominico,quæ memoriam merentur æternam : ſed relictis omnibus aliis,ad aliqua tantum prodigioſa deſcendamus. Ingreditur Xenodochium Dominicus die Dominica, ſuum Domino ac Beatiſſimæ Virgini Mariæ commendat enixè miniſterium, quod ad majorem ipſorum gloriam, & ad vtilitatem proximi cedere deprecatur:& ſtatim commiſſos ſibi plures infirmos paternis viſceribus inuiſit, & maternis ſolatur blandiciis, omneſque ſuauiter hortatur, vt ſuam patienter infirmitatem tolerent,ad incrementum meritorum ac ſatisfactionem peccatorum.

Dum ordinatè viſitat infirmos, juuenem inter alios jacentem reperit miræ pulchritudinis, etſi violentia febris alteratum. Inſtinctu Dei judicat ex aſpectu ſingulare quid in eo latere : pia quadam curioſitate ſciſcitatur ab ipſo quiſnam ſit, & vnde venerit. Reſpondit ſe domum paternam reliquiſſe, vt locum aptum quæreret, vbi liber ab omni periculo poſſet Domino deſeruire : dicit ſe domo parentum diſceſſiſſe die S. Ioannis Euangeliſtæ, cui plurimùm erat affectus, quia Chriſto & Beatiſſimæ Virgini fuit chariſſimus,

tiſſimus, ipſumque rogaſſe vt ſui curam ſuſcipiens iter ſuum dirigeret. Subdit ſe Valentiam veniſſe, & cum in morbum incidiſſet, ad Xenodochium velut ad domum Dei Chriſtiana pietate conductum inter alios pauperes & peregrinos; Affirmat ſe nulla re prorsùs indigere,cum ciuitatis illius clementia & miniſtrorum diligentia nihil ex neceſſariis deſit. Concludit ſe cuncta ſua Diuinæ voluntati commiſiſſe, ex quo ſuas opes non mediocres vltrò dimiſerat: Vnde nec ſanitatem deſiderabat, nec mori timebat, nec viuere recuſabat.

Admiratus tantam juuenis perfectionem Dominicus, ipſum inſtruit ampliùs,& ad eliciendos Diuini amoris actus excitat. Dum ſimul in hoc pietatis exercitio colloquuntur, ecce fulgida quædam nebula lectum infirmi circumdat. In medio eius Beatiſſima Virgo Maria, multo ſanctarum Virginum & Angelorum comitatu decorata: quæ juuenem infirmum humaniſſimè ſalutat, poſt triduum ad meliorem vitam tranſitum prædicit; jubet ne mortem timeat,ſe redituram cum dilecto Ioanne Euangeliſta eius patrono pollicetur, & adfuturam in extremis promittit; dataque tam illi quàm Dominico benedictione, nebula recedente diſparuit.

Ambo de tam glorioſa viſitatione Virginis Deiparæ læti, gratias Deo eidemque Matri miſericordiæ maximas referunt,& in cœleſtium contemplatione perſeuerant.Iuuenis tridui complementum expectat, cupiens diſſolui & eſſe cum Chriſto in æterna beatitudine, quam aliquatenus in prædicta viſitatione prægustarat.Dominicus fœlicem illum expectat tranſitum, & quantum aliorum laborantium permittit neceſſitas, aſſiſtit juueni, in cœlum ituro vale dicit, quaſdam commiſſiones apud Dominam faciendas, & fauores tam ſibi quàm cæteris obtinendos exponit: Et inter alia,quòd miſericordem Deum exoret,vt nullus in hoc Xenodochio moriens permittatur in æternum perire.

Venit tandem optata dies tertia: Redit Beatiſſima Virgo

non minori cœlitum ſtipata comitatu, ſecum S. Ioannem Euangeliſtam dilectionis Apoſtolum deducens, vt ante promiſerat, electum juuenem ad cœleſtem gloriam inuitat. Hic à Dominico iterum monitus injunctas ſibi commiſſiones Matri miſericordiæ præſentat; quæ fauores tam Dominico quàm eius deuotis petitos liberaliter conceſſit: Vt autem ad generalem illam gratiam deuenit, qua rogabat vt nullus in hoc Xenodochio moriens permitteretur in æternum perire, tacuit Virgo propter difficultatem ex parte hominum Diuinæ voluntati reſiſtentium. Sed eſtò non conceſſerit adæquatè: partim tamen experitur conceſſiſſe, vt ſequenti conſtat narratione.

Præcipit illi Mater miſericordiæ prædictæ petitionis virtute, dicens illi; Vade Fili ad hanc Xenodochij partem, & in tali lecto moribundum inuenies hominem, qui abhinc triginta annis peccata ſua non confitetur; faciam quòd ſuis ſenſibus reſtituatur, & Filius meus hanc ei gratiam concedet, vt cum vera pœnitentia confiteatur, & in ſtatu ſaluationis moriatur. Illicò ſurgens Dominicus inquirit moribundum, & juxta indicium inuenit; cum ſolito feruore clamat & hortatur, vt de ſua cogitet anima: moribundus ad ſe rediens ad ipſum oculos conuertit, & ſupra lectum ſedens nouo vigore, cum lachrymis ac ſuſpiriis Dei miſericordiam cœpit deprecari, & magna contritione confeſſus eſt. Vidit Dominicus plures Dæmones quaſi canes ad lectum eius irruere tentantes: ſed ſubitò globus igneus è cœlo decidit, qui lectum circumdans acceſſum eorum impediebat: Finita confeſſione, ſumpto viatico, & extrema vnctione recepta moritur in Domino.

Redit Dominicus ad lectum juuenis, vt pretioſæ mortis illius fieret teſtis oculatus, & tot cœlitum illi aſſiſtentium viſione frueretur. Aduenit tempeſtiuè, fœlicem intuetur tranſitum, & eius animam inter cœlites hic præſentes admitti, & cum magno triumpho ad æternam beatitudinem videt deduci. Hæc hiſtoria noſtri Dominici manu ſcripta

reperitur præcepto V. F. N. Franciſci à puero Iesv, qui ei poſt mortem glorioſus apparens inter alia quæ dixit illi, præcepit ad æternam memoriam ſcribere, quæ tunc in Xenodochio prodigioſa viderat.

Ad duas circiter leucas diſtat Valentia conuentus Patrum S. Dominici, in quo paulò ante B. Ludouicus Bertran factus Prior deceſſerat. Ad illum noſter Dominicus in vigilia S. Patriarchæ Dominici ſui Patroni receſſit, vt deuotè feſtum ipſius celebraret (ſolebat enim quotannis tale feſtum piè celebrare, vt ipſe vidi Romæ per tres annos cõmoratus.) Religioſi conuentus volentes Dominicum honorare; ipſum in cella B. Ludouici Bertran collocant, qui volens etiam ipſe ſuum hoſpitem & amicum gratificare, de cœlo cum aliis ſanctis glorioſus deſcendit, viſitaturus quem ita dilexerat: cumque majorem noctis partem in cœleſtibus colloquiis ſimul tranſegiſſent, receſſit Ludouicus, relinquens Dominicum conſolatione ac gratiis plenum.

In quodam mentis exceſſu vidit religioſos conuentus noſtri Valentini: Et D. N. Ieſum Chriſtum dicentem audit; Hi ſunt filij mei dilecti, in quibus mihi benè complacui, nam animo ſincero & candido leges ſuæ religionis obſeruant.

CAPVT XIII.

Eligitur Dominicus Prior conuentus Toletani, vbi viſitatione Regis honoratur.

IAm quinque fluxerant anni, ex quo Dominicus fuit electus Supprior conuentus Valentini: Cumque mira prudentia & obſeruantia munus illud exercuiſſet, in capitulo prouinciali Paſtranæ celebrato Prior conuentus Toletani, ſummis eius meritis id exigentibus, eligitur, vt nouam fundationem illam ſua poſſet ſanctitate promouere, & magno feruore ſpiritus in obſeruantia ſtabilire. Quamvis autem Dominicus

Dominicus dignitates ac honores ſemper refugeret præ ſumma humilitate : cum tamen obedientia præciperet impoſita officiorum onera ſuſcipiebat, vt accidit in præſenti.

Valentia profecturus Toletum jubetur tranſire Bilbili, quæ eſt ipſius patria, vt grauia quædam negotia tractaret. Fuit ibi magno conſanguineorum, amicorum, ac totius populi concurſu exceptus : Et ſic omnes ædificauit & conſolatus eſt, vt communi ciuium conſenſu nouæ fundationis ibi faciendæ licentiam obtinuerit, aut vltrò potiùs oblatam acceptauerit. Et ad hunc finem D. Ioannes Hieronymus Gotor (quem alij Guillelmum nominant) peramœnam domum ab vrbe non longè diſſitam, & in via Cæſar-auguſtana ſitam conceſſit.

Venit Toletum, & ſui conuentus gubernationem tanta cum humilitate exequitur, vt nomine tantùm & loco eſſet Prior, omnibus obſequens vt ſeruus : Et ne raptuum ipſius frequentia regularis obſeruantia detrimentum aliquod pateretur, ſe totaliter P. Suppriotis directioni ſubmiſit, vt ipſum in ecſtaſim raptum ſenſibus reſtitueret, cum opus eſſet, & in aliis ad ipſum attinentibus diſponeret. Valde fuit in cunctis prouidus, ſed ſingulariter circa infirmos, quos ſæpiſſimè viſitabat, recreabat, & in humillimis & difficilioribus obſequiis miniſtrabat.

Anguſtus erat monaſterij ſitus : Vnde & religioſi plurimas incommoditates tolerabant, & regularis obſeruantia detrimentum patiebatur. Propterea de amplianda fabrica, & præſertim de nouo choro conſtruendo cœpit cogitare, vt commodè ac decenter poſſent in eo Diuinæ laudes cantari.

Duo proponuntur intentioni Patris obſtacula. Primum ex parte religioſorum, qui ſuo dicebant Priori, nouæ fundationis paupertatem aliud exigere, nec ſumptus neceſſarios, ad fabricandum ſubminiſtrare poſſe ; Vnde ſuadebant non incipere quod continuare ac perficere non poterant, juxta conſilium Chriſti Domini dicentis ; Lucæ 14. Quis volens

turrim

turrim ædificare non priùs ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum; ne poſtea quàm poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei dicentes; quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare? Secundum erat obſtaculum ex parte ſitus anguſti, qui dilatationem chori prohibebat, platea namque publica choro jungebatur, cujus vſurpationem aut diminutionem rectores ciuitatis non paterentur.

Sed Dominicus ſimilia pietatis opera non humana ratione, ſed omnipotentia Dei metiens, ac proinde judicans eſſe facile quod obſequio Diuino conueniens arbitrabatur: Reſpondit ad primum, vniuerſos in Crucifixo theſauros eſſe poſitos, qui abundanter pro fabrica ſubminiſtraret: Quantùm ad ſecundum, adit Gubernatorem, qui partem plateæ intercipiendam ſuadet. Sed cum fundamenta cœpiſſet eruere, ciuitatis oppoſitione debuit deſiſtere, donec vel ab ipſa, vel à Rege facultatem obtineret.

Non propter hanc difficultatem à cœpto deterretur Dominicus, imò ad Regis curiam Madritum fiducia plenus properat: Cumque facilè ad Regis Philippi III. audientiam admiſſus fuiſſet, ſic eum alloquitur; Domine mi Rex huc veni, vt Dei cauſam agerem, Domus Auſtriaca fuit ad coronas exaltata propter honorem, quem Sanctiſſimo Sacramento exhibuit, & ſemper exhibet: Cum ſim Prior conuentus Toletani, non poſſum huic Diuino Domino conuenientem locum dare, niſi partem vici publici accipiam, vt ibi chorus ædificetur; Hanc accepi ſine licentia, nam aliàs non erat poſſibile illam obtinere: Proinde Veſtram Majeſtatem exoro, vt approbet quod feci, ad majorem Sanctiſſimi Sacramenti venerationem. Rex cum ſumma benignitate ter replicauit, vt darent P. Dominico, non ſolùm partem vici quam petebat, ſed etiam integrum vicum ſi vellet pro choro. Poſt actas & Deo, & Regi gratias rediit Toletum Dominicus.

Poſt aliquod tempus Rex Philippus III. cum Regina Margarita eius vxore venit Toletum : nec multò poſt aduentum ambo vadunt ad noſtrum conuentum viſitaturi Dominicum, cujus præſentia & colloquiis ſummopere delectabantur : Nec tranſitoria ſatisfacti ſunt viſitatione, imò ad eius cellulam aſcendunt, & ſupra lectulum pauperem ſedentes cum illo diſcurrunt ex profeſſo, & ſeipſos & totum regnum orationibus eius commendant.

Die Veneris ſancti majoris hebdomadæ, quo ſpecialiter Paſſionis Chriſti memoria recolitur, Rex iterum cum Regina venit ad Carmelum, ampliori dignatione Dominicum viſitaturus : Nam poſt officia Diuina, quibus ambo aſtiterunt, voluerunt cum Dominico cæteriſque religioſis in communi refectorio prandere; cumque in principio menſæ vidiſſent tam Dominicum, quàm cæteros Carmelitas ſolo pane & aqua contentos edere, vt laudabilis eſt apud nos conſuetudo; ac ſimul videntes à religioſis mortificationes exerceri, ad tuendam regularem obſeruantiam (quas propter Deum, & non propter Regem terrenum exercebant, nec propter eum intermittere volebant) ædificati ſimul & compuncti prandium Regium ad Xenodochium miſerunt, ſolo pane & vino contenti.

Magnum his diebus debitum contraxerat Dominicus, propter fabricam ; & cum mercatore, qui erat creditor, de die ſolutionis conuenerat : ſed pluribus occupationibus intentus, conuentionis fuerat oblitus, nec ſummam procurauerat, ſic Deo diſponente, vt mirabilis erga Dominicum prouidentiæ demonſtraret effectum. Die determinata comparet mercator: cumque vult cum bonis verbis pro tunc dimittere, cujuſdam Dominæ, quæ erat honoraria domeſtica Reginæ, ſeruus introducitur, qui marſupium nummis plenum in nomine ſuæ patronæ pro fabrica defert, tempeſtiuè ac juſtè, continebat enim ſummam mercatori debitam : Hunc caſum Diuinæ prouidentiæ mercator admiratur, ſicut & illa Domina, poſtquam reſciuit, & lætabunda Deum laudabat

laudabat quòd voluerit vti ſeipſa ad effectum ſuæ prouidentiæ, & eadem die duo millia aureorum iterum pro ſabrica Dominico miſit.

CAPVT XIV.

Multa mirabilia ſuccedunt Dominico.

SVb illud tempus, quo Dominicus erat Prior Toletani conuentus,ipſi multa mirabilia ſuccedunt. Legitur enim primò in factorum ipſius memoriis, quomodo ſæpiùs concionabatur cum mirabili auditorum compunctione & fructu; & qualiter deuotas inſtruens animas, mirabilia dabat æternæ vitæ documenta, quæ longum eſſet hic referre.

Cum ſic eſſet prouidus in paſcendis animabus, voluit eum Dominus mirabili modo paſcere Angelorum pane, ſanctiſſimo ſcilicet Sacramento. Solebat Dominus pœnis & afflictionibus animæ vel corporis fauores Dominico communicandos præuenire: Cum aliquando jaceret in lecto debilitatus violentia præcedentis raptus,qui die magnæ ſolemnitatis ſucceſſerat, & doloris inde prouenientis ſenſu premeretur; ac proinde Miſſam celebrare non poſſet, cum tamen ardentiſſimo recipiendi ſanctiſſimum Sacramentum deſiderio flagraret,dignatus eſt Dominus ipſum miraculosè conſolari: nam Præcurſor Angelus cum Angelo cuſtode pluribuſque aliis particulam conſecratam defert, & Dominico communicanti reuerenter tradit, qui cœleſti pane recreatus ab omni dolore liber, & tanta ſpiritus dulcedine plenus remanſit, quòd per multos dies cibum materialem non curauerit.

Sententia Inquiſitionis quidam hæretici fuerant brachio ſæculari traditi, quorum vnus in errore perſiſtens piorum & Doctorum hominum perſuaſionibus reſiſtebat, & in ſua hæreſi volebat mori. Pro vltimo remedio vocatur Dominicus, qui quamvis male habens,ad locum ſupplicij venit,

tum vt Inquiſitoribus id petentibus obediret; tum vt animam quaſi perditam Deo lucraretur. Facta oratione dixit ſe ſperare in Domino, quòd miſerum hominem dignaretur illuminare; ipſumque fortiter ac ſuauiter aggreſſus tam euidenter conuicit, vt ille abjurato errore veniam à præſenti populo petierit, ac benè diſpoſitus mortem acceptauerit.

Venerat Toletum P. Prouincialis Caſtellæ nouæ; Dominicus, etſi Prior conuentus, ſic eum vt ſuperiorem ſuum venerabatur, vt nihil abſque ipſius obedientia facere vellet. Procurauit Dæmon tam humilem obedientiam Dominici tollere: : impellit aut trahit obſeſſam mulierem ad conuentum noſtrum, & ad petendum P. Priorem vt ſibi ſuccurreret, cum Dæmon ad imperium ipſius exiturum ſe polliceretur: ſed P. Dominicus tunc orationi vacans reſpondit ſe iturum, ſi P. Prouinciali tunc Miſſam celebranti conueniens videretur: Perficit ſacrum P. Prouincialis, & jubet Dominico vt mulierem obſeſſam conſoletur. Obediens tunc Dominicus ait lepidè: Dæmon hic, vt me ab oratione & à propoſito obediendi faceret exire, ſic ſubitò volebat à corpore mulieris hujus exire, ac fœlicem credebat commutationem, ſi potuiſſet obtinere; factoque ſigno crucis in fronte mulieris immundum ejecit ſpiritum, & ad Chriſtianiùs viuendum mulierem jam liberam hortatur.

Quidam erat Presbyter diues & auarus, qui ſic terrenis rebus cor ſuum addixerat, quaſi beatitudinem ſuam in earum fruitione collocaſſet. In læthalem incidit morbum, condemnatur à medicis, de præſenti periculo vel potiùs articulo mortis monetur: ſed ille quaſi non poſſet mori, niſi mortem acceptaret, nihil aliud cogitat quàm Domus ædificationem, horti culturam, vineæ plantationem, nec de aliis loquentes vult audire. Vocatur Dominicus, qui Presbyterum monens de morte ac de periculo damnationis ab illo repellitur: Verùm extrahit Crucifixum, adorat ipſum, rogat pro infirmo, miſericorditer exauditur; Et Presbyter terrenorum oblitus credit ſe moriturum, pec-

cata

cata deflet & confitetur, ac ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis moritur in pace.

Sic à Rege & Regina diligebatur Dominicus, vt P. Generalis ſæpiùs eum Madritum ad Curiam miſerit, vt ſuorum Principum deuotioni ſatisfaceret, qui Dominicum videre frequenter, & concionantem aut de rebus Diuinis colloquentem audire volebant. Tunc peſtis Madriti graſſabatur, & cum quadam die ſub veſperam rediret in conuentum, occurrens fœmina rogat ipſum, vt ad domum cognatæ ſuæ dolentis accederet, Euangelium ſuper eam recitaturus. Accedit Dominicus credens febrim laborantis eſſe ordinariam: ſed poſtquam dixit Euangelium, eamque benedixit, dum vale dicit, alteram audit dicentem; Me quoque Pater oratione ac benedictione adjuua, quamvis enim non decumbam, peſte tamen laboro. Miratur Dominicus, & de tali caſu dolet, non propter ſeipſum ſingulariter conſideratum, ſed quia ſe perſonam publicam conſiderabat, vt pote Priorem conuentus, multorum Principum confeſſorem, Regis ac Reginæ familiarem: Turbatur, & quid agat, quò ſe vertat neſcit; Laborantes ſolatur & inſtruit, & ad orationem recurrendum eſſe judicans, vadit ad conuentum & cautè ingreditur. Dum inſtantiùs orat, acutum & viuidum in gutture ſentit dolorem, qualem ſi lanceola pungeretur: ſtatim collum intumeſcit, creſcente peſtifero tumore ad oui figuram & magnitudinem, ad aliam partem illicò tranſit lues, & æqualem priori tumorem excitat; Vnde & febris vehemens, & intenſus capitis dolor ſequitur. Videns igitur ſeruus Dei ſe morbum peſtiferum contraxiſſe, morti ſe præparat: Cumque recordatus fuiſſet, ſe quaſdam S.M.N. Thereſiæ reliquias habere, quæ paulò ante cum opinione ſanctitatis deceſſerat, eas reuerenter aſſumit, ab ipſa, & per interceſſionem ipſius à Deo petit ſanitatem, ſi ad majorem eius gloriam expediret, & non aliàs; de cætero Diuinæ voluntati conformis: Poſt hæc reliquias deuotè tumoribus applicat. His dictis & factis rapitur in ecſtaſim: Et ecce

Sancta Mater apparet illi plurium ſanctorum comitatu decorata, quæ manum vtramque ſupra tumores apponens dixit ei ; Surge Fili, jam ſanus es , vade & conuerte multas animas pro meo cœleſti ſponſo, téque totum eius obſequio committe, non enim auxilia & benedictiones ipſius tibi deerunt ; ſuo tempore Romam ibis , & meam promouebis canonizationem : Cumque rediiſſet ad ſe Dominicus,ſenſit vtrumque tumorem euanuiſſe , febrim & dolorem capitis ceſſaſſe, ſeque ſanum totaliter experitur.

Dum eſſet Madriti Dominicus,cujuſdam deuotæ ac pulcherrimæ Virginis , ſed ſimul pauperrimæ confeſſionem audiebat,quam vocabat Angelum & animo propter puritatem,& corpore propter elegantiam:Hæc ſibi timens,ne pudicitiæ jacturam incurreret , quam prodebat paupertas , & exponebat elegantiâ , ad Dominici preces recurrit , vt ſibi ſuccurreret. Deum exorat Dominicus , ipſam commendans ne pereat : Dum inſtantiùs precatur , audit Chriſtum ſibi de illa dicentem ; non peribit : Cumque de medio Diuinæ prouidentiæ circa protectionem eius dubius exitum expectaret , die ſequenti ſummo mane accedit ad Dominicum, ſignificat ſe malè habere, confiteri poſtulat,poſt confeſſionem communicat,redit domum,decumbit vt infirma, & altera die ſanctam animam Deo præſeruatori reddit.

Miſſus fuit Dominicus vt Angelus pacis ab Apoſtolico nuntio Dominico Gymnaſio, qui poſtea fuit Cardinalis, ad componendas quaſdam controuerſias inter ipſum & Canonicos Eccleſiæ Cæſar-auguſtanæ , quas ita fœliciter terminauit , vt breui Madritum cum ſatisfactione communi redierit.

Et quia proficiſcenti Cæſar-auguſtam Dominico propter dictum negotium,Regina Margarita commiſerat, vt Eccleſiam Noſtræ Dominæ de Columna , vulgo Nueſtra Señora del Pilar , perueniens adiret , vt interceſſor apud ipſam ſibi filios impetraret. Commiſſionem fideliter exequitur, ſuam interceſſionem fuiſſe efficacem agnoſcit : Vnde rediens

Madritum

Madritum dixit Reginæ; Dominus exaudiuit te, & breui Tua Majeſtas ſeipſam filiis circumdatam videbit. Quòd ſic euenit:nam plures peperit filios & filias,quos orationis proles ipſa ſolebat vocare.

Turiaſonenſis Epiſcopus D. Didacus de Yepes, tunc hiſtoriam vitæ S.M.N.Thereſiæ præparabat, & Dominicum tunc ob dictam cauſam Cæſar-auguſtæ commorantem inuitat accedere,vt nouam materiæ copiam circa reuelationes & miracula S. Matris depromat ex ipſo tanquam ex oraculo. Illuc properat Dominicus, & in toto itineris decurſu conſuetum populorum applauſum experitur, imò ruſticorum moleſtam patitur deuotionem, qui eò deuenerunt importunitatis, vt non ſolùm Dominici veſtes ſcinderent aut lacerarent, ſed etiam crines muli ipſius vellicantes pro reliquiis conſeruarent, imò quadam die frœnum abſtulerunt. Tudelam noctu venit, & vix vlla fuit domus, quæ lampadibus ſuper feneſtras appoſitis eius ingreſſum non honorauerit. Ad Epiſcopum Turiaſonem peruenit, à quo ſuſcipitur honorificè, & poſt multas dulces conferentias humaniſſimè dimiſſus Madritum reuertitur.

Dies erat S. Catharinæ Virginis & Martyris vigeſima quinta Nouembris, poſt veſperas Dominicus in cella P.Generalis Eliæ à S. Martino verſabatur: Et cum de S.Virginis conſtantia feruentiùs diſſereret, præ amore patiendi pro Deo rapitur in ecſtaſim: Tunc P.Generalis titulo ædificationis ac piæ recreationis jubet aliquot vocari religioſos;& ad experimentum obedientiæ jubet Dominico vt in ecſtaſi perſeueret,& ſimul Diuinum recitet officium, elata & clara voce perſiſtens in raptu Completorium incipit;Iubet deinde, vt recedat in cellulam, ſtatim in ipſo raptu obedit; Iubet denique, vt ſic perſiſtens aliquid dicat D. Ioannetino Doria filio Principis domus Auriacæ, qui tunc exiſtens in conuentu vocatus fuerat, & reſpondit in ecſtaſi Dominicus, Deus eum faciat optimum Cardinalem; Et propheticè dixit,nam poſt multos annos à Clemente VIII. juuenis

ille creatus eſt Cardinalis. Factis pluribus aliis obedientiæ experimentis P. Generalis mandato redit ad ſe Dominicus.

Continua penè raptuum deliquia ſic Dominicum debilitauerant, vt eum in lecto jacentem Madriti detinerent: nec aduenientibus Natiuitatis Chriſti ſolemnitatibus ad ſuum Toletanum conuentum redire potuerat, maximè propter pœnoſam neruorum conuulſionem. Tunc etiam erant Madriti P. Franciſcus à Sanctiſſimo Sacramento, dictus humilitatis ſuæ cognomento Indignus; Et F. Franciſcus à Puero IESV eodem humilitatis ſuæ cognomento vocatus Ruſticus, vterque ſanctus. In vigilia Natiuitatis accedunt ambo ad Dominicum jacentem, ſpiritualibus ac cœleſtibus colloquiis eum conſolaturi: Ante mediam noctem brachiis ſuſtentantes eum ad Eccleſiam deferunt, vt horas matutinas ſi non canere, ſaltem audire poſſet. Illis abſolutis eodem miniſterio ad ſecretum delatus oratorium tres Miſſas audiuit. P. Franciſcus à Sanctiſſimo Sacramento celebrauit, F. Franciſcus à Puero IESV miniſtrauit, & P. Dominicus interfuit. In prima Miſſa poſt factam conſecrationem paruulus IESVS in hoſtia viſibiliter apparuit cum mirabili ſplendore ac pulchritudine, ad ſolatium ſeruorum fidelium. Tres ſimul viderunt, & natum Dominum adorauerunt: Cumque Frater Franciſcus, qui Miſſæ miniſtrabat, eſſet ſupra modum Paruulo IESV deuotus, eius viſione ſic recreatur, tantoque ſpiritus feruore perfunditur, vt velut impos ſui per oratorium ſaltare cœperit, & cantare pium hoc Canticum; Seais bien venido lindo niño amigo, ſeais bien llegado dulce niño amado; quod latinè tranſlatum ſic habet; Benè veneris formoſe puer amice, benè acceſſeris dulcis puer amate. Cum eodem amoris exceſſu erga IESVM natum ſæpiſſimè duo Patres idem canticum repetierunt: Poſt ſummam hanc ſolemnitatem, & lætitiam valde diffuſam ſeruorum ſuorum diſparuit Chriſtus, ipſi verò

verò tres Miſſas proſequentes vſque ad horam decimam perdurarunt à ſecunda poſt mediam noctem, cœleſtibus deliciis perfuſi & abſorpti.

CAPVT XV.

Dominicus fit Vicarius conuentus Madritenſis, vbi mirabilia facit.

ANno Domini 1601. menſe Nouembri P. Prior conuentus Madritenſis moritur,eique ſubſtituitur in officio Prioris P. Franciſcus à Matre Dei, vir doctus, prudens & ſanctus, ac tantæ authoritatis in renouato Carmelo, quòd anno ſequenti fuerit electus Generalis. Erat tunc Prior conuentus Pompeiopolitani: & quia debebat ibi aliquantum commorari, Dominicus nominatur eius Vicarius, poſtquam mandato P. Generalis Prioratum Conuentus Toletani reſignauit. Hæc autem mutatio facta eſt, vt Regis ac Reginæ voluntati ſatisfieret, qui Dominici pia conuerſatione ſummopere delectabantur: Propterea toties eum ad curiam vocabant.

Conuentus Madritenſis in loco plurimùm incommodo ac tumultuoſo ſitus erat; Commodior & quietior locus quærebatur, vt ibi conſtrueretur: Duo proponebantur loca: Rex ipſe & toti ordini & nouo Vicario valdè deuotus vtrumque viſitat, collatiſque omnibus circunſtantiis aptiorem illum eligit, qui à Carbonaria nomen habet, ejuſque electionem tanquam commodioris & quietioris Dominicus approbauit.

Die ſequenti nouus conuentus delineatur, aperiuntur fundamenta, conſtruuntur muri, & tam fœliciter proceſſit fabrica propter maximam Regis liberalitatem, quòd ſub finem anni jam Eccleſia ad competentem eſſet altitudinem erecta, & plures cellæ paratæ. In vigilia Epiphaniæ Rex

& Regina noui conuentus ædificium inſpecturi, honeſta curioſitate ducti ad locum veniunt: vbi cum Dominico grauia & deuota miſcent colloquia; Cumque prandij tempus adueniſſet, Rex dixit Dominico, ne longiùs recederet, quia volebat poſt prandium cum ipſo diutius conferre.

Interim Dominicus, vt Veſperas recitet, & ſuæ deuotioni ſatisfaciat, ad aliam recedit cellam, vbi feruentiùs orans rapitur in ecſtaſim, & ſic hæret ſenſibus deſtitutus: Aulici quidam hoc pium videntes ſpectaculum, Regi & Reginæ denuntiant, qui ſtatim accurrentes, in hoc fideli ſeruo Domini bonitatem contemplantur.

Voluit Rex tam pij ſpectaculi finem videre: Et quia narrantibus religioſis audiuit ab ecſtaſi Dominicum redire ſtatim ac ſuperior id præciperet, ad antiquum miſit conuentum P. Generali, quatenus Dominico reditũ imperaret. Generalis volens Regiæ deuotioni complacere, omnem ſuam authoritatem Regi committit, vt veram Dominici obedientiam experiatur. Hanc ego hiſtoriã Goæ in Indiis orientalibus audiui, referente quodam P. Franciſco Pinello ex ordine S. Dominici, eo prorsùs modo, quo poſtea in certis relationibus legi. Rex igitur hac authoritate munitus & à quodam religioſo noſtro directus experitur primò quantum in raptu anima Dominici ſuo corpori dominetur, dum enim in corpus eleuatũ inſufflat, in aëre volitat: Deinde experitur quàm vera ſit Dominici obedientia, & quam Dæmon fingere non poteſt, quia ſecretas cordis cogitationes non penetrat; cum enim tantùm ore præcipit vt redeat, non redit; cum ſola mente præcipit vt Reginam alloquatur, illi loquitur; Cum interiùs præcipit tacere, tacet. Verùm cum jam noctefceret, & Rex ad ſuum palatium valde diſſitum redire vellet, ſeriò jubet Dominico vt redeat, & ſtatim ad ſe rediens magnam ſanguinis copiam ex ore dimittit, quem præſentes Aulici ſudariolis colligunt, & quaſi pretioſas conſeruant reliquias. Dominicus autem ad ſe rediens tot videns ante ſe Principes, pudore ſuffunditur; Vnde valedicens Regi ad

antiquum

antiquum remeat conuentum, omnes admiratione ac ædificatione plenos relinquens.

Dum in reditu properat Dominicus, vt vitet applauſum, obuios plures habet, qui currunt ad illum credentes ſe fore beatos, ſi videant aut tangant. Inter illos occurrit deuota mulier, auxilium à Dominico deprecans filiolo ſuo, qui ludens ad ignem & cadens in candentem laminam, faciem cremauerat, & alterius oculi vſum amiſerat: Dominicus afflictæ Matri & patienti filiolo condolens, ipſum in vlnis aſſumit, ſupra lectum reponit, & præcipit vt dormire ſinatur: Paulò poſt rediens Mater filiolum ſuauiter dormientem inuenit, qui priùs quieſcere non poterat præ dolore, illum intuens nulla vulnerum veſtigia reperit, & omninò ſanum ac incolumem recipit. Quo fauore deuincta ſe Carmelo deuouit, vbi poſtea religioſum ſumens habitum piiſſimè vixit.

Erat in conuentu quidam Pater ſenior, qui magna charitate motus plurium confeſſiones audiebat. In morbum incidit: Cumque non poſſet ſuorum pœnitentium deuotioni ſatisfacere, ſanitatem à Dominico poſtulat, patitur repulſam; inſtantiùs deprecatur dicens ſe ſanitatem optare ſolùm ad gloriam Dei ac vtilitatem proximi, complectitur illum Dominicus, jubet confidere in Domino, & ſtatim ſanum dimittit ad confeſſionis tribunal.

Quædam honoraria puella Duciſſæ de Vceda conſuluit Dominicum, qui cum non grata conſulenti reſponderet, & illa conſiliis non acquieſceret: Vt conſiliorum conuenientiam ſupernaturali prædictione demonſtraret, ait illi; Nubes poſt paucos menſes, & in Pyrenæis habitabis: Quod ita ſucceſſit, nupſit enim miniſtro Regio in arce Pompeiopolitana habitanti. Hac demonſtratione conuicta ſemper poſtea credidit Dominico.

Puella quædam magnatis filia pretioſam crucem à Parente ſibi datam amiſerat; nec vſquam inueniebatur, rem commendat Dominico, qui viſitaturus infirmam in

eadem domo, cuidam Virgini, quæ crucem rapuerat, ſubmiſſa voce dixit, vt crucem tali loco poneret, vt ad manus Dominæ deueniret, & raptus celaretur.

Cum Regina videret Dominicum ſic debilitatum, vt ad incedendum baculo, vel etiam aſello ſæpiùs vteretur, & tunc in morbum incidiſſe: Audiens inſuper ipſum extraordinarias plures pœnitentias ordinariis rigoribus ordinis noſtri addidiſſe, cum frequenter ſolo pane & aqua veſceretur, diſciplinas vſque ad ſanguinem multiplicaret, aliquando per duos aut tres dies ab omni cibo penitùs abſtineret, catenam ferream acuminibus plenam, & à collo pendentem pluries corpus cingentem deferret, ac ſimilia faceret, quibus vires eius omninò conſumebantur, continuis aliàs raptibus diminutæ: ſuos vocat medicos, vt inuiſant Dominicum imperat, eique ſuo nomine perſuadeant à tot pœnitentiis & mortificationibus abſtinere, quæ ipſum interimunt, cum eius ſalus & ſibi, & Regi, & toti regno ſit valde neceſſaria. Miſſi properant medici, compatientis ipſi Reginæ conſilium & deſiderium exponunt, ſuumque in hac parte quaſi præceptum ſubdunt, Dominicus ſeruiens Domino in lætitia lepidè reſpondit; Vult Regina res arduas & incompoſſibiles, à Deo cœleſtes fauores ſibi, Regi & regno poſtulat, deuota cum fiducia ſolet eos interponere, quos fideles ejuſdem Dei ſeruos judicat; nihil à Deo impetratur edendo, bibendo, dormiendo; ſinat me igitur ſeruum inutilem Deo ipſique ſeruire eſuriendo, ſitiendo & vigilando; ſicque medicos confuſos ſimul & ædificatos remittit ad Reginam: Quæ tamen ad P. Generalem recurrens, obtinet ab ipſo vt pro tunc Dominicus extraordinarias intermitteret pœnitentias, quas paulò poſt majori cum animo reſumpſit.

CAPVT

CAPVT XVI.

Mittitur Dominicus ad eremum, vbi plura ſuccedunt ei prodigia.

PAter Elias, à Sancto Martino Præpoſitus Generalis ordinis Dominicum etſi renitentem vocauerat Madritum, tum vt Regis & Reginæ deſiderio ſatisfaceret, tum vt Curiam eius ſanctitate ædificans multas Deo lucraretur animas,vbi magis periclitantur. Elapſo officij ſui triennio, in comitiis generalibus Toleti celebratis ei ſubſtituitur P. Franciſcus à Matre Dei,qui cum ex vna parte eſſet Dominico plurimùm affectus, & ex alia parte judicaret & diceret ſanctos tempore mortalis vitæ meliùs eſſe in ſolitudine, & poſt mortem in ciuitate, Dominicum enixè deprecantem mittit ad eremum.

In qualibet noſtræ religionis prouincia ſolet eſſe conuentus eremiticus, ad quem religioſi poſt externas occupationes de licentia ſuperiorum ſolent recedere, vt ſpiritus vires reſumant; ibi namque ſecluſis omninò ſæculi tumultibus, in rigidioribus pœnitentiis ſoli Deo ſibique vacantes, antiquorum eremitarum Thebaidis rigorem adæquant, ſi non ſuperent. Hanc vitam ſolitariam ſummopere deſiderabat Dominicus,enixè deprecabatur à ſuperioribus; ſed impetrare non potuerat, propter adductas rationes, & maximè quia variis erat officiis occupatus. Nunc poſt capitulum Prouinciale celebratum Paſtranæ, ab omni jam immunis officio toties petitam à nouo P. Generali gratiam obtinet, qui libenter illam concedit, tum vt Dominicum ſuum ſingularem amicum conſoletur, tum vt conuentum Madritenſem ab indiſcreta populorum ad Dominicum concurrentium frequentia liberaret.

Obtenta P. Generalis licentia Madrito diſcedit Dominicus, relinquens curiam confuſione plenam, velut alteram Babylonem.

Babylonem. Tunc ſanitatem recuperauerat, vnde magno cum vigore pergit ad eremum S. Ioſeph, vulgo de las Batuecas in Caſtella Veteri,feruentiùs impoſterum Deo vacaturus. Ibi per quatuordecim circiter menſes continuos degit, & ſpiritus libertate fruens rigoroſam pœnitentiis vitam,ſed Diuinis fauoribus ſuauem duxit: Ex quibus admodum pauci nobis innotuerunt, quia ſolus & ſine teſte manebat Dominicus; paucos illos à Confeſſore relatos videamus, aliquando viſuri cæteros in libro vitæ deſcriptos.

Dum quadam die oraret in ſacello, in quo ſacerdos alius celebrauerat,cum quadam tamen incuria: Vidit in ore formicæ particulam hoſtiæ ſplendidam ac radiis ad inſtar ſolis coruſcantem,hoc indicio conſecratam eſſe cognoſcit, eamq; reuerenter acceptam reponit in pixide,& combuſtæ cineres formicæ in ſacrario.

In die cujuſdam ſolemnitatis præcipuæ jacebat in lecto Dominicus,propter neruorum contractionem ac conuulſionem: celebrare,vel Miſſam audire,vel ad minus communicare deſiderabat; primum negat infirmitas, ſecundum non permittit incapacitas loci:Dum cogitat de tertio, Præcurſor eius Angelus apparens jubet bono eſſe animo, promittit ſe debito tempore ipſum communicaturum, & hortatur vt ſe præparet: Agnoſcit quidem Dominicus Angelum ſæpiùs apparentem, eique gratias agit Deoque mittenti. Verùm humilis Dominicus judicans ſe tali fauore indignum, & ſciens Dæmonem ſe ſæpiùs in Angelum lucis transfigurare, P. Priorem vocat, eique reuelationem manifeſtat. Hic vir prudens, fortè de conſilio Dominici, pergit ad Eccleſiam, particulas conſecratas in tabernaculo reſiduas exactè numerat, & tabernaculi clauem penes ſe retinet. Dum Miſſa ſolemnis caneretur, venit Præcurſor Angelus aliorum plurium comitatu decoratus, conſecratam defert particulam, eamque Dominico communicanti porrigit: Finita Miſſa redit P. Prior,qui ſucceſſum communionis audiens vadit ad Eccleſiam,aperto tabernaculo particulas conſecratas iterum numerat,

numerat, & vnam præcedenti numero deeſſe reperit, certificatus de veritate reuelationis.

Alia vice, dum in Hiſpania reſideret, & Madrito Valentiam proficiſceretur, quodam die feſto communicatur ab eodem Angelo: Communionem etiam aliquando recepit à Iesv Christo Angelorum Domino: ſed quo in loco, non recordatus fuit vnquam Dominicus, de tali fauore certiſſimus. Contigit igitur quater, quòd Dominicus adhuc in Hiſpania degens hac ſingulari via communionem receperit.

In hoc conuentu eremitico, dum ſuas preces ad hortulum recitat, perdix intrepida & læta pullos ſuos ad eum conduxit, & hinc inde diſcurrens ſeruum Dei recreat; Innocenti quippe Dominico, ſicut primo Parenti in ſtatu innocentiæ conſtituto, ſubjecit Deus ſub pedibus, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi; volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Accedit ad eum perdix cum pullis, comedunt ex eius manibus, vel abſtinent, vel diſcurrunt, vel recedunt vt ipſe juſſerit.

Nobilis Matronæ filiolus dum ludit incautè, cadit & ſibi crura frangit: Ad eremum properat, Dominicum vocat, qui juſſu P. Prioris veniens afflictæ ſuccurrit Matri, dolentem curat filium ſigno crucis, qui poſtea tanti beneficij memor fit Carmelita Diſcalceatus.

Dum in cella ſeparata intra ambitum eiuſdem eremi, majoris cauſa receſſus degeret, accidit vt quadam die campanulam pro celebranda Miſſa & Acolitho vocando non pulſauerit: Ad eum accedit P. Prior cauſam ignorans, cui de Miſſa ſciſcitanti reſpondit Dominicus; Verè celebraui, non autem pulſaui campanam, nam miniſtro non egui. Inuiſerunt me Sancti Ambroſius, Auguſtinus, & alij; Miſſam celebranti miniſtrarunt Angeli.

Antequam Dominicum ex Hiſpania transferamus in Italiam, tres reſtant nobis caſus referẽdi, qui quamvis in Hiſpania ei ſucceſſerint; locus tamen particularis, & tempus præciſum ignoratur. Primus eſt, quòd dum quadam die in aliquo

Carmelitarum

Carmelitarum mitigatorum conuentu Miſſam celebraſſet, ab ara recedens rapitur in ecſtaſim, poſt horæ quadrantem clamat alta & terribili voce ; Caue domum tuam ingrediaris, niſi mutata priùs intentione: Deus enim adeſt euaginato gladio, vt te conterat, conſule tibi, ne ſimul corpus & animam perdas. Audit qui tali conſilio egebat, & intentionem mutat, decreuerat enim leui quadam ſuſpicione ſuam conjugem occidere; Cujus tamen innocentiam audiens cœlitùs defendi, ſincerè cœpit amare ac venerari.

Secundus caſus eſt, quòd Dominicus ſimul cum aliis, & maximè Carmelitis Diſcalceatis, ad liberandam Philippi II. Hiſpaniarum Regis animam ex igne Purgatorij cooperatus fuerit. Mortuus eſt Idibus Septembris anno Domini 1598. ætatis ſuæ 72. regni 44. qui licet juſtus & bonus fuiſſet, ac plurimùm in vltima infirmitate paſſus, habuit tamen aliquid in igne Purgatorij ſoluendum. Multi pro ipſo ſatisfaciunt & deprecantur: Ex noſtro Diſcalceatorum ordine, de quo tam benè meritus fuerat Rex prudens, plures eius ſaluationi ſunt cooperati, plures ejuſdem jam mortui ab igne purgatorio libertati: Salutationi quidem S. M. N. Thereſia, & V. M. Iſabella à S. Dominico, vt in eius vita legitur, quamvis non expreſſo ipſius aut Regis nomine: refertur enim qualiter Deus huic Virgini dixerit; Volo filia, vt pro illa perſona ores, volo enim ſaluetur, hanc perſonam eſſe Regem Philippum II. poſtea declarauit. Quam Dei reuelationem cum hæc Virgo S. M. N. Thereſiæ retuliſſet, ei reſpondit Thereſia. Hoc ipſum mihi accidit, commenda Deo perſonam illam, hæc enim eſt Diuina voluntas; & quidem jam multos labores perpeſſa eſt Deo permittente, & multos perpeſſura eſt, &c. Libertati autem eius ab igne Purgatorio cooperatus eſt inter alios V. F. Franciſcus à Puero IESV, qui juſſus orare pro ipſo Rege defuncto, jubenti ſic ait: Solebam aſſiduis lachrymis illum Deo commendare, jam non poſſum; dixit enim mihi puer IESVS jam eſſe in gloria, nec humanis precibus egere;

&

& ab ea die ceſſaui, nec mihi perſuadere poſſum eum meis egere precibus. Tandem cooperatus eſt Dominicus, qui tam obedientia ſuperiorum, quàm inclinatione propria motus, cum pro defuncti Regis anima intentiùs oraret, vidit aliquando in oratione quietis horribiles cruciatus, quos in vltima paſſus eſt infirmitate, cum maxima reſignatione & patientia: Vidit obiiſſe, & deductum ad purgatorium plurium ſanctorum regularium orationibus & ſacrificiis adjuuari: Vidit tandem à purgatorio liberari, & magno ſanctorum & Angelorum comitatu decoratum conſcendere cœlum. Ex his ſanctis non omnes agnouit, tres ſpecialiter diſtinxit: Videlicet Laurentium martyrem, Ludouicum Galliæ Regem, & Thereſiam Fundatricem noſtram. Laurentius interfuit cœleſti triumpho Philippi, quia fuit illi deuotiſſimus Philippus, cum in eius honorem magnificentiſſimam Eccleſiam & conuentum Scurialem conſtruxerit: Interfuit Ludouicus, vt oſtenderet quòd inter ſanctos Reges viget amor, licet inter mortales plura ſint ratione ſtatus diſſidia: Interfuit denique noſtra Thereſia, gratitudinis cauſa erga hunc Regem, qui noſtræ reformationis protectionem ſuſcipiens, authoritate ſua contra impugnantes defendit, prudentia ſtabiliuit, & auxilio promouit; & ſic noſtram Thereſiam ſtatim poſt mortem venerari cœpit, vt collecta eius manuſcripta inter Sanctorum Patrum codices in regia Bibliotheca collocauerit. Poſt hanc viſionem myſticam non potuit ampliùs Dominicus pro anima defuncti Regis Deum exorare.

Tertius caſus eſt, quòd nocte præcedente feſtum Beatæ Mariæ de monte Carmelo, dum recitatis in choro matutinis laudibus, contemplationi vacat Dominicus, audit à longè cœleſtem muſicam: qua poſtmodum accedente, videt Angelorum & ſanctorum choros in Deo & Deipara laudandis occupatos: Ac tandem ipſam Beatiſſimam Virginem ſole veſtitam, ac ſtellis ornatam, in throno ſublimem, quem ſuis geſtabant humeris hi quatuor, P. Ludo-

uicus Granatenſis ordinis Prædicatorum, P. Nicolaus à Iesv Maria primus inter noſtros Generalis, Auguſtinus à Regibus, & P. Ioannes Baptiſta inter nos Prouinciales; Quibus hoc priuilegium intelligit conceſſum, quia B. Virginis honorem omni via procurarunt, & noſtrum ordinem ipſi dedicatum ſpecialiter protexerunt. Ab ipſa didicit Dominicus, vt primariò ſuos actus offerret Deo, & ſecundariò ſibi: quia non poſſunt filio placere, ſi non matri ſimul offerantur ſaltem implicitè.

* * *

LIBER

LIBER QVARTVS VITÆ V.P. DOMINICI A IESV MARIA IN ITALIA CARMELVM PERFICIENTIS.

PROLOGVS.

BONVM eſt ſui communicatiuum: quod autem perfectiſsimum eſt, magnum bonum eſt. Vnde ſe debet in alios diffundere, eiſque ſeipſum communicare. Vidimus libro tertio Dominicum jam perfectiſsimum, neceſſe eſt, quòd in hoc quarto videamus ipſum ſuam aliis perfectionem ſine inuidia communicantem. Cœperat in Italia juſſu Pontificis noua Carmelitarum Diſcalceatorum congregatio, ad illam mittitur, aut vocatur Dominicus, vt nouum perficiat Carmelum, tum exemplo, tum authoritate, tum inſtructione. Quamvis autem & intra congregationem, & extra patraret mirabilia; in præſenti tamen præcipuè conſideramus, quæ circa Carmeli perfectionem operatus eſt, dum diuerſas in congregatione Prælationes exercuit, tum Magi-

ſtri nouitiorum, tum Prioris, tum Procuratoris generalis, tum Definitoris generalis, tum denique Præpoſiti Generalis: Vnde meritò dici poteſt, quòd licet Carmelum in Italia non plantauerit, ipſum tamen irrigauit aſſiduè, cui Deus maximum dedit incrementum.

CAPVT I.

Mittitur Dominicus in Italiam authoritate nuntij Apoſtolici.

DEgebat in eremitico conuentu Dominicus: Cumque Sanctorum Martyrum acta perlegeret, maximum concipiebat patiendi pro Chriſto, imò & ſanguinem fundendi deſiderium. Plurimum creuit, cum audiit mira, quæ tunc de noſtra miſſione Perſica dicebantur. Libenter illuc iret, ſi concederetur; Dominum rogat, vt eundi via ſibi pateat. Interim corpus ſuum extraordinariis affligens pœnitentiis perfecto præparat martyrio, vel potiùs longum in hac afflictione ducit martyrium.

Paucis ab hinc annis noſtra Diſcalceatorum Italica congregatio cœperat. Cum enim Summus Pontifex Clemens VIII. V. P. N. Petri à Matre Dei ac ſociorum eius Romæ commorantium ſanctitatem admiratus, dictum P. Petrum in ſuum concionatorem Apoſtolicum elegiſſet, & congregationem cœptam in Hiſpania per totum orbem Chriſtianum, imò & ad barbaras gentes dilatare vellet; Et Patres Hiſpani nollent extra ſuam Hiſpaniam fundare, timentes ne cæteræ nationes Chriſtianæ rigorem primitiuæ noſtræ regulæ tunc de nouo reſtitutæ ferre non poſſent, vt pote delicatiores: nouam inſtituit congregationem Italicam, ſub qua comprehenderentur omnes conuentus

extra

extra terminos Hiſpaniæ fundandi, & quæ foret ab Hiſpana congregatione totaliter diuiſa quantùm ad regimen, ſed quantùm ad amorem vnitiſſima.

Ad hanc nouam congregationem fundandam & promouendam P. Petrus à Matre Dei Pontificis authoritate conſtituitur Commiſſarius Apoſtolicus. Cum P. Petrus paucos admodum haberet religioſos aptos regimini; rari namque venerant ex Hiſpania, juuenes autem erant qui in Italia fuerant induti, prudenter inſtat apud Summum Pontificem, vt authoritate ſua præcipiat quatuor Carmelitas Diſcalceatos ex Hiſpania venire, qui ſecum in nouæ congregationis inſtitutione laborent.

Expeditur Apoſtolicum breue, & Dominico Gymnaſio Archiepiſcopo Sipontino, tunc apud Regem Catholicum Nuntio Pontificis, poſtea creato S. R. E. Cardinali directum mittitur. Is vt ſuæ commiſſioni ſatisfaciat, intimat breue P. Generali, quatuor petit religioſos in Italiam mittendos (vtrum in breui nominatim expreſſos neſcio) & inter illos petit Dominicum, cujus ſanctitas non ſolùm Hiſpaniam illuſtrabat, ſed etiam Italiam irradiabat: Credidit enim ſe Pontifici rem gratiſſimam facturum, totique Romanæ Curiæ munus pretioſiſſimum fore tranſmiſſurum.

Facta quatuor principalium religioſorum, & inter eos Dominici electione, ſtatim monentur vt ſe diſponant itineri. Dominicus voluntatem Diuinam in hac electione ſua conſiderans, & populorum applauſum in Hiſpania fugere, ac in terra aliena velut ignotum poſſe latere judicans, ac inſuper memor prædictionis S. M. N. Thereſiæ, ſummoperè lætatur, nihilque tam charum habet quàm citiùs obedire, credens maximè ſe profecturum in Perſidem, vbi & animas Chriſto lucrari & pro Chriſto ſanguinem fundere poſſet.

Vadit Valliſoletum, in qua ciuitate tunc erat Regis curia, tum vt Nuntij benedictionem acciperet; tum vt Regi ac Reginæ valediceret. Omnes humaniſſimè Domini-

cum excipiunt, vellent diſceſſum eius impedire, ſed non audent, quia pro majori Dei gloria fore ab ipſomet Dominico perſuadentur. Accipiunt Rex & Regina cum aliis à Dominico benedictionem, ipſum deprecantur, vt Regiæ domus & totius Hiſpaniæ memor apud Deum ac Summum Pontificem exiſtat, eumque diſcedentem votis fœlicibus & lachrymis comitantur, poſtquam ſuis filiis, & præſertim Infantiſſæ tunc infirmæ, nunc in Gallia Reginæ benedictionem obtinuerunt.

Valliſoleto dimiſſus ab Apoſtolico Nuncio Paſtranam contendit, vbi tunc P. Generalis erat, magno ſed breui religioſorum gaudio ſuſcipitur, & maximo ac diuturno mœrore dimittitur, præſertim à P. Generali, qui quantam in amiſſione Dominici ſua congregatio jacturam faceret attentè conſiderabat. Debuit tamen Dominicum dimittere, vt Summo Pontifici & eius Apoſtolico nuncio fideliter obediret.

Diſcedens Paſtrana, qua poteſt diligentia Barcinonem versùs properat. Neſcio an tunc ipſi ſucceſſerit, quod in Hiſpania ſucceſſiſſe refertur, non aſſignato nec tempore, nec loco: quòd ſcilicet iter agens luxauit pedem, & ſummos patienti dolores ſub equitis ſpecie Dominus apparuit, & equum offert vt faciliùs iter perficiat. Dominum agnoſcens Dominicus reſpondit; Domine, libenter amore tui dolores hos patiar: Placuit Domino reſponſum amantis Dominici; & quia longa reſtabat via, clementer eum ſanat, ne deficeret incedendo.

Tanta celeritate totum illud iter conficit, vt vix ſciatur quà tranſierit; ſcitur tamen quòd in ſubitaneo illo tranſitu populorum vndique concurrentium applauſum vitare non potuerit, vt aliàs contingebat. Tandem peruenit Barcinonem, in cujus portu triremem inuenit ſoluturam breui in Italiam.

Vix innotuit aduentus Dominici, cum noſter Diſcalceatorum conuentus circumdatur concurrentium agmine tam

virorum quàm mulierum : Nobiles alloqui, plebæi petunt videre,& omnes eius benedictionem depoſcunt. Tumultum fugiebat Dominicus ; ſed non erat in tota domo locus tam abſconditus, in quo latere poſſet, & ad quem indiſcreta venientium deuotio non penetraret.

Cum eſſet diſcedendum,& nauigandi tempus inſtaret,vt tot hominum vitaret occurſum,debuit noctu ad arcem Ducis de Monte-leonis Catalauniæ Proregis deduci, vt inde ſub cuſtodia ſatellitum ad mare conduceretur. Sed quia nec tali cuſtodia ſecurum fore Dominici tranſitum timebatur ; opus fuit, vt intempeſta nocte per horti feneſtram dimitteretur : Nec ſic totaliter concurſum vitauit, jam enim erant plurimi diligentiores,qui littus præoccupauerant,aut in ipſa triremi expectabant.

CAPVT II.

Nauigat Dominicus, ſedat tempeſtatem, & Genuam appellit.

SOluit portu triremis, & vulgus inſiſtens littori Dominicum nauigantem votis & lachrymis proſequitur. Tempus erat opportunum, venti proſperi ; fœlici curſu totam Catalauniæ ac Rucinonis oram legunt : Sed vix Hiſpaniæ fines relinquentes ad fretum Lugdunenſe (ſic tractum illum maris vocant Hiſpani,quod inter Narbonam & Maſſiliam jacet,ventis ſeptemtrionalibus obnoxium,qui Rhodanum influentem ordinariò comitantur;ita fortè denominatam, quia recipit Rhodanum Lugduno venientem) fauſtè accedunt : Cum ſubitò turbatur aër,venti fremunt, & tam horribilis excitatur tempeſtas, vt Nauarchus naufragium timens, multis ſuperatis periculis ad pagum pauperem littori adjacentem applicuerit.

Quamvis ille tractus ſit ventorum impetu procellis ob-

noxius, & tempeſtatibus ſuis apud Hiſpanos nominatus: Hanc tamen tempeſtatem inuidia Dæmonum excitatam nouit Dominicus; præuidebant enim Dæmones, quanta ſibi Dominicus mala tam in Italia quàm alibi facturus eſſet. Vnde vel ſubmergere tentabant prædicta tempeſtate, ſi permitteretur; vel ſaltem à trajectu deterrere volebant: & ſic eius obedientiam infirmare.

Vt verò majorem incuterent ipſi terrorem, horrori tempeſtatis minas futuri naufragij viſibiliter apparentes addiderunt. Dicebant enim omninò furibundi; O proditor, modò modò de te vindictam ſumemus. Sed Domino ſuum fidelem ſeruum protegente, ſuperatis omnibus periculis ad portum optatum triremis tandem peruenit.

Cum mota diutiùs ſæuiret tempeſtas, nec tam citò tranſitura videretur, ad Deum eſſe recurrendum omnes nauigantes, tam religioſi quàm laici, judicarunt. Accedunt ad Dominicum, quem vt ſanctum venerabantur; rogant ipſum vt Miſſam celebret, tranquillitatem maris & ventorum proſperitatem deprecaturus: Votis eorum rogatus annuit, Miſſam de Beata Maria celebrandam eligit, quam ſcit eſſe ſtellam maris, reginam Angelorum, dominatricem Dæmonum, ac Matrem miſericordiæ. Miſſam celebrare incipit: Necdum eam finierat, cum redit ſerenitas aëris, & tranquillitas maris; eademque die ſe mari committentes iter proſequuntur.

Quamvis à vicina ſpecula monerentur indicio fumi non longè diſſitos eſſe piratas, fidentes tamen triremis velocitati contemnunt periculum, ſed infauſtè ſucceſſiſſet, niſi Deus jam in neceſſitate poſitis ſuccurriſſet. Incidunt in quatuor naues Turcarum Africanas, quæ ſtatim Chriſtianorum triremem inſequuntur: Vtrimque ad certamen ſe præparant; quia Chriſtiani tam libertatem, quàm diuitias in triremi delatas, quæ quinquaginta ſuperabant aureorum millia, totis viribus vſque ad extremitatem defendere volebant, non ſine manifeſto necis periculo. Deum precatur Dominicus,

&

& miſericorditer exauditur, nam mutato vento triremis præterlabitur, & periculum euadit.

Reliquum viæ fœliciter perficiunt, Liguſticum littus decurrunt, Genuæ portum ingrediuntur anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quarto, menſe Iunio, & in noſtro conuentu S. Annæ dicato ſuſcipitur à Religioſis cum inſigni charitatis ſignificatione, & immenſo ſæcularium jubilo, fama namque ſanctitatis ipſum præcurrebat.

Vix Genuam appulerat Dominicus, cum virtutis ſuæ patitur aduerſarios, ac ſanctitatis æmulos. Vnus ex ipſis petulantior ad eum accedit, & obuiam factus interrogat ſuperbè: Cur non manſerit in Hiſpania? An illo indigeat Italia? Ad quæ negotia Genuam venerit? Reſpondet humiliter Dominicus cœleſti perfuſus lumine: Veni, vt tuam confeſſionem audiam, & te abſoluam ab occulto quodam peccato, quod hactenus Eccleſiæ clauibus non ſubjeciſti: Quapropter adhibita conſcientiæ diligenti diſcuſſione illud confitearis. Et quidem ſi te periclitantem ad Dei gratiam reduxero, non veni ſine cauſa in Italiam. Obſtupuit ille, & jam conſcientiæ ſtimulum ſentiens ad pedes Dominici prouoluitur; eius poſtea directione confeſſionem integram peccatorum facit, & eius auxilio ac prudentia ad viam ſalutis æternæ reducitur.

Per quadraginta quinque annorum ſpatium illuſtrauerat Hiſpaniam Dominicus, nunc Italiam nouis prodigiis & miraculis incipit illuſtrare. Et primò Genua tam celebris hoſpitis ſanctitatem experitur: Cum tota ciuitatis illius nobilitas conſolationis animæ ſuæ cauſa Dominicum viſitaret, adfuit & D. Andreas Doria Marchio Torriliæ D. Ioannis Andreæ Doriæ Melphenſis Principis filius primogenitus, qui ſeipſum Dominico totaliter deuouens, quandiu poterat ab eius ore pendebat, à quo vitæ æternæ verba & ſalutis oracula depromebat: nec vnquam eum deſereret, niſi triremium Regis Hiſpaniæ curam adminiſtraret, factus eorum Generalis Præfectus.

Poſt feſtum corporis Chriſti ſeceſſit Marchio Lodanum abſolutæ ſuæ ditionis oppidum, quò priùs obtenta V. P. N. Petri à Matre Dei tunc Commiſſarij Apoſtolici facultate ſecum duxit Dominicum. Tum vt in illo receſſu quietiùs Dominici conſortio frueretur; Tum vt ibi noui conuentus pro nobis incœpti fabricam ipſe Dominicus dirigeret. Aduentus Dominici fuit omnibus domeſticis ipſius Marchionis, ac præſertim D. Ioannæ Columnæ eius conjugi gratiſſimus.

Non caruit præmio Marchionis erga Dominicum fida deuotio. Cum enim conjux ipſius difficulter enixa laboraret ad mortem, quia ſanguinis copia ſuffocabatur, & à medicis deſperata cenſebatur; Dominicus in nomine Domini dixit Marchioni, Domina Principiſſa non morietur, conceſſit enim illi Deus vt reſtituatur ſanitati: Et ad infirmam accedens præmiſſa benedictione præcipit infirmitati ne progrediatur, ſed paulatim recedat. Cumque medici periculum videntes plus attenderent naturæ quàm gratiæ, & morituram Principiſſam dicerent, hoc audiens puellus quidam cujuſdam Hiſpanæ filius, quæ Principiſſæ ſeruiebat, cœpit flere, ac gemitibus aſſiduis totum palatium replere. Cui ait Dominicus; Tace puelle & abi, non morietur tua Principiſſa, viuet enim, & tu illam præcedes: Quod ſic euenit, vt prædixerat, nam Principiſſa breui conualuit, & puellus poſt tres aut quatuor menſes deceſſit.

Cum ſimul rogaretur Dominicus, vt filiolo Principiſſæ recenter nato mortique proximo ſanitatem & longam vitam à Deo ſuis precibus impetraret: Reſpondit ſe non poſſe facere, ſignificans Deum cœlo tantùm creaſſe puellulum. Matrem Principiſſam ſolatur, eique reſignatæ in Dei voluntate in nomine Domini promiſit alium filium, multò pulchriorem ac Reipublicæ magis vtilem intra annum, quem poſt decimum menſem magna cum lætitia peperit.

CAPVT

CAPVT III.

Romam vocatur Dominicus, & fit Supprior ac Nouitiorum Magiſter.

VEnerabilis Pater Noſter Petrus à Matre Dei in noua congregatione Commiſſarius erat Apoſtolicus. Ad bonum illius, & ad Romani conuentus vtilitatem vocat Dominicum cum pluribus aliis. Procurant aliqui diſceſſum Dominici ad tempus magis opportunum retardare, dicentes inſtare æquinoctium autumnale tempeſtatibus obnoxium: Reſpondet Dominicus; Nobis religioſis omne tempus eſt opportunum ad obediendum, nec opportunius habere poſſumus, quàm dum obedimus. Vnde vale dicens omnibus ſe mari committit, cum octo ſociis, tribus ſcilicet qui cum ipſo venerant ex Hiſpania, & quinque aliis Genuenſis conuentus religioſis. Romam peruenit die vigeſima ſexta menſis Octobris ejuſdem anni milleſimi ſexcenteſimi quarti: Cujus aduentus tam P. Commiſſarium, quàm reliquos Carmelitas indicibili lætitia repleuit.

Tunc inter alios venerabiles ſanctitate religioſos, qui nouum conuentum Beatæ Mariæ de ſcala virtutibus decorabant, totamque Romanam curiam illuſtrabant; tres erant præcipui, videlicet P. Petrus à Matre Dei, P. Ioannes à Iesv Maria, & P. Albertus à Sanctiſſimo Sacramento. Primus erat Commiſſarius Apoſtolicus totius congregationis tunc perexiguæ, ſecundus erat Vicarius ejuſdem conuetus, tertius erat ibidem Magiſter nouitiorum. De primo ſic ait Baronius tomo XII. ad annum Chriſti MCLXXXVII. loquens per occaſionem de Leone XI. delecto poſt hæc ad ſacrum munus pœnitentiæ impendendum viro digniſſimo Petro à Matre Dei à Darocha Hiſpano, Carmelitanæ reſtitutæ obſeruantiæ cuſtode & propagatore, ſacrique Palatij à Clemente VIII. delecto concionatore, quo vix aliquis

aliquis Romæ ſanctior hoc tempore poſſe reperiri crederetur: ſub cujus miniſterio animam fœliciter Deo reddidit victor & triumphator ampliſſimus: Hæc Baronius. De ſecundo multa poſſent dici,& alibi dixi:Nunc ſufficiat dicere, quòd perſeuerans à tot annis incorruptio corporis ſanctitatem ipſius, & ſcripta eius copioſa àc plurimum erudita doctrinam ſingularem demonſtrant. De tertio multam virtutem,prudentiam & doctrinam euidenter confirmant multa & majora officia, quibus in noſtra congregatione fuit honoratus.

Quia verò tam V. P. N. Ioannes à IESV MARIA, quàm P. Albertus à Sanctiſſimo Sacramento erant valetudinarij, ne quid Nouitiatus pateretur, P. Commiſſarius mirabile Dominici talentum videns nouitiis educandis præfert. Cœpit igitur Dominicus ex commiſſione Magiſtri nouitiorum officium exercere, tanta prudentia,tanto feruore, tantaque ſanctitate, quòd mirabiles verbo & exemplo fecerit diſcipulos, qui poſtea noſtram congregationem & virtute decorarunt, & regimine ſancto ac prudenti diuerſis in locis illuſtrarunt.

Celebratum fuit Romæ Summi Pontificis authoritate primum generale capitulum anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinto menſe Maio, in quo fuit electus Præpoſitus Generalis R. P. N. Ferdinandus à Sancta-Maria, bis impoſterum ad eandem inter nos ſupremam dignitatem reelectus, vir eximiæ prudentiæ ac regularis obſeruantiæ. Confirmatur in hoc capitulo Dominicus in officio Magiſtri nouitiorum, ac ſimul eligitur Supprior conuentus: experientia namque conſtabat,ipſum eſſe maximè idoneum.

In hoc feruoris officio renouauit Dominicus,ſicut Aquila, juuentutem ſuam. Vnde quæ fecerat hactenus quaſi nihil reputans, dicere poterat, nunc cœpi; ſe enim vt prodigioſum exemplar omnium virtutum exhibebat. Cibus eius valde parcus non ſufficeret ad vitam, niſi cœleſtibus deliciis paſceretur, ipſumque ordinariè mixto abſynthio priùs

redacto

redacto in puluerem inficiebat. Vix per horam cum dimidia, vel ad ſummum per duas horas dormiebat: Et hoc breue tempus erat vigiliis interruptum; nam, vt diligenter obſeruatum eſt, eius Angeli, Præcurſor ſcilicet & cuſtos, breuiſſimo temporis ſpatio vix elapſo, quo Pſalmus *Miſerere mei Deus* recitari poſſet, ad eliciendos actus amoris Dei ſolebant eum excitare: Vnde potiùs dormitabat quàm dormiebat. Reſiduum noctis in ſanctis meditationibus inſumebat: Et in hoc feruoris exercitio creuerunt in eo raptus ac Diuinæ conſolationes.

Die Sancti Andreæ Apoſtoli, quem Dominicus vt Diſcipulum S. Ioannis Baptiſtæ Principis Eſſenorum, ac proinde alumnum ordinis Prophetici Carmelitani venerabatur, matutino tempore propter ecſtaſim præcedentem debilitatis omninò viribus in lecto manere coactus eſt. Vnde vt ſeruum ſuum Dominus in mediis doloribus conſolaretur, ad eum miſit ſanctum hunc Apoſtolum multis ſtipatum Angelis, præſertim Præcurſore ac Cuſtode Dominici, qui Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ab Eccleſia deferens ipſum propria manu communicauit, & conſolatum in animo, & in corpore reſtauratum reliquit. Succeſſit hoc in tertia cellula primi dormitorij nouitiatus ad dexteram procedentium ab oratorio ad valetudinarium ſeu locum infirmorum, in qua tunc Magiſter nouitiorum habitabat.

Dum Confeſſionem generalem peccatorum, quæ ſtatim à principio nouitiatus fieri ſolet, audit Dominicus, ſic confitentes dirigit, ac ſi lumine ſupernaturali conſcientias eorum penetraret, & in eis peccata maximè latentia legeret; Vnde eis ſecretiſſima ſuggerebat, ſi fortè tunc memoriæ non ſuccurrebant, cum admiratione ac vtilitate ipſorum.

Romæ tunc Marchio de Villena Regis Catholici ad Summum Pontificem erat Orator, qui à Margarita Regina Hiſpaniæ commendatitias in fauorem Dominici litteras acceperat, quibus motus, ſicut & notitia experimentali quam de ipſo Toleti conceperat, aduentantem recepit vt Angelum;

lum ; in grauioribus ſuis rebus, & præſertim ad conſcientiam attinentibus, ipſum aſſiduè conſulebat, apud Summum Pontificem, Cardinales, & alios tam Principes quàm Prælatos commendabat. Sed cum in ipſo laudando nimius eſſet, Dominicus plurimùm offenſus ei ſignificat, clauſam ipſi fore cellulam, niſi laudare ceſſet. Emendationem in hac parte promittit Orator, vt Patris animum ſedaret, ſed promiſſa non ſeruat: Cum autem ex Oratore factus fuiſſet Prorex Siciliæ, & Roma diſceſſurus eſſet, voluit ad ſolitarium noſtrum S. Sylueſtri conuentum in monte Tuſculano ſitum cum Dominico recedere, vt remotus ibi à curiæ tumultibus mundandæ conſcientiæ quietiùs vacaret. Hunc conuentum ſua liberalitate decorauit: nam intra ſeptum eius Eremitorum cum ſacello, cella & horto conſtructum muro cinxit, vt in illud religioſi ſigillatim ad majorem internam collectionem, ac cœleſtium rerum contemplationem recederent.

Clementi VIII. ſummopere Carmelitis Diſcalceatis affecto, cujus proinde memoria eſt apud ipſos in benedictionibus, ſucceſſerat Leo XI. Florentinus ex inclyta domo Medicea, non minus noſtris affectus; cum eius ex ſorore nepos ipſamet die promotionis ipſius ad Pontificatum generosè renuntians ſæculo noſtræ religionis ſumpſit habitum, in qua ſummam perfectionem conſequutus cum opinione ſanctitatis deceſſit. Sed hic Pontifex viginti & ſeptem diebus poſt electionem eodem anno MDCV. obijt in manibus V. P. N. Petri, & breui ſucceſſorem habuit Paulum V. Romanum ex illuſtri domo Burgheſia: Hic cum multa & mira audiuiſſet de Dominico, jubet eum ad ſe vocari, quem venientem benignè ſuſcipiens ait; Benè Pater Dominice fugis nos? ſcimus qualia ſibi ſint à Rege Hiſpaniæ commendata negotia, quare non petiit audientiam vt illa expediret. Dominicus poſt actas pro tanta dignatione gratias, veniam petit pro negligentia; Mortem prædeceſſoris Pontificis, nouam ipſius electionem cum tot

publicis negotiis pro excuſatione adducit : exponit res magnas & difficiles ex parte Regis , quarum tamen benignam expeditionem obtinuit.

CAPVT IV.

Eligitur Dominicus Definitor Generalis , & Prior conuentus Romani.

CElebratur Romæ ſecundum noſtrum capitulum generale menſe Aprili anno Domini MDCVIII. Et eligitur in Præpoſitum Generalem V.P.Petrus à Matre Dei jam deſcriptus. Ex quatuor Definitoribus Generalibus tunc electis vnus eſt Noſter Dominicus , qui præ humilitate recuſat omnes religionis dignitates , præſertim majores : ſed cum eius renuntiationem Patres Capituli acceptaſſent: tandem ſe cum reſignatione ſubmittit , memor correctionis Dominicæ ſibi in Hiſpania factæ;cum enim eodem humilitatis titulo dignitatem ſibi datam à Generali recuſaret, dum orat rapitur in ecſtaſim , vbi tribus cubitis à terra elatus ſibi factam à Deo correctionem teſtatur , repetens hæc verba ; Paratus ſum,&.non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. Rediens igitur è raptu ſe ad pedes Generalis projicit, & oblatam dignitatem cum humilitate ac reſignatione acceptat.

Eligitur etiam Dominicus Prior conuentus Romani,qui denominatur à Scala , per quam deſcendebatur ad imaginem miraculoſam Beatiſſimæ Virginis Mariæ ; Vnde nunc dicitur Noſtra Domina de Scala. In hoc naſcentis noſtræ congregationis initio plures dignitates eidem religioſo conferebantur, quia pauci tunc erant, nunc autem non obſeruatur. Voluit Dominicus huic etiam officio renuntiare, judicans ſe indignum , & talem ſe cum lachrymis coram Patribus proteſtatur ; aliunde timens ob immediatum regimen

men animarum tali officio annexum, ſciebat enim Apoſtolo teſte, quòd ſuperiores inuigilant, quaſi rationem pro animabus ſubditorum Domino reddituri. Quamvis autem ſciret ſuos ſubditos eſſe perfectionis amatores, qui oderant peccare virtutis amore, & non formidine pœnæ: judicabat tamen majus eſſe periculum in primitiuo feruore religionis alicujus permittere minimam inobſeruantiam, ex qua relaxatio ipſius incipiat, quàm in relaxata jam religione magnos tolerare defectus. Verùm eius lachrymæ hunc ſolummodò effectum habuerunt, quòd omnes capitulares ædificauerint.

Prior igitur conſtitutus ſuum à ſpiritualibus regimen incipit. Et quia præcipuum animarum profectum in interna ad Deum collectione conſtituebat, qua mens ab alienis objectis abſtracta Deum ſibi præſentem contemplatur, propria doctus experientia; decreuit hanc Dei præſentiam non ſolùm verbo & exemplo cunctis inculcare, ſed etiam adhibitis exterioribus mediis illam procurare. Vnde cum ſciret hominem non eſſe intellectiuum purè, ſed ſimul eſſe ſenſitiuum, qui proinde ſenſibilibus indiget motiuis, vt mens eius ad Deum eleuetur; cœpit conuentus dormitoria, cellas, aliaque loca piis ſententiis è Sacra Scriptura ſanctiſque Patribus accuratè depromptis replere, ac deuotis imaginibus decorare, vt intuentes exteriùs recrearent, & interiùs ad pios affectus excitarent. Qui laudabilis vſus poſtea fuit in tota congregatione noſtra receptus.

Deinde fabricæ conuentus & Eccleſiæ jam cœptæ ſedulus attendit, nec ſolùm muros erigit, ſed etiam viam aut plateam publicam à Summo Pótifice obtinet, vt perexiguus ſitus additione talis viæ ac domorũ ex altera parte ejuſdẽ viæ adjacẽtium ampliaretur: quod non ita facile credebatur, ſed Dominici deſideriis pro Dei gloria cóceptis nullus reſiſtit. Promouet igitur fabricam, & penè abſoluit, debita pro domorum emptione contracta ſoluit, pluraque fecit tempore ſui officij, quæ alterj fuiſſent impoſſibilia.

Nec

Nec caruit prodigiis ædificatio conuentus: Vnum & maximum in perſona Dominici contigit; Cum enim quadam die ſub tecto tranſiret, quidam illud mundans fragmenta tegularum & magnam lapidum copiam projicit: fragorem audit Dominicus, oculos ſurſum eleuat, videt totam illam tegularum & lapidum congeriem directè ſupra ſeipſum cadere; ſed ordinatione Diuina in gyrum, adinſtar coronæ, ſupra caput eius conformati miraculosè ſuſpenduntur in aëre contra ſuum naturalem impetum, donec tranſiiſſet Dominicus, qui poſtea magno ſtrepitu ceciderunt. Diuinum hunc fauorem miratur Dominicus, & infinitas pro eo gratias agit ſuo benefactori.

Venerabilis P. N. Petrus à Matre Dei tunc Præpoſitus Generalis ægrotare cœpit periculosè, vix elapſis tribus officij menſibus. Vt medicorum conſilio, vel præcepto potiùs obediret, quamvis ſuæ mortis præſcius, ad aquas Medicinales Nuceriæ proficiſcitur, vbi vitam meritis & virtutibus plenam terminauit, anno Domini MDCVIII. die XXVII. menſis Auguſti. Dum pretioſum eius corpus Romam transferretur, antequam ad conuentum perueniſſet, rapitur in ecſtaſim Dominicus, & P. Petrum magna coruſcantem gloria, & multorum Angelorum ac Sanctorum comitatu decoratum intuetur, & hæc dicentem audit: Ecce Pater, quàm benè præmiat Dominus illud omne quod fit eius amore; Venio, vt inter ipſos corpus meum deponam in hoc conuentu Scalæ, locum iſtum totamque congregationem Deo commendare non ceſſabo. Iam inductum ſacrum depoſitum Dominicus reuerenter excipit, & infra chorum in loco decenti collocat: tantaque impoſterum memoriam eius veneratione coluit, vt quoties de illo loqueretur, magnum P. N. Petrum nominabat, vt ipſe ſæpiùs audiui; & in ecſtaſi prædicta dixiſſe clara voce traditur, Sancte Petre ora pro nobis.

CAPVT V.

Vadit Lodanum Dominicus, noui conuentus poſſeſſionem accipit, & ibi Sacerdotem conuertit.

MArchio Torriliæ, jam tunc poſt Parentis obitum Princeps Melphenſis, noſtrum Lodanenſem conuentum in loco plurimùm amœno magnificentiſſimè conſtructum, vt pote quem in ſuæ familiæ ſepulturam eligebat, penitùs abſoluerat: Et cum illum vellet ſolemniter dedicare, & apud Deum & apud homines; credidit non aptiori medio fieri poſſe, quàm ſi Dominicus intereſſet, quem & Deus vt ſuum fidelem ſeruum diligebat, & homines velut ſanctum vbique ſequebantur. Propterea litteris ſæpiùs iteratis illum ad hanc dedicationem inuitauit.

Plurimùm juuit profectioni ſuſceptæ Dominici, quòd D. Carolus Doria Dux de Turſi, frater Principis tunc erat Romæ cum D. Placida Spinola conjuge ſua, poſt reditum è peregrinatione Sacræ Domus Lauretanæ, & Genuam breui rediturus erat in triremi, quæ in portu ciuitatis veteris expectabat. Vt ſciuit Dominicum decreuiſſe ire Lodanum, ſummopere lætatur, ac ſecum venire humaniter inuitat, & quaſi compellit.

Ad portum jam nominatum contendit, ſereno cœlo, & tranquillo mari triremem conſcendit, quæ die vigeſima quinta Nouembris S. Catharinæ ſacra de portu ſoluit. Vix pauca confecerat milliaria, cum ingens ventorum & procellarum tempeſtas exurgit, cunctis naufragium minitans. Dux, Duciſſā, & alij nobiles recurrunt ad Dominici potentiſſimam interceſſionem: Ipſe ad orationem confugit, ex qua rediens reſpondit quòd triticum de ſtatu Eccleſiaſtico ſine licentia furtim extractum, contra præceptum & cenſuras Pontificis, debebat triremem ſubmergere; ſed quòd Dominus per interceſſionem Sanctiſſimæ ſuæ Matris illam ſaluaret.

uaret. Miratur Dux verba Dominici, non enim talem frumenti ſciebat extractionem, de facto inquirit, & inuenit aliquos officiales in hac parte fuiſſe tranſgreſſores occultos, quibus punitis impoſterum triremis fauſtè nauigauit.

In hoc trajectu prædixit Dominicus D.Carolo ipſum in grauiſſimam & periculoſam infirmitatem caſurum, ex qua tamen fauſtè reſurgeret; quod exitus demonſtrauit, nam poſt paucos dies maligna Febri correptus vſque ad Idus Ianuarij laborauit, tunc conualeſcit, & per interceſſionem Patris ſanatur.

Tandem Lodanum peruenit Dominicus, vbi à Principe conuentus noſtri fundatore, & ab aliis omnibus ſummo cum honore recipitur. Aduenerat ſimul, Genua R. P. Ferdinandus à Sancta Maria, qui propter mortem V. P. Petri à Matre Dei munus Vicarij Generalis obibat, & ſecum è Genuenſi conuentu copioſum religioſorum numerum adduxerat pro tam illuſtri ſolemnitate.

Eligitur ad eius celebrationem dies Purificationis Beatiſſimæ Virginis. Dum autem omnia expediuntur, Dominicus aſſuetæ vacat contemplationi: Cumque vellet deuotè recreari, deuotas Sanctorum imagines calamo, vel penicillo pingebat. Inter has in medio folio deuotam & pulchram Beatiſſimæ Virginis imaginem delineauit, quam Principi dono dedit; ipſe verò, quaſi pretioſum recipiens theſaurum, & propter imaginis prototypum,& propter authorem, curauit ornari ditiſſimè, & in eminentiori majoris altaris loco reponi, vbi deuotiùs coleretur. Aliam delineauit,quam Principiſſæ tradidit,& refertur in infirmorum curatione multa mira patraſſe.

Dies expectata tandem venit, accurrit magnus populorum numerus; Vnde ſolemnitas differenda non erat: Et tamen Dominicus inopinata laborat infirmitate, quapropter Miſſam ſolemnem canere non poterat; ipſo namque matutino tempore dolorem acutum in neruorum contractione

ſentiebat, propter vehementiam ecſtaſis nocturnæ præcedentis. Non deerant alij & graues religioſi, qui ſolemnem Miſſam poſſent celebrare, & inter illos erat P. Vicarius Generalis, ſupremus in tota congregatione ſuperior: ſed deſiderabat Princeps, vt illam celebraret Dominicus; Vnde inuiſens illum jacentem, multa rogat fiducia, vt à Domino ſanitatem impetret ad hanc functionem complendam. Reſpondet ei Dominicus, ſe ſperare quòd per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis illam complebit. His auditis receſſit Princeps, & Dominicus paulò poſt ſurgens mira deuotione Miſſam celebrat, & ſic expeditè vt crederent nonnulli ipſum plantis terram non tangere, ſed ab aëre ac cœleſtium Spirituum manibus dependere.

Quidam erat in aula Principis ſacerdos Senenſis patria, qui jam 48. annum exceſſerat. Hic à multo tempore fuerat ad ſtatum religioſum vocatus: Tandem vt & vocationi non omninò reſiſtat, & ſuæ commoditati conſulat, quandam mitiorem clericorum congregationem ingreditur. Sed cum vitam penè ſæcularem adhuc ageret, vrget Dominus eum interiùs, vt omninò renuntiet ſæculo perſuadet: ſed in ſæculi vanitate ſepultus vocantem Deum interna voce non audit: opus eſt ad illum trahendum efficaciter externa & extraordinaria voce.

Dum quadam die propè noſtram Eccleſiam conuentus Lodanenſis ambularet, & eleuans oculos vidiſſet imaginem Beatiſſimæ Virginis ſupra horti portam, deprecatur Matrem miſericordiæ, vt ſibi ſtatum vitæ clarè demonſtret, in quo vellet ipſum & ſibi & Filio deſeruire. Tunc exeuntem ab imagine vocem audit ipſi dicentem; Fies Carmelita Diſcalceatus, & ſuo tempore venies ad hunc conuentum habitaturus cum filiis meis: Hæc vox Sacerdoti, à rigidiore ſtatu vitæ religioſæ plurimùm alieno, viſa eſt dura & terribilis ſententia; qui ſeipſum imprudenter ſeducens voluit ſibi perſuadere potiùs illam à Dæmone fuiſſe emanatam, vt eum deciperet: Vnde deinceps locum hunc fugiebat, timens

ne

ne eandem vocem audiens, tandem obediret, & ad ſtatum rigidiorem tranſiret.

Quia tamen ſtimulis conſcientiæ pungebatur, nolebat totaliter vocationi reſiſtere, ſed tamen iteratis conſiliis obedire in dies differebat. Conferens aliquando cum vno ex noſtris, & ſuam ætatem, ſuas infirmitates, & inclinationes naturales manifeſtans; audiit ab ipſo, talia non congruere Carmelitarum Diſcalceatorum vitæ, & quòd ſuo conſilio credens impoſterum quieſceret.

Sed vrgente Deo non quieuit, imò ad Dominicum accedere decreuit, tanquam ad virum ſanctum, & cœleſti luce perfuſum, qui ſibi Diuinam voluntatem euidentiùs in hoc tam graui negotio demonſtraret. Viſitat igitur Dominicum, ipſi ſecretum ſui cordis manifeſtat; promittit Dominicus ſe negotium Deo commendaturum, & ſic illum dimittit.

Rediit Sacerdos in die S. Stephani, ſic infirmus detinebatur in lecto Dominicus, quòd vix loqui poterat: Admittitur in cubiculum Sacerdos, videt è facie Dominici radios lucis egredi, & tam clarum inde ſplendorem cauſari, quòd licet clauſis feneſtris, quicquid erat in cubiculo clarè videretur. Poſtquam illum animaſſet ad exequendam Dei vocationem, diſtulit magis vrgere vſque ad vigiliam S. Matthiæ: Tunc enim Crucifixum extrahens, quem ad pectus appenſum geſtabat, ſic eum alloquitur; Proteſtor Chriſto, quem præ manibus habeo, quòd nihil de ipſo prætendo, niſi propriam ſalutem, & remedium animæ tuæ; quandoquidem ſecundùm rationem humanam prouectæ jam ſis ætatis, parùm aptus ad vitam auſteram: Sed manifeſtauit mihi Dominus ſuam eſſe voluntatem, vt efficiaris religioſus ejuſdemmet habitus quem ego geſto; vocaris enim per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis: Reuelauit mihi, quòd culpa tua quædam anima jam ad infernum eſt condemnata; Quòd audiens Sacerdos terretur, & attonitus ſeriò cogitat ſequi Diuinam vocationem, ac ſuæ ſaluti prouidere,

fatetur enim verum eſſe quòd à Dominico de anima illa audierat. Romam vadit, & die Pentecoſtes proximè ſequentis ſacrum noſtræ religionis habitum ſumpſit, & vocatus fuit P. Petrus à Matre Dei: Poſt annum Nouitiatus profeſſionem emiſit, ac tantæ fuit virtutis, quòd Noſter Dominicus factus Generalis noſtræ congregationis ipſum elegerit ſecretarium, & poſtea toto ferè vitæ tempore perpetuum confeſſarium, ac peregrinationum comitem indiuiduum habuerit, qui prædictam ſuæ conuerſionis hiſtoriam propria manuſcriptam reliquit in compendio vitæ Noſtri Dominici, quod expreſſo ſuperiorum mandato compoſuit, juxta quod res ab ipſomet Dominico ſibi tanquam confeſſario narratas audiuerat.

Aderat Illuſtriſſimæ Principiſſæ Doria D. Catharina de Vera, nobilis Hiſpana, quæ ſimul cum filia decreuerat ire Genuam, & mundo relicto noſtrarum Monialium inſtitutum ſequi. Secretum ſuum Dominico manifeſtat, ſed ab eo tale reſponſum habet: Id non fiet Genuæ D. Catharina, ſed Romæ; nec Romæ, niſi priùs duæ Principis filiæ ſint in conuentu Genuenſi Carmelitæ; & tertia nubat. Quæ ſingula, ſicut prædixerat Dominicus, ordine ſuo contigerunt: Nam & Genuæ priùs filiæ Principis factæ ſunt Carmelitæ, & D. Catharina Romam ob alia negotia proficiſcitur, ibique poſtmodum in Monaſterio S. Ægidij Carmelitano habitu veſtita, dictaque Catharina de Chriſto perfectiſſimè vixit.

CAPVT VI.

Mittitur Panormum à Pontifice Dominicus, ad inſtantiam Proregis, & ibi fundat conuentum.

VIdimus, quanto amore, & quanta veneratione Marchio de Villena Prorex Siciliæ Dominicum proſequebatur, ægrè Roma diſcedens ipſum reliquerat: nec priùs diſceſſit,

diſceſſit, quin à Summo Pontifice Paulo V. obtinuiſſet Dominicum in Siciliam fore venturum, ſi grauis aliqua neceſſitas ipſum vrgeret, qua Dominici conſilio vel ſolatio indigeret.

Tunc grauiſſima Proregi neceſſitas aduenit, quæ ſic illum afflixit, vt ſolius Dominici viſitatione poſſet ſolatium admittere. Filium habebat, etſi tantùm naturalem, indolis ſuauiſſimæ, perſpicacis ingenij, iudicij jam formati, ac bonis moribus præditum litteriſque inſtructum juuenem, quem vt futurum ſenectutis ſuæ baculum conſiderabat. Hunc in Italiam vocauerat tum ſolatij cauſa, tum vt in expediendis negotiis ſocium & coadjutorem fideliſſimum haberet.

Ipſum multi nobiles comitantur, & inter ipſos doctus ac pius Sacerdos ejuſque inſtitutor, filius D. Catharinæ de Miranda. Infœlix hic juuenis malo ſuo incidit in Piratas ſuperſtitionis Mahometicæ ſectatores, à quibus captus vexatur: genus ſuum indicat, credens ſe mitiùs tractandum; ſed cum hac via vexationem non euaderet, quaſi coactus abjurata fide Chriſtiana ſectam Mahometis amplectitur. Tunc ſupra modum honoratus ad Imperatorem Turcarum Conſtantinopolim mittitur, vt ibi majori pompa ac triumpho ſuis Sacramentis initiaretur. Optio datur eius domeſticis, vel cum ipſo remanendi mutata fide, vel in Hiſpaniam redeundi: Hoc ſecundum omnes eligunt, ſolus Mirandæus vult permanere cum credito ſibi juuene, ſperabat enim ſe tandem illum errantem ad veritatem fidei Chriſtianæ ſua conuerſatione ac monitis ſalutaribus reducere. Comitatur vbique, comes indiuiduus inhæret, miſſum ab Imperatore Turcarum in ciuitatem Damaſcenam ſequitur: occaſione ſibi data conſiliis & lachrymis ad Eccleſiam redire ſuadet; eóque res proceſſit, quòd inſtantia penè continua ſacerdotis & juuenis auſcultatio familiaris ſuſpicionem deſertionis contra miſerum juuenem ſuſcitauerint; à qua tamen ſe purgat juuenis, Sacerdos autem indiciis conuictus,

& poſtea propter torturam confeſſus damnatur igni, & viuus comburitur.

Hac neceſſitate, tantoque preſſus infortunio Prorex ad ſuum ſolatium petierat Dominicum. Tam juſtæ petitioni Paulus V. annuens deſideratum in Siciliam mittit Dominicum, qui ſtatim obediens accepta Pontificis benedictione, ſub medium Octobris anno MDCIX. cum P. Arſenio à S. Franciſco & alio comite Proregis adminiſtro Roma diſcedit. Dum apud Molem Gaëtanam adminiſter pedes incedit, in buphalam duos enixam juuencos incidit, quæ furore percita currit in illum, ſed inuocato per Dominicum IESV nomine ſiſtit immobilis, quod non carere miraculo cuſtos beſtiæ ſucceſſum admiratus dicebat.

Neapolim perueniens Dominicus, à Prorege recipitur honorificè, à quo inuitatus in capella Palatij Miſſam celebrat, vbi ſacra quadraginta Martyrum corpora & aliæ coluntur pretioſæ reliquiæ; Dum illas feruentiùs veneratur, in ecſtaſim rapitur, & multis in ea horis perſeuerat. Quamvis autem plura alia memoriæ digna fecerit Neapoli, quia tamen ordinaria fuerunt, non videntur mira: Vnde his dimiſſis, properantem vlteriùs Dominicum deducamus.

Neapolitanus Præſidens de Montoya Salernum ibat, ſecum ducit Dominicum, intempeſta nocte peruenit, & Noſter Dominicus à Patribus Dominicanis magna cum reuerentia excipitur, & majoris honoris cauſa in Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis cella conſtituitur, in qua Doctor Sanctiſſimus plures Diuinas communicationes, & Beatiſſimam Virginem Mariam ſæpiùs aduentantem hoſpitem habuerat. Hanc cellam tanta Spiritus teneritudine Dominicus ingreditur, quòd noluerit in ea jacere, ſed procumbens in genua ſex horis continuis orationi vacauit: Hac meruit deuotione Beatiſſimæ Virginis & D. Thomæ viſitationem ac familiarem vtriuſque conuerſationem, ex qua fuit tanta conſolatione perfuſus, quòd ſpatium ſex horarum ipſi momentum temporis apparuerit; ſed ignoratur quid à Maria, quid

quid à Thoma didicerit, non enim facile, ſed ſola coactus obedientia hæc arcana cœleſtia manifeſtabat. Summo mane Patres Prouincialis & Prior Dominicum viſitant, ipſi grauem commendant litem à Præſide Montoya judicandam: Ipſum ad Eccleſiam deducunt, manum Angelici Doctoris venerandam oſtendunt; quam Dominicus humiliter oſculatus, multa de eius ſanctitate ac mirabili doctrina prædicauit, & Præſidens alloquutus ſuaſit agnitam juſtitiam Patribus reddere.

Progreſſus vltra Dominicus, Palinurum Lucaniæ promontorium attingit, vbi mira cum deuotione ſuſcipitur à Domino loci, & in mercedem hoſpitalitatis cœleſtem eius filio benedictionem obtinuit; cum enim, vt ſolent mundani juuenes, eſſet à pietate plurimùm remotus, ſic eum piis inſtituit conſiliis, vt ad compunctionem reducti confeſſionem generalem exceperit, ac pietati reſtituerit. Tandem poſt ventum varium, poſt emenſum maris reſiduum, peruenit Panormum, cujus aduentus magnam Proregi ſerenitatem, & toti curiæ deuotionem attulit, vbi magno tam nobilium quàm populorum concurſu recipitur.

In Palatio Proregis exceptus Dominicus, paternam de filij lapſu afflictionem mitigabat, cordis amaritudinem dulcorabat, & tandem perfectam in Dei voluntate conformitatem in afflicto eius animo cauſauit. Miſſam à Dominico celebratam Prorex deuotus audiebat, ipſum in grauioribus & ſecretioribus conſiliis conſultum velut oraculum audiebat, ejuſque dictis acquieſcebat.

Tanto Prorex Dominicum amore proſequebatur, vt ſtatim efficeret quicquid ipſum deſiderare conjiciebat. Agnouit Dominicum inclinare ad erigendum Panormi conuentum noſtræ congregationis: Et aliàs apoſtatæ filio naturali volens filios ſpirituales ſubſtituere, ſtatim amœniſſimos & ſpatioſos ad nouam fundationem hortos emit. Magna cum ſolemnitate cœpit fundatio: nam quodam mane veniens ad locum jam paratum Prorex magno nobilium comitatu

ſtipatus ; veniens etiam Cardinalis Doria Archiepiſcopus Panormitanus, plurimùm affectus Dominico, vt ſupra dictum eſt ; ſimulque concurrentes populi maximam feſtiuitatem celebrarunt;Cui plurimùm tubarum & tympanorum ſonitus, exploſorum tam arcis quàm nauium fragor tormentorum, & vniuerſalis acclamantium lætitia cooperantur. In hac ſolemnitate Dominicus ſolemnem Miſſam decantat,& Cardinalis primum fundamenti lapidem ponit, ſuiſque expenſis Prorex conuentum ædificat: Cum non ita diligenter promoueretur fabrica, Dominicus ea qua pollebat in Proregem authoritate, ſubridens ſuauiter ei dicebat; Videto Domine domum Dei,quàm lento paſſu procedat, ſi Principis aut Regis terreni palatium eſſet, quanta promoueretur artificum diligentia ! Hac Dominici ſancta monitione ſic opus proceſſit, vt menſe Iulio anni MDCX. vix elapſis ab aduentu Dominici ſex menſibus,finita fuerit Eccleſia cum dormitorio, vbi religioſi habitare cœperunt.

Cum plenè Dominicus Proregis deſiderio ſatisfeciſſet, & à Pontifice Romam vocaretur, ſtatim diſcedere cogitat: Ad ſecurum & honorificum maris trajectum, juſſu Proregis paratur Myoparon,vulgo Bregantin,cum oneraria naui, & duabus nauiculis leuioribus,quæ præcurrentes de piratarum occurſu monerent. Nauim dimittit Dominicus, Myoparonem etiam dimittere volebat, vt pote picturis & auro magnificum, ac Proregi vehendo deſtinatum;ſed ad ſecuritatem ſic nauigare juſſus, poſt dulces Proregis amplexus & lachrymas ſe mari committit.

Panormitano è portu ſoluit, nec deeſt Dominico tam arcis quàm nauium læta diſploſione tormentorum ſalutatio : Vento proſpero Cephalium promontorium progreſſus Turcicas adeſſe triremes audit ; vult Nauarchus ſub caſtellum non longè diſſitum aufugere,jubet Dominicus regredi prædicens futurum, vt illa nocte venientes Turcæ Caſtellum inuaderent, & repertas ibi naues diriperent : Cujus prædictionis veritatem exitus demonſtrauit.

Ruſuoli

Ruſuoli mortalis infirmitas bombyces delebat, non ſine magno ciuium damno, quò cum attigiſſet Dominicus, ab incolis rogatur, vt vermiculos benedicat: Benedicit in nomine Domini, & benedicendo ſanat. Nec minus in homines fuit ibi beneficus, cum enim obſeſſum à Dæmone hominem obtuliſſent, & longis non poſſet exorciſmis vti, præcipit in nomine IESV & MARIÆ Dæmoni vt exeat, & ſtatim obſeſſum liberat.

Dum vlteriùs progreditur versùs Troppæam, exurgens tempeſtas vehemens nauim ad montem Leonis repellit: Cumque in adjacente maneret hoſpitio; & vox communis denuntiaret Sanctum fuiſſe reuerſum, tanta concurrit populi multitudo, quòd murum diruit, vt ad illum januis clauſis latentem perueniret: Vt homines ad illum penetrarunt, cappam auferunt, & in particulas diuidentes quaſi reliquias ſeruant: idem fortè feciſſent de habitu Patris, niſi quidam nobiles multitudinem ejeciſſent. Ibi eſt celebris Thumnorum piſcatio: ſed cum ob aſſiduas procellas hoc anno diſpergerentur, & ſic cum magno conductoris damno retia erant vacua, qui Dominicum conueniens, eius ſuper retia benedictionem extorquet, quæ mare fœcundans maximam piſcium copiam impellit in retia, & fœlici piſcatione ditat conductorem. Ibidem obſeſſam mulierem à Dæmone liberat: Cumque Dæmon ipſi apparens mulieri minaretur ſe rediturum, ac de nouo vexaturum; dixit illi Dominicus, ſi minetur iterum, dic ei meo nomine quòd veniat ad me, & quòd ego pro te ſatisfaciam; hoc apparenti Dæmoni dixit mulier, & Dæmon mulierem ampliùs non moleſtauit.

Troppæam appellunt, non ſine labore, nauigantes preſſi tempeſtate; multi remigabant, nec panis ſufficiens inueniebatur. Aſſumit Dominicus quantitatem modicam ibi repertam, diuiſit ſingulis, benedixit, & nouo prodigio ſatiat omnes.

Vlteriùs progreſſi veniunt Scaliam, cujus Domina Dominicum excipit; nec hoſpitalitatis mercede caret, cum enim

enim filiolam haberet, quæ lactans nutricis mammas, feriret, illam Patri bedicendam offert: Benedicit Pater infantulam, quæ deinceps nutrici non nocuit.

Appellens ad fretum Neapolitanum Dominicus, timenſque tumultum & applauſum non vult ingredi ciuitatem, ſed propter negotia Superiorem noſtri conuentus ad angulum S. Luciæ procurat vocari. Dum ſe credit latere, fama volat Sanctum rediiſſe, multi ad eum concurrunt, & filiola Marchionis del Valle plurimùm ægrota defertur; eam benedicit Dominicus, & ſtatim ſanatur.

Diſcedit inde, noctu Procidem attingit, vbi turbatum inuenit oppidum, pluſquam centum ciues erant in armis mox inter ſe pugnaturi: Vt furorem vidit mutuum implacabilem, extrahit Crucifixum, ſtat medius, ad pacem tanto feruore ſpiritus hortatur, vt omnes compunxerit, ac ſimul animis conciliauerit.

Tandem peruenit Romam, & ad Summum accedit Pontificem beatos pedes oſculaturus, tam ſuo nomine, quàm commiſſione Proregum Neapolitani & Siculi: Summopere lætatur Pontifex, Dominicum excipit humaniſſimè, de reditu ac nouo conuentu Panormitano gratulatur.

CAPVT VII.

Mittitur Neapolim Dominicus, & Romam reuerſus mirabilia facit.

COmes de Lemos Prorex Neapolitanus in Hiſpaniam diſceſſurus erat, completo officij tempore, cùm ſua conjuge filia Ducis de Lerma; huic enim ſucceſſor adueniens in Proregia dignitate Comes de Beneuente quantocyus expectabatur. Noluit Prorex ſe mari committere, priuſquam benedictione Dominici contra omnia pericula muniretur. Rogat Superiorem majorem, vt mittat Dominicum:

nicum : mittitur Dominicus, vt pietati Proregis ſatisfiat; illum benedicit, & citò Romam redit officio ſuo Prioris ſatisfacturus. Non immoramur in ordinariis, licet magnis, vt ad extraordinaria & rara veniamus: In hac profectione eundem populi concurſum & applauſum, quem aliàs, expertus eſt.

Dum fideliter officium Prioris exequitur, nocte quadam orans in cella, cranium humanum in menſa poſitum, juxta laudabilem noſtram conſuetudinem, audit loquentem, & voce flebili ac plurimùm elata ſæpe repetentem; In memoria hominum non ſum. Credidit Pater animam eſſe Purgatorij flammis detentam; adjurat eam in nomine Domini, vt dicat quiſnam ſit, quid velit, & quare lamentatur. Adjuranti Dominico reſpondit: Ego fui peregrinus vltramontanus; qui Romam veni deuotionis cauſa: Superueniente morte fui ſepultus in campo ſancto apud D. Petrum, vbi Religioſi conuentus iſtius cranium meum acceperunt: A Domino facta eſt mihi hæc miſericordia, quòd ad tuam charitatem poſſem recurrere: Te deprecor igitur, vt velis me tuis orationibus juuare, vt à Purgatorio liberer. Compaſſus animæ patienti Dominicus auxilium promittit; Orationes, Miſſas & mortificationes pro ea ſatisfactorias offert Domino, de Purgatorij flammis eripit, eamque poſt paucos dies apparentem videt, audit gratias agentem & vale dicentem, quandoquidem tunc in cœlum conſcenderet.

Concham ſatis capacem, vbi fontis aquæ defluentes recipiebantur, in horto fecerat: Ibi decreuerat piſces nutrire, qui deuotæ ac honeſtæ religioſorum recreationi deſeruirent. Dum hæc cogitat, Princeps Perrettus frater Cardinalis Montalti, copiam piſcium jam mortuorum religioſis in refectorio diſtribuendam quodam mane ad conuentum miſit. Illos vidit Dominicus, dum coccus arripiens vult parare menſæ, & judicans valde pulchros, & ſuo aptos intento, dixit fratri cocco; Hi piſces benè eſſent in fonte,

ſubriſit

ſubriſit janitor, coccus ait eſſe mortuos, Dominicus autem illos in ſportula ponens dicit, eamus ad hortulum vt eos in piſcinam mittamus,& recreabunt religioſos. Iuit in hortum, piſces benedixit in nomine Domini, in aquam dimittit: Vix aquam attingunt, cum ſubitò reuiuiſcunt,natantes diſcurrunt; poſtea creſcunt, vocati veniunt, oblata de manibus religioſorum eſculenta ore capiunt cum mirabili videntium recreatione.

Occaſione nouæ fabricæ fuerat Imago miraculoſa Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Scala de proprio altari remota, & amota fuerant ſimul appenſa fidelium vota: Vidit inter ipſa Dominicus caput noſtræ Dominæ, depictum in tela, puluere conſperſum,& præ antiquitate lacerum: Compungitur Pater de tali imaginis indecentia, ante ipſam genua flectit, & puluere reuerenter purgatam exornari procurauit,ac deinceps in ſua cella conſeruauit orans frequenter coram illa. Quadam nocte contigit, quòd ſic orans animam cujuſdam nuper defuncti Deo & Beatiſſimæ Virgini commendaret. Hæc Virgo Sanctiſſima cœleſti gloria refulgens apparuit ſuo fideli ſeruo, gratias agit de reuerentia ſuæ imagini præſtita, commendatam animam ſub ſua protectione recipit, & poſt paucos dies à Purgatorio liberandam fore promittit. Stetit Virgo Beata promiſſis,nam illa fœlix anima paucis diebus elapſis jam libera, & in cœlum itura conuenit Dominicum, gratias agit de ſua libertate, & vale dicit. Inſuper Beatiſſima Virgo ſuam protectionem perpetuam, ob dictam imagini ſuæ venerationem exhibitam,Dominico pollicetur: Hanc imaginem poſtea V.Pater ad majorem eius cultum collocat ad altare oratorij S. Caroli, quod noſtræ junctum Eccleſiæ frequentantium ſæcularium deuotæ congregationi deſeruit.

In die Feſto S. Catharinæ Virginis & Martyris, cum infirmitate graui decumberet, nec poſſet ad celebrandum ſurgere, ſummum communionis Euchariſticæ deſiderium habebat. Nec fraudatur à deſiderio ſuo, Præcurſor enim

Angelus

Angelus apparet illi, aliorum cœlitum ac Beatæ Catharinæ comitatu ſtipatus, ſacram ei defert Euchariſtiam. Sub finem Prioratus hic fauor ſpecialis factus eſt Dominico Romæ jam ſecunda vice, qui ſæpiùs alibi conceſſus fuit.

Dum quadam nocte cellas religioſorum viſitaret, vt moris eſt apud nos, viſurus an omnes receſſiſſent; Vidit Beatiſſimam Virginem Angelorum & Sanctorum magno ſtipatam numero, ſecum cellas viſitantem, & religioſis dormientibus benedicentem. Dum alia die recreationis honeſtæ cauſa religioſos ad hortum miſit, & è cella conſiderat, videt Angelos in medio eorum diſcurrentes; cauſam ſcire volens deſcendit, & inuenit religioſos de rebus ſpiritualibus diſſerentes; ex quo collegit honeſtas recreationes his diſcurſibus conditas eſſe Deo & Angelis gratiſſimas.

CAPVT VIII.

Confirmatur Dominicus in officio Prioris, & continuat facere prodigia.

CElebratum fuit Romæ tertium capitulum generale, anno Domini MDCXI. menſe Aprili, & electus fuit Præpoſitus Generalis noſtræ congregationis V. P. Ioannes à IESV MARIA, de quo ſupra, vir & ſanctitate & doctrina conſpicuus; qui licet infirmus aſſiduè, multiplicatis per totum orbem Chriſtianum conuentibus, congregationem ſibi commiſſam mirabiliter ampliauit. Hic nouerat Dominicum, & miros fauores cœlitum ipſi conceſſos: credidit expedire ad majorem Dei gloriam, ad noſtræ congregationis honorem, & ad fidelium ædificationem, quòd hujuſmodi fauores innoteſcerent mundo; Vnde factus Generalis Dominico præcipit, vt adhibito diligenti examine gratiarum & fauorum, quos à Domino receperat, in vnum deſcribendo colligeret: Obedit vel obedientia compulſus Dominicus, compendium efficit ſuæ vitæ plenum humilitate, tradit

tradit Generali qui notis ad marginem adhibitis ipſum dilucidat, affirmans Dominici Deo & hominibus dilecti, præſentis conſpectum & abſentis memoriam in benedictionibus eſſe; eundemque eſſe in gratia, & fore in gloria ſanctis ſimilem.

In hoc generali capitulo Dominicus Neapolitani conuentus Prior eligitur: Cujus electionem cùm P. Generalis Paulo V. Summo Pontifici retuliſſet; Reſpondit Pontifex abſentiam Dominici præſentiens. Non, non, nos volumus P. Dominicum Romæ pro noſtra conſolatione. Propterea in Definitorio generali facta eſt commutatio noſtri Dominici de conuentu Neapolitano in Romanum, & P. Hieronymi à IESV MARIA de conuentu Romano in Neapolitanum, vt ſic Summi Pontificis voluntati & deſiderio ſatisfieret.

Confirmatus igitur Dominicus Prior conuentus Romani cœptam mirabilem obſeruantiam confirmat: Et præcipuè ſic receſſum ac ſilentium, quæ ſunt media contemplationi penitùs neceſſaria, colit & injungit; quòd licet forent ſeptuaginta & amplius religioſi, nullus in dormitorio ſtrepitus audiretur, & ſæculares illud ingreſſi ſe crederent ad eremum veniſſe, & foris congregarentur ad videndum tranſeuntem Carmelitam Diſcalceatum, cum rarus admodum eſſet egreſſus, & inceſſus valde modeſtus.

Succeſſit tunc Dominico quid prodigioſum: Cum enim Cardinalis Montaltus verè pater pauperum, trecentos aureos in pauperes erogandos Patri miſiſſet; ipſe lætabundus de tam bona opportunitate ſubueniendi pauperibus, primò ſuccurrit ſecretis quorundam nobilium neceſſitatibus; Deinde notabilem copiam pecuniæ virginibus in monaſterio recludendis, aut in matrimonio collocandis dedit; ſicut & multis pauperibus veſtiendis. Multo tempore continuauit ex dicta ſumma pauperibus paſſim occurrentibus eleemoſynas elargiri, non ſine magna eorum admiratione, qui limitatam pecuniæ ſummam videbant non exhauriri tanta

in

in pauperes effuſione: Cumque ei P. Petrus à Matre Dei quadam die dixiſſet; Eſt poſſibile, quòd trecenti aurei tanto tempore, & pro tot perſonis indigentibus ſuffecerint? Reſpondit Dominicus; Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, & quia certam eius prouidentiam & liberalitatem habebam, nolui monetas aureas in alias minoris pretij permutare, nec numerare quod in manu mea reſiduum erat: Vnde facto eleemoſynarum in pauperes expenſarum computo repertum eſt prædictos trecentos aureos ad ſummam duorum millium quingentorum inſigni miraculo fuiſſe multiplicatos. Hic notandum eſt quòd cum Dominicus ita charitatiuus erga proximum, & liberalis in ſubueniendo neceſſitatibus indigentium eſſet; nihil tamen vnquam fecit quod carnem & ſanguinem ſuperet, vt duo nepotes eius experti ſunt, qui venientes ex Hiſpania nullum ab eo ſubſidium acceperunt.

Venerat tunc Romam quidam nobilis Germanus; cœpit quidem de Lutheri doctrina dubitare, non tamen ad amplectendam fidem Catholicam conuincebatur. Amicorum conſilio ad noſtrum venit conuentum, Dominicum aliquot diebus conſulit; à quo conuerſus, & inſtructus in fide abjurat hæreſim Lutheranam, piè vixit Romæ, & in patriam reuerſus conſanguineos plures & amicos hæreticos ad fidem conuertit.

Quadam die, dum in Eccleſia Dominicus confeſſiones audiret, ingredientem vidit nobilem ſcamno adhærere, & Diuina luce perfuſus ſecretas cordis cogitationes penetrat, & malo ipſius ſuccurrere volens, ſurgit, ipſum adit & ait: Homicidium illud, quod perpetrare cogitas, erit notorium Romæ, capieris eadem hora à ſatellite, & morte punieris. Melius eſt injuriam inimico condonare, & recitare Dominicam orationem ſincerè: miratur ille nobilis attonitus, verbis Dominici compungitur, condonat inimico, & poſt factam confeſſionem lachrymis perfuſus dicit Deo; Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Gregorius Boncompagnus Dux de Sora nupſerat æquali Dominæ, ſed matrimonium conſummare non poterat. Agitur de diuortio, triennium ab Eccleſiaſticis judicibus ad experimentum determinatur: Recurritur ad orationem Dominici, qui poſtea reſpondet defectum eſſe in femina, non in viro, remedium adhiberi poſſe ſubjungit; quo tandem adhibito conſummatur matrimonium, & filij procreantur non pauci.

Paulus V. Pontifex maximus Princeps optimus tanto Dominicum amore proſequebatur, tanta colebat veneratione, quòd vix exprimi poteſt: nec crederetur, niſi ſignis exterioribus ipſe non rarò manifeſtaſſet. Commiſit Dominico, tanquam inſtitutori & confeſſori ſuum Nepotem paruulum Principem Sulmonæ, qui juſſu patrui Pontificis aſſiduè Dominicum conueniebat; ſed cum quadam die nolens aut non valens ad noſtrum conuentum accedere, juſſiſſet vocari Dominicum: Hic fugiens Principum curias & ſoli Domino volens deſeruire, miſit ad Principem qui diceret, eſſe contra conſuetudinem ordinis noſtri confeſſiones extra conuentum audire abſque graui neceſſitate; ac eſſe contra modeſtiam religioſam diebus feſtis diſcurrere, niſi ad exercenda charitatis opera erga decumbentes infirmos & morti proximos: Quod Dominici reſponſum cum fuiſſet Summo Pontifici relatum ab æmulis, ſanctam eius libertatem approbat Pontifex; jubetque nepoti, ne vocet ampliùs Dominicum, ſed ad eum humiliter accedat. Adducebat Pontifex ex campo Bracciano riuulum ad ornamentum & vtilitatem vrbis Romanæ: Vnde primitiuum fontem eximium efficeret, cujus poſtmodum aquas in plures diuideret fontes: juſtè commotus in operis architectos ſe cunctis etiam Principibus negabat; ſed venientem humaniſſimè recipit Dominicum, quem vt animæ ſolatium venerabatur: Conqueritur Pontifex in architectos, qui opus deliberantes dixerant eſſe ſeptuaginta millium aureorum, & tamen poſt expenſa quadringenta millia videt à ſua perfectione

multum diſtare : conſuetudinem artificum in mentiendo, populi totius applauſum in opere tam magnifico, ſatisfa-ctionem ipſius Pontificis breui futuram in eius perfectione tam aptè proponit, quòd ſedatus, imò lætus Pontifex juſſe-rit opus promoueri, & pecuniám omnem neceſſariam li-beraliter tradi. Cum vellet Pontifex totam fontis aquam ad alteram vrbis partem vltra Tiberim ſupra Pontem Sixtum per aquæductum deducere, & architecti recta linea curſum eius dirigentes oratorium conuentus ſecarent, ob ſolius Dominici conſiderationem reſiſtit Pontifex; cumque alia delineatione partem horti radere vellent, qua conuentus deformaretur. Ad Pontificem tunc in monte Tuſculano degentem ad quindecim milliaria properat Dominicús ſui conuentus cauſam defenſurus: Aduentantem ſuauiter exci-pit Pontifex, tanquam laſſo & debili compatitur, petitio-nem concedit, malens viam publicam illo angulo deforma-re quàm dilecto diſplicere Dominico. Poſt breuem hujus negotij expeditionem coram curia nepotem ſuum Cardi-nalem Burgheſium vocari juſſit, cui tradens Dominicum ait: Conſigno vobis meum hoſpitem, tractate illum benè, & cras eum dimittite in rhedæ, non enim volo permittere quòd pedes tot milliaria conficiat: Illa die viſitatur Domi-nicus à Cardinalibus & Principibus, qui aderant Pontifici, & præſertim à Principe Sulmonenſi: mane verò diei ſe-quentis ipſe Pontifex ad vicinam tendens Eccleſiam, Do-minicum itineris ſocium aſſumit, alloquitur humaniſ-ſimè, & quod majorem excitabat admirationem, illi commodiorem viæ partem relinquit, ſibi difficiliorem eli-gens. Romam rediit Pontifex, tres vncias aquæ de ſuo fonte Dominico Priori conuentus Scalæ gratis concedit: Verùm timens ne fauor gratuitus ab aliquo ſucceſſore Pontifice aliquando reuocaretur, gratiam ipſe ordina-riam reuocat, vt extraordinariam concederet; jubet enim fontalem aquam Carmelitis, etiam vendi quadringen-tis & quinquaginta nummis, vt juſtè poſſiderent velut

emptores, & ſimul hanc emptionis ſummam illis liberaliter concedit.

Non poterat Dominicus conuentum Scalæ ad perfectum adducere, quin aliquid de via & platea publica detraheretur: Ad Pontificem accedit, ſuam exponit petitionem, cui Pontifex reſpondit rem ipſum quidem arduam poſtulaſſe, ſed ſe nihil Dominico velle aut poſſe negare: Cumque plures apud Pontificem inſtarent pro reuocatione gratiæ, rursùs accedenti Dominico dixit Pontifex; Progrediatur, vtatur indulto fauore, fortiores enim ſumus importunitate ſupplicum libellorum, querelas ſedabo nouis gratiis, nec patiar antiquas renocari. Volebat Pontifex Dominicum creare Cardinalem: ſed reſtitit ſeruus Dei, qui ex Principum familiaritate nihil vnquam ſibi procurauit, ſed ea tantùm quæ ad majorem Dei gloriam cederent.

Tunc agebat Dominicus de Beatificatione S. M. N. Thereſiæ, referens Pontifici, qualiter in Hiſpania ſeipſum peſte laborantem curauerat, & elegerat tanquam futurum ſuæ Canonizationis promotorem: ſic inſtat, vt poſtea breui gratiam Beatificationis ab ipſo Pontifice, & poſtmodum Canonizationis à ſucceſſore Gregorio XV. obtinuerit. Tunc Romam fuerat allatus ex Hiſpania pes dexter ejuſdem ſanctæ Matris noſtræ: ad inſtantiam Dominici vult illum Pontifex oſculari; non jubet ad ſe afferri, ſed ad noſtrum accedit conuentum, & in ſacriſtia pedem veneratus, ac cœleſtem eius odorem ſentiens ex continuo fluente balſamo dimanantem ait; Verè hic odor eſt ſanctæ, opus eſt illam canonizare.

Tunc induſtria Dominici noſtrum S. Pauli ſeminarium (quod poſtea Sanctæ Mariæ de Victoria denominatum eſt, poſtquam in altari majori Eccleſiæ miraculoſa Beatiſſimæ Virginis imago collocata eſt, quæ victoriam Pragenſem reportarat) ſedulò conſtruebatur. Finita jam Eccleſia Dominicus Pontificem inuitat, vt ſua præſentia dedicationem honoret: Annuit Pontifex, nepoti ſuo Cardinali Burgheſio jubet

jubet primam Miſſam celebrare ; Poſt Miſſam totum luſtrat conuentum, & videns magnam fabricam paucis menſibus erectam, ſubridens ait Dominico ; Ædificia veſtra citiùs abſoluuntur quàm noſtra, nec mirum, quia nos laboramus die tantùm, vos autem die ac nocte laboratis. Et conuerſus ad nepotem Pontifex ait ; noli de expenſis inquirere, omnium Principum & ciuium theſauri Dominico patent : Ipſe verò Nepos Pontificis magnificum eidem Eccleſiæ frontiſpicium ex lapide quadro fecit.

Deſiderabant Patres conuentus noſtri S. Syluestri in monte Tuſculano viſitatione Summi Pontificis in eodem monte degentis honorari, & ipſum conuentum eius præſentia beari:Deſiderium ſuum prædicto Cardinali Burgheſio proponunt ; Reſpondet ille. Poſſum aliquid ego apud Summum Pontificem, cum ſim nepos ipſius. At P. Dominicus eſt omnipotens apud illum ; facite quòd ipſe deſiderium proponat, & conſequetur intentum : Dominicus Pontificem rogat, & Pontifex rogatus non differt conuentum viſitare.

Anno Domini MDCXII. cogitauit Dominicus ad majorem Dei gloriam, & plurium animarum ſalutem, conuentum feminarum pœnitentium exigere, pro iis ſpecialiter, quæ carentes dote in domo Conuerſarum admitti non poterant. Pium hoc opus à quodam fabro cœperat, qui timens Deum mulieres licentiosè viuentes conuerterat,& in propria domo ſudore ſuo nutriebat : Audiens Dominicus intentionem laudat, electionem medij plenam periculis judicat, & tutius fore dicit, ſi dictæ mulieres in communi domo clauſa degerent. Pium Pontifici manifeſtat intentum, qui probans illud facultatem eleemoſynas quærendi concedit operi tam pio applicandas:Die decima ſexta Maij domum conducit, vbi tunc duodecim ſimiles feminas recluſit, quibus optimum regimen præſcripſit. Fremens Dæmon de tali jactura plures in Dominicum excitat, qui vel eius pudicitiam ex conuerſatione talium feminarum, vel

tranſgreſſionem paupertatis ex collectione pecuniarum damnarent : eóque publica murmuratio deuenerat, quòd amici etiam Dominici noſtrique ſuperiores ab hoc opere deſiſtendum eſſe judicarent. Verùm Pontifex artem Dæmonis agnoſcens, iterum præcipit Dominico pium opus promouere. Vnde Dominicus ſitum valde commodum emit in vico longo, qui vulgo La longara dicitur, conuentum à fundamentis erigit piorum eleemoſynis. Ad eius conſtructionem ſummis notabilibus concurrerunt Summus Pontifex, Dux Bauariæ, Dux Lotharingiæ, Balthaſſar Paluzzius, Comes Spada, & plures alij. Cum jam noua domus poſſet habitari, procurat Dominicus ad eam dictas mulieres ad numerum viginti auctas reduci. Septem primis annis expenſa reperiuntur aureorum viginti quinque millia in aliis præter Eccleſiæ fabricam : Et congrui poſtea reditus huic domui fuerunt aſſignati.

CAPVT IX.

Electus Definitor & Procurator Generalis Dominicus celebrat Beatificationem S. M. N. Thereſiæ, eique mira ſuccedunt.

CElebratur quartum capitulum generale Cõgregationis noſtræ anno Domini MDCXIV. in quo jam ſecunda vice eligitur Præpoſitus Generalis R. P. Ferdinandus à Sancta Maria, de quo ſupra. Dominicus noſter eligitur tam Definitor, quàm Procurator generalis totius Congregationis : Cujus officium etiam ad miſſionem Perſicam extenditur, & quam ipſe Dominicus totis viribus promouere contendit.

Iam tunc P. Præpoſitus Generalis imperat Dominico mortificationes extraordinarias intermittere, cum eum videret attenuatum, viribus exhauſtum, neruis attractum

ob

ob violentiam raptuum, doloribus calculorum laborantem, aliiſque jam habitualibus morbis penè conſumptum. Maximam ad edendum repugnantiam patiebatur ex duplici capite procedentem: Primo quidem exercitæ mortificationis ab infantia, ſecundo autem aſſiduæ Dei præſentiæ, qua ſic interiùs etiam manducans occupabatur, quòd aliquando ſuſpenſus remaneret admota ori manu.

Exiit hoc anno MDCXIV. conceſſum priuilegium Beatificationis S.M.N. Thereſiæ, ad cujus expeditionem præcipuè Dominicus laborauit. Debebat feſtum maxima cum ſolemnitate celebrari in noſtra Eccleſia Beatæ Mariæ de Scala. Superiores Ordinis curam ſolemnitatis committunt Dominico; Tum ratione proprij officij, cum eſſet Procurator generalis; Tum ratione naturalis & piæ inclinationis, qua mouebatur ad exaltandam S.M.N. Thereſiam, cui ſpecialiter erat affectus; Tum quia principaliter ipſe negotium Beatificationis promouerat. Vnde authoritate qua pollebat in omnes, & opinione ſanctitatis qua cunctis erat venerabilis, tapetes pretioſos aliaque pulcherrima parauit ornamenta, quibus Eccleſiam mirificè decorauit; adhibitis pluribus tabellis quæ totam S.M.N. Thereſiæ vitam repræſentabant; adjunctis etiam curioſis poëmatibus cæteriſque humanarum litterarum curioſis partibus, qui deuotos jam intuentium animos recreare poterant. In hac ſolemnitate ſenſit ſe Dominicus in ecſtaſim rapi: reſtitit quantum potuit; cum violentiam raptus jam ferre non poſſet, nec vellet publicè rapi, projicit ſe in gradus, vbi tamen immobilis manet ſuæ Thereſiæ gloriam intuens, cum magna populi totius ædificatione.

In Monaſterio Romano Sanctæ Franciſcæ, quod turris ſpeculorum denominatur, quia turrim habet ſpeculis plenam, erat ſoror Columba Matthæi, quæ jam à quindecim annis ab ſpiritibus immundis & accidentibus extraordinariis vexabatur, ſcilicet intenſiſſimo frigore, fluxu ſanguinis per nares, laterum acutiſſimo dolore, retentione vrinæ; quæ

nonnunquam, centum continuis diebus perſeuerabant, quibus manducare non poterat, viſum ac auditum amittebat, & linguam violenter extra os protractam multis horis patiebatur. Die ſecunda Iunij anno MDCXIV. ducitur ad illud Monaſterium Dominicus, jubet ad locutorium ſororem Columbam vocari; hæc ita redditur immobilis, quòd vix aliarum brachiis potuerit illuc deferri. Tunc Pater manu percutiens illam leuiter in ſummitate capitis, ait; Imperet tibi Deus: Ad ſe ſtatim rediit Monialis, cui Dominicus præcipit, actus contritionis fidei, & amoris Dei feruenter elicere; Deinde paululum ad orationem recedit, poſt quam rediens ait illi. Iam es libera, victoriam de his malignis obtinuimus, & ipſius Patris mandato vadit cum cæteris monialibus in chorum, debitas Deo & Beatiſſimæ Virgini Mariæ gratias redditura.

Anno Domini MDCXV. in die ſolemni Epiphaniæ concurrerat Dominicus cum aliis conuentus religioſis ad ſolemniſſimam votorum renouationem, quæ quotannis apud nos hac ipſa die, ſicut & in exaltatione ſanctæ Crucis iterari ſolet: hac quidem die, vt ſanctos Reges imitati noſtra Domino munera offeramus, odoriferam thuris obedientiam, myrrheam corporis caſtitatem, & pretioſiorem auro paupertatem: In exaltatione verò Sanctæ Crucis; Tum ad feruenter inchoandum regulare jeiunium, quod per ſeptem menſes vſque ad Paſcha perdurat; Tum vt per vota cum Chriſto nos oſtendamus crucifixos. Hac inquam die ſolemni Epiphaniæ, poſt dictam votorum renouationem, cogitur ad lectum redire, rapitur in ecſtaſim, multiſque ſic raptus horis permanſit apertis oculis, immobilibus & claris, ibi mirabilia vidit circa Dominum & alios ſanctos, quos identidem tenera cum deuotione nominabat; Et ibi jam tertia vice in noſtro conuentu Romano, ab Angelo Præcurſore in plurium aliorum comitatu, deuotè communicatur.

Eodem anno V. P. N. Ioannes à Iesv Maria, majoris

cauſa collectionis in conuentum noſtrum S. Syluestri ad montem Tuſculanum receſſerat: Vbi poſt aliquod tempus læthali morbo cœpit decumbere: Cumque maximas & aſſiduas per totam vitam afflictiones & anguſtias animæ cum eximia ſanctitate paſſus fuiſſet, voluit amicum fidelem Dominicum in hac vltima vitæ periodo ſecum habere ad animæ ſolatium. Venit Dominicus, afflictum & anguſtiatum ſolatur, & vltimum charitatis officium exhibens ad cœleſtem patriam illum tranſmittit. Poſt glorioſum tranſitum apparuit Ioannes Dominico, ſe gloria frui in præmium meritorum teſtatur, & amico vale dicit.

Romam è Tuſculo Dominicus rediit: Cumque penitentiis infirmitas corporis augeretur, nouum & maximum à Deo fauorem meretur: Ipſi namque conceſſum fuit, quòd duo aſſiſtentes Angeli, Præcurſor & Cuſtos, cum ipſo Diuinum per choros officium alternantes verſus recitarent, ac familiariter cum ipſo agerent. Ab ipſis quadam die monetur Chriſtianiſſimam Galliarum Reginam valde periclitari, quidam enim in illam conjurauerant volentes juuenis adhuc Regis abuti facilitate: illam monet Dominicus, quæ monitis vſa detegit inſidias, & ſeipſam ſeruans incolumem gratias agit Dominico.

Hoc ipſo tempore dum Miſſam celebraret, ſiue in Eccleſia Beatæ Mariæ de Scala, ſiue in illa S. Ægidij noſtrarum Monialium, per multos dies viſus eſt ſupra caput habere candidam & ſplendentem columbam, quæ declarabat euidenter ipſum tunc ſpeciali Spiritus ſancti aſſiſtentia muniri ad mira facienda, maximè in infirmitatibus curandis.

Anno MDCXV. prædicta ſoror Columba Matthæi moleſta laborabat infirmitate, nam intenſos dolores & totius corporis contractionem patiebatur, ita quòd brachiorum motum penitùs amittens manibus eſſet conſtrictis, & penè toto corpore percluſa clauſo maneret ore. Ad ipſam vadit Dominicus ſocium habens P. Michaëlem ab Annuntiatione, qui poſtea non ſemel fuit Prouincialis Pro-

uinciæ noſtræ S. Spiritus in Polonia, & à quo præſens miraculum didici paucis adjunctis quæ in aliis relationibus non inueniuntur. Diſcedens à conuentu Dominicus jubet ſocio, vt ſumat duo mala aurea: Vt ad infirmam admiſſus eſt, illam ſolatur Dominicus, & ad patientiam hortatur; conqueritur illa quòd ſit omninò percluſa, & ſe plurimùm dolere teſtatur quòd aliis monialibus ſit moleſta; ſufficeret ſibi, ſubjungens, ſi poſſet vna manu vti ad ſubueniendum ſibi; Commiſeratus Pater porrigens illi malum aureum ait. Accipe filia malum iſtud; ſed cum non poſſet manum extendere vel mouere, replicat Pater, in nomine Dómini manum aperi, & ſtatim accipe; miraculosè manum aperit, & malum accipit: Cum miraculum infirma vidiſſet, rogat Patrem vt aliud ſibi brachium reſtituat; Vt erat ſancta quadam lætitia plenus Dominicus, ait; Videte, priùs dicebat ſibi ſufficere, ſi vel vno poſſet vti brachio, nunc vtrumque deſiderat eſſe liberum; & aliud malum porrigens præcepit vt acciperet alia manu, quæ manum aperiens & extendens ſtatim accipit: Poſtea Pater imperat vt corporis tremor ceſſet, & illico ceſſat: Remanebat os impeditum, & ad præceptum Patris facilè ſtatim aperit. Cum Dei potentiam in verbis Dominici Moniales vidiſſent; ſimul illum rogant vt totaliter infirmam ſanans jubeat è lecto ſurgere: juxta fidem earum jubet in nomine Domini, & ſurgens Monialis ſeipſam induit, Dominicum jam diſcedentem ſequitur, & ad portam Monaſterij properans aſſequitur; Et tunc omnes cum Patre redeuntes ad chorum pergunt, & in actionem gratiarum cantant hymnum *Te Deum laudamus*: Totum hunc ſucceſſum à prædicto Patre Dominici ſocio & teſte oculato didici.

Vidit quadam die raptus in ecſtaſim cœlos apertos, Angelorum Hierarchias, & Sanctorum choros: Et inter eos vidit maximam Carmelitarum multitudinem. Clarè cognouit P. Petrum à Matre Dei & Franciſcum à Sanctiſſimo

Sacramento,

Sacramento, qui modulabantur alternatim: Patientia, manſuetudo, humilitas, & obedientia; ſicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum: Quaſi vellent dicere has virtutes parare viam ad ciuitatem Domini cœleſtem Ieruſalem.

CAPVT X.

Continuat Dominicus facere prodigia.

ANno Domini MDCXVI. erat in noſtro conuentu Beatæ Mariæ de Scala religioſus ex inſula Melitenſi plurimùm infirmus; jam enim per aliquot dies patiebatur vomitus & alios dolores acutos. Ipſum quadam die viſitat Dominicus, & dum ſolatur audit pulſari ad veſperas; Tunc ad illum ait Dominicus, P. Paule Baptiſta (ſic enim vocabatur) haberes animam eundi ad chorum cum aliis religioſis: Reſpondit infirmus; Ad chorum ibo, ſi Veſtra Reuerentia mihi præcipiat: Eia igitur, ſubjungit Dominicus, eat ad veſperas, ego tibi præcipio in nomine Domini: Infirmus illico ſanatur perfectè, ſurgit & vadit ad chorum, & cum aliis Veſperas recitat.

Antonius de Nobilibus Romanus in tibia patiebatur vlcus inueteratum & incurabile. Ad ipſum venit Dominicus laborantem conſolaturus, & patientem ad reſignationem hortaturus: Vlcus intuetur, ipſum præ compaſſione deoſculatur, & ſalutiferæ linguæ contactu dolorem illicò mitigat, & tollit, ac paucis poſt diebus vlcus omninò ſanatur.

Quidam vir pius, nobiſque plurimùm affectus, nomine Robertus, qui primus erat Pauli V. Theſaurarius, jam à tribus diebus vrinæ retentionem patiebatur. Ad ipſum accedit Dominicus, amplectitur amoris & compaſſionis affectu: jubet ei dari vas ad excipiendam vrinam. Infirmus benedictione Dominici ſanatus facilè vrinam emittit.

Filius decennis Syluij Albergati ciuitatis Bononienſis Legati infirmabatur ad mortem : Bernardinus Caſtellanus Medicus Romanus de humanis deſperans remediis ad Diuina confugit; conſulit aduocari Dominicum, venit Pater, venientis manum oſculatur infirmus,tunc leuamen,& paulò poſt ſanitatem conſequitur.

In Monaſterio Sancti Syluestri in campo Martio erat ſoror Maria Eleſſa Rondanini, quæ trium annorum ſpatio variis accidentibus detinebatur in lecto : eò deuenit infirmitas , quòd datum illi fuerit viaticum , & extrema vnctio collata. Illam viſitat Dominicus die ſecunda menſis Martij anno Domini MDCXVI. Moniales aliquæ caput eius tenebant, quibus Pater dixit vt illam dimitterent , & ſubitò ſymptoma tranſiit : Cum illam poſtea multis actibus virtutum diſpoſuiſſet , eleuans ad cœlum oculos & infirmam reſpiciens cum magno dixit feruore : Per merita & interceſſionem Mariæ ſemper Virginis ſurge filia : Cumque è cubiculo cum ſocio diſceſſiſſet , coram monialibus infirma apparuit ſana & læta , ac ſimul cum Patre & aliis ad Sanctiſſimum Sacramentum acceſſit , & hymnum *Te Deum laudamus* cecinit.

Ejuſdem Monaſterij Abbatiſſa jam ab aliquot diebus ex morbo viſum amiſerat. Dominicum ad ſui ſolatium vocat : Pater ſacrum faciens illam Deo commendat,& exiens de conuentu dixit , ſpero illam juuandam eſſe , vidi enim apud calicem columbam candidiſſimam , quæ votis meis videbatur annuere. Cumque ad Monaſterium adueniſſet , dixit infirmæ ac cæcæ ; Surge & vide , quæ duplici prodigio fecit vtrumque. Vocabatur Ludouica Peruſchia.

In eodem Monaſterio laborabat Lucia Roſſia duplici infirmitate, ſcilicet febri thiſica & fluxu ſanguinis : Cumque à terrenis medicis nullum expectaret ſolatium , fide plena Dominicum inuocat , cujus interceſſione & ab eo crucis ſigno munita ſanatur.

In Monaſterio S. Marthæ ſoror Anaſtaſia Vrſina jam à ſeptem

ſeptem annis incurabili laborabat vlcere, multumque erat debilis: Illam Dominicus viſitat, jubet ſurgere affirmans certiſſimè ſanam fore: obedit ipſa fide plena, ſtatim ceſſant dolores, tranſit debilitas, hoc ipſo mane cum aliis comedit in refectorio; cœpit vlcus conſolidari, ac breui penitùs curatum eſt. Eodem prodigio ſanat in Monaſterio S. Annæ D. Mariam Thereſam Matthæi, & in Monaſterio S. Cæciliæ D. Mariam Cæciliam Boncompagni.

Quia non percipit animalis homo quæ Dei ſunt, fuerunt aliqui videntes Dominicum imperare morbis, qui contra cum murmurarent, præſumptioni ac vanitati attribuentes, quod ex abundantia Spiritus, viua fide, ac Diuinæ gloriæ deſiderio procedebat. Cum talis murmuratio ad Patris aures peruenit referente proprio confeſſore: Reſpondit modeſtè; Cum igitur hæc dicant, habent aliquod fundamentum, procurabo deinceps ab hoc abſtinere.

Poſt aliquot dies ingreſſus domum Auguſtini Ceuoli Lauiniam eius vxorem viſitaturus: Hæc grauida & media corporis parte inferiori contracta periculosè laborabat, verbis deuotis illam conſolatur Dominicus, & data benedictione diſcedebat; Rogat eum ſocius, vt infirmæ jubeat ſurgere; Cui reſpondit Pater, Factum ſufficit, & in conuentum receſſit: Vix maritus infirmæ, qui Patrem ad januam domus vrbanitatis cauſa fuerat comitatus, ad illam in cubiculum rediit, cum ſubitò clamantem audit, Bene me habeo; & ſtatim veſtimenta petens, omninò ſana ſurrexit, & mane ſequenti ad noſtrum conuentum de Scala vadit, Beatiſſimæ Virgini & Dominico gratias actura, cujus interceſſione ſe ſanam credebat. Hoc videns ſocius Patris dixit ei: non vult amplius V. R. infirmis imperare, Dominus ipſe imperabit vt ſurgant ſani pauperes iſti, qui de ſimili murmuratione non ſunt culpabiles.

Cujuſdam Viduæ filiolus in Campo Martio laborabat ad mortem, viſitatione & precibus Dominici ſtatim periculum mortis euaſit, & paucis poſt diebus ſanatur. Ferdinandus

dus Mellinus in extremis conſtitutus Dominici benedictione ſtatim curatur, & extemplo Miſſam celebranti aſſiſtit. Sanatur etiam à Dominico in noſtro S. Pauli ſeminario P. Gabriel à S. Ioſeph morti proximus, dum cibum ex eius manu ſumit.

Non ſolùm Dominus perſonam Dominici gratia miraculorum glorificauit, ſed etiam eius veſtes, epiſtolas, & ſimilia quæ ipſe tetigerat. In Monaſterio S. Sylueſtri ad campum Martium ſoror Clara Damiana ſurditate auris laborabat: quadam die fila ſumpſit furtim ex cappa Dominici, & applicans auri ſtatim perfectum recuperat auditum. Quidam Romanæ Curiæ Prælatus eadem ſurditate laborans, ſudariolum Patris laneum applicat auri, & recipit ſtatim auditum. Alio Dominici ſudariolo Catharina Gymnaſia D. Cardinalis Gymnaſij neptis, apoſtemate laborans periculosè, ſanatur ſubitò. Sicut & Genuæ quædam famula Duciſſæ de Turſi plurimùm infirma, contactu caputij P. Dominici ſtatim conualeſcit.

Moniales noſtræ Genuenſes, quæ majori ex parte laborantes cæteras ſic occupabant, quòd vix officio Diuino & laborantium obſequio ſatisfacere poterant, ad P. Generalem recurrunt, vt Dominico præcipiat ſuis monialibus infirmis ſcribere epiſtolam, qua juberet ipſis ſtatim de lecto ſanas ſurgere: ſcribitur & mittitur epiſtola, recepta legitur infirmis duabus reſiduis, quæ ſtatim ſanatæ ſurgunt ad exercitia domeſticæ obſeruantiæ. Item Genuæ in noſtro conuentu S. Annæ F. Clemens conuerſus acutiſſimo lateris dolore correptus periculosè laborabat, conſeruatam Dominici epiſtolam applicat ſibi, & ſtatim dolor cum periculo receſſit: Qui ſucceſſus magnam epiſtolis Dominici venerationem conciliauit, ex quibus multa fidelibus beneficia procedebant.

Aliquid adhuc majus circa præſentem materiam habemus in Dominico. Cum mortalis adhuc viueret, hanc habuit à Deo prærogatiuam, quòd recurrentes ad Dominum

eius nomine ſuis remedia neceſſitatibus inuenirent. Vnde contigit, quòd quidam Romam venit gratias Dominico redditurus, quòd inuocatione nominis ipſius, (abſque præuia eius notitia per viſum aut Epiſtolas) à Deo beneficium obtinuerit: Conqueritur humiliter ad Deum Dominicus, quòd ſua Diuina majeſtas fauores concederet; & ipſi attribuerentur, qui nec nouerat perſonas quibus concedebantur: ſed vocem ſibi reſpondentem audit; nunquid ſufficit, quòd vbicumque fuerint, ſe tibi commendent? Quod ſine dubio teſtimonium eſt fauorabile ſummi amoris, quo Deus Dominicum proſequebatur. Hæc omnia reliquit ſcripta Confeſſarius Dominici velut teſtis oculatus.

CAPVT XI.

Dominicus eligitur Præpoſitus Generalis, infirmatur periculosè, & conualeſcit.

ANnus erat Domini MDCXVII. & die XIII. Maij celebratur quintum capitulum generale, in quo Dominicus eligitur Præpoſitus Generalis; Deo ſic diſponente ad augmentum temporale & profectum ſpiritualem noſtræ Congregationis, vt ſtatim videbitur; quamvis tunc juxta rationes humanas & prudentiam hominum tam alto regimini minùs aptus videretur Dominicus; Tum propter ætatem prouectam, qua poterat à viſitatione neceſſaria conuentuum impediri; Tum propter continuas ecſtaſes, quibus ab humanis negotiis abſtrahebatur; Tum propter corporis nimiam debilitatem, qua tolerandis hujus officij laboribus impar reddebatur. Verùm hæc electio ad majorem Dei gloriam ceſſit, vt exitus demonſtrauit.

Vix credi poteſt, quot preces Dominicus, quot lachrymas fuderit, vt moueret electores ad ſui compaſſionem: Cumque nec ſic poſſet onus impoſitum euadere, voluit non

acceptare

acceptare dignitatem,vt ab aliquo capitulari didici; reſtitit quantum potuit, quamvis aliàs, vt vidimus, Diuinam paſſus fuerit correctionem in Hiſpania,cum oblatum ſibi officium nimis repuliſſet: Sed tunc ſe correctum diuinitùs credidit, quia reſiſtebat Generali; nunc Generalis effectus ſe tutò credit aliis poſſe reſiſtere. Tandem collum oneri ſubmittit coactus & Summi Pontificis mandato, & totius Congregationis deſiderio.

Si hæc electio fuit tam ingrata Dominico, fuit gratiſſima Summo Pontifici Paulo V. totique Romanæ Curiæ, imò & toti Vrbi. Poſt electionem publicatam veniunt & proprio & ſuæ Sanctitatis nomine ad Dominicum Cardinalis Burgheſius & Princeps Sulmonenſis: ſequuntur Cardinales Mellinus, Iuſtinianus, Gallus, Borgias, Vrſinus; & cum eis plurimi nobiles & Prælati: Alia die ſeptem alij Cardinales ſequuntur, qui omnes Dominico de Generalis officio,vel potiùs religioni gratulantur. Summus ipſe Pontifex tanta perfunditur hujus electionis lætitia, quòd ipſam voluerit publicam reddere: nam die Lunæ immediatè ſequenti ſub finem Conſiſtorij, in conſeſſu Cardinalium, vbi nuntja tantùm grauiſſima, vt pote de ore Pontificis procedentia tanquam oracula pronuntiantur, vultu ſereno dixit; Habemus Generalem Patrem Dominicum,& hoc cum tanta demonſtratione lætitiæ, quòd quidam Cardinalis hac ipſa die veniens dixerit Summum Pontificem in hoc nuntio Cardinalibus intimando tantam oſtendiſſe ſatisfactionem, vt judicaret ipſum terminos ſolitæ grauitatis & compoſitionis ſuæ ſingularis exceſſiſſe, quæ ſemper in hoc glorioſo Pontifice fuit mirabilis.

In hoc generali capitulo diuiſa fuit Congregatio in ſex Prouincias, vt diuiſo in plures Superiores immediato regimine, leuius & facilius eſſet onus Generalatus, & regimen Congregationis melius. Hæ primitiuæ ſex Prouinciæ, juxta primi conuentus ſingularum antiquitatem, ſunt hoc Ordine ſequentes: Genuenſis, ſub qua Tuſcia & Regio Pedemontana;

montana ; Romana, ſub qua regnum Neapolis & Sicilia; Poloniæ, per totum illud regnum diffuſa ; Longobardiæ, per plurium Principum ſtatus extenſa ; Gallica, totum regnum & Lotharingiam complectens;Et Belgica,Flandriam & annexas regiones,& adjacentem Coloniam Agrippinam includens. Poſtmodum ſingulæ ſunt ſubdiuiſæ, ac nouæ erectæ.

Regimen congregationis incipit Dominicus à ſpiritualibus, quæ ſunt principaliora : Et cum nihil mali eſſet indigens reformatione, ad bonum ſpirituale promouendum attendit. Quapropter finito capitulo Patres omnes in oratorio congregat : Et breui exhortatione præmiſſa, qua Deo gratias agebat, quòd vota religionis, & alia tam regulæ quàm conſtitutionum præcepta rigidè obſeruarentur; ſubjunxit periculum eſſe, ne prætextu deuotionis aliquis affectus proprietatis irreperet, circa Crucifixos, reliquiaria, Roſaria,& cætera hujuſmodi. Quod malum vt præueniatur, jubet ſimilia deponi in vnum, & ſorte diuidi ſingulis:Ipſe primus ſuum Crucifixum æneum & Roſarium profert, illum imitantur cæteri Patres, & Cardinalis Vrſinus ad hoc pietatis exercitium admiſſus crucem auream reliquiis plenam offerebat : Sed ei reſtituitur, & inſuper Dominici Roſarium ſorte cedit, quo maximè lætatus eſt. Voluit Venerabilis Pater hoc facto ſuos inſtruere ſubditos, vt nulli viſibili adhærerent, at illis pro tempore conceſſis vtentes, ad inuiſibilia ſignificata vel repræſentata aſſurgerent.

Eodem anno ſub finem menſis Iulij cœpit Dominicus Febri laborare, quòd non ſolùm Religioſis, ſed etiam vniuerſaliter omnibus moleſtum fuit, omnes quippe Dominicum amabant & venerabantur. Adueniente Feſto S. Dominici die quarta menſis Auguſti (quod ipſe ſolemniter celebrare ſolebat,vt ipſe vidi) ſpiritus feruore corporis vires ſuperans, in oratorio poſt veſperas congregat Religioſos, & illuc auxilio miniſtri infirmorum accedens longum

de laudibus S. Dominici ſermonem habuit;& ne totum fieret ſpeculatiuè, multos virtutum ac martyrij præſertim actus à religioſis tunc eliciendos exigit.

Dum ſpiritus feruore Dominicus noſter in his virtutum exercitiis intenſiùs occupatur, febris nimium intenditur; vnde in cellam deducitur. Sic paucis diebus morbus inualuit, quòd acutiſſimos pateretur dolores nec poſſet ſeipſum regere; cibos faſtidiebat, & retinere non valebat: Propterea Medici de remedio deſperantes breui moriturum denuntiarunt.

Vix poteſt exprimi, quantam hoc nuntium triſtitiam & confuſionem Romanis omnibus cauſabat. Tam magnus & vniuerſalis fuit doloris ſenſus, vt nullum Monialium fuerit Monaſterium, nullus Religioſorum conuentus, in quo non fieret oratio pro ſalute Dominici; mouente Domino totam ciuitatem Romanam, ad tam magnum dolorem ac timorem de morte illius: Voluit quippe Dominus ſuum fidelem ſeruum Romæ ſic vniuerſaliter honorare, ſicut in aliis locis jam honorauerat.

Confeſſarius eius P. Petrus à Matre Dei Senenſis, qui poſtmodum ferè vſque ad mortem ipſum comitatus eſt, conſcius ſecretorum ſpiritus eius; recordatur promiſſi Dominico diuinitùs facti, quòd ſcilicet tempus mortis ipſi reuelaretur, Patrem interrogat, An ſit moriturus, rogans ſimul ipſum vt ſibi dicat quid ſciat de ſuo viuere vel mori. Reſpondit Dominicus, nihil ſibi reuelatum adhuc; ſed ſe interna perſuaſione inclinatum eſſe, vt indubitanter crederet ſe non fore tunc moriturum. Non tamen neglexit ad mortem ſe diſponere, imò ſe præparauit multarum virtutum actibus, ac ſi foret hac infirmitate moriturus, & ſanctum ſumpſit viaticum.

A quodam nobili Romano ipſius amico interrogatus, an vellet ſuos deuotos deſerere; Reſpondit, Hei mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus eſt: Hac vice plus potuerunt aliorum orationes quàm meæ. Et quamvis ſub initium

initium menſis Octobris in Feſto S. Angeli Cuſtodis liber à morbo fuerit; non tamen perfectè conualuit vſque ad finem menſis Nouembris: Tunc enim reaſſumpſit regimen Ordinis,& ad viſitandam congregationem ſe accinxit.

CAPVT XII.

Diſcedit Roma Dominicus congregationem viſitaturus, & Viterbi mira facit.

IAm Dominicus deperditas vires reſtauraverat, jam hyeme tranſacta Veris ſuauitas aduenerat, & ipſe memor Officij de viſitanda congregatione cogitans Roma diſcedere properat. Non defuerunt qui vel titulo amicitiæ, vel conſeruandæ ſanitatis cauſa voluerunt iter eius impedire: ſed ipſe difficultates objectas & labores præuiſos contemnens, Summum adit Pontificem, licentiam diſcedendi cum Apoſtolica benedictione petit; quibus obtentis anno Domini MDCXVIII. Die XIV. Maij ſuam incipit profectionem.

Prima die D. Cardinalis Borgias ipſum comitatus ad Caſtellum Marchionis Olgiati conducit. Die ſequenti Dominicus lectica Cardinalis Vrſini vectus tendit Viterbum; ſed occurrentibus D. Edoardi Cardinalis Farneſij Miniſtris ad oppidum Caprarollam deducitur, eique majoris honoris cauſa cubiculum Cardinalis ornatum conceditur. Poſtea ſuperato monte intermedio Viterbum venit, vbi magno cum applauſu recipitur, hoſpes futurus Cardinalis Mutij ciuitatis illius Epiſcopi.

Deſiderauerat hic pius Cardinalis aduentum Dominici vt Monaſterio Sanctæ Roſæ remedium aliquod afferret. Octo erant in illo Moniales, quæ à Dæmonibus obſeſſæ plurimum patiebantur, quamvis aliqui Medici ſimilem paſſionem ad cauſas naturales reducerent: Hæc Monialium

vexatio magnum obſeruantiæ detrimentum, & toti Monaſterio perturbationem afferebat. Septem ex illis octo Patris aduentum deſiderant, & ſummis precibus implorant: Vna ſolùm reſiſtit, non ſperans ab eo libertatem, quam ab aliis obtinere non potuerat. Ad Monaſterium veniens Miſſam celebrat, cum feruore ſpiritus ſermonem habet: ſeptem Moniales confidentes in nomine Domini liberat, octauam diffidentem in ſua relinquit paſſione. Diſperſo per totam ciuitatem tali prodigio, tantus fuit populi concurſus ad Dominicum videndum, cujus benedictionem poſtulabat, quòd per aliquod temporis ſpatium Pater ad ſuum hoſpitium redire non potuerit.

Venerat ex profeſſo Viterbum Laurentius Maluezzius, vt authoritate Cardinalis inducere poſſet Dominicum ad viſitandam in Monaſterio Pacis ſuam priuignam ſororem Scholaſticam Boncompagni, quæ præteritis annis Neruorum contractionem Febri conjunctam patiens, per applicationem reliquiarum ipſius Dominici à dicta contractione liberatur, ſed non à Febri, & tunc temporis erat in graui periculo mortis. Obtenta Cardinalis licentia Monaſterium ingreditur Dominicus, infirmam viſitat & ſolatur: Interrogat Dominicus, an velit pro Domino pati, vel ab infirmitate liberati; ſe paratam ad vtrumlibet reſpondet, quòd ſi deſideret ſanitatem, non alio vult eam titulo, quàm vt officio Diuino & actibus communitatis ſatisfacere poſſit: Hanc in reſignatione confirmat Dominicus, & ceſſante Febris moleſtia confeſſionem eius audit, & recitatis quibuſdam precibus dixit ei, quòd Dominus ſanitatem ipſi conceſſerat, ſed quòd paulatim illam acquireret. Tunc omnes Moniales Patrem rogant, vt eam de lecto ſurgere jubeat: ipſe hoc charitatis officio motus jubet infirmæ vt veſtes aſſumat, & ſeipſum præcedentem ad chorum ſequatur; obedit præcepto Patris, ipſum ſequitur jam benè diſpoſita; & deinceps meliùs in dies habebat, donec perfectè fuerit ſanata.

Dominicus

Dominicus non ſolùm oratione, ſed etiam veſtimentis facit mirabilia magna: Quædam vidua jam inueteratum in tibia patiebatur vlcus; procurat Patris cappam parti læſæ fiducialiter applicare, & breui tempore conſequitur ſanitatem.

Quidam enſium artifex ſanguinis fluxum patiens filiam juuenem febribus debilitatam habebat. Cum illa venit ad Dominicum, ipſum pro ſalute vtriuſque rogat, quam ſolo Dominici contactu impetrat.

Cardinalis Mutij caudatarius, ipſius juſſu aſſiſtens Dominico, graui & occulto laborabat morbo: Relictis pluribus & moleſtis medicorum remediis, ſe pietati credit Dominici, & breui ſanatur.

Alij plures infirmi veniunt ad Dominicum, ex quibus aliqui ſanitatem, alij ſolamen reportant. Tranſactis Viterbi duobus diebus cum dimidio, tum in dictis curationibus faciendis, tum in prædicando verbo Dei, tum in miniſtrandis Sacramentis, impetrata Cardinalis licentia diſcedit.

CAPVT XIII.

Vlterius progrediens Dominicus venit Florentiam, & vbique facit mirabilia.

DIſcedens Viterbo Dominicus adjacentem pertranſit planiciem, & montem Faliſcum aſcendit: Illum honorifico excipit hoſpitio Dominus Zacchias ciuitatis illius Epiſcopus, poſtea Cardinalis. Rogatus in quodam Monialium Monaſterio concionatur, adeſt illi maximus nobilium & ciuium concurſus.

Romæ Edoardus Cardinalis Farneſius, noſtræ congregationi ſic affectus, quòd ei magnificum in oppido Caprarollæ ditionis ſuæ conuentum cum redditibus conſtruxerit, Dominicum rogat vt in ſuo tranſitu, rectam deſerens ali-

quantulum viam, velit Grandolim diuertere, nepotem ſuum Principem viſitaturus ac ſua benedictione muniturus; & ſimiliter Farneſium accedere, nouum Monialium Monaſterium inſtructurus. Vt tam deuoto benefactori & magnifico Cardinali obtemperaret, iter ſuum ad illa loca dirigit, quò pagorum circumjacentium populi præcurrente fama concitati certatim confluebant, vt eius viſione ac benedictione fruerentur, ipſumque velut ſanctum venerarentur & acclamarent.

In monte Faliſco reperit Dominicus miniſtrum prædicti Cardinalis, cujus ductu ad lacum Vulſinium monti ſubjectum deſcendit, & conſcenſa nauicula ad paruulam hujus laci inſulam transfretauit, in qua deuotus admodum erat Capucinorum conuentus cum Eccleſia magnifica: præcipuo ſuſceptus honore & charitate, dum ibi cum piis illis Patribus de Diuinis rebus diſſerit, aues multæ conuolant vndequaque, & in vicinis arboribus ac arbuſculis ſiſtunt quandiu loquitur Dominicus; & hinc inde quaſi familiares volitant, non ſine Patrum illorum admiratione, qui à multo jam tempore conuentus hujus incolæ teſtabantur ſe nunquam in tali loco tantam auium multitudinem, & tam liberè ac fidenter eas volitantes inter homines vidiſſe, quaſi demonſtrarent ſe piæ conuerſationi & cœleſtibus Dominici colloquiis aſſiſtere libenter.

Eadem die traducitur Farneſium, vbi à Duce Alatrenſi & Principiſſa Vetrallia Marij Farneſij filia ſuſcipitur honorificè, cumque Marius illuc eum conuenire non potuiſſet detentus Alatrij, debuit ad ipſum tranſire Dominicus, poſtquam Farneſij nouum Monialium Monaſterium ſalutaribus monitis tam in communi quàm in particulari inſtituiſſet.

Viſitato Alatrij Mario Farneſio tranſit Gradolim oppidum Caſtrenſis Ducatus, vbi Principem Farneſium Ducem Parmæ reperit. Huic erat filius Alexander nomine, ſurdus & mutus à natiuitate. Deum pro ipſo rogat Dominicus,

ſed

ſed ipſi ſanitatem corporalem non impetrat; cum tamen eam aliis ibidem contuliſſet: Mulierem ibi à Dæmonibus obſeſſam liberat. Puellum quinquennem cæcum à matre oblatum illuminat ſolo crucis ſigno: multaque ſimilia fecit prodigia, quibus permotus populus particulas habitus ipſius quaſi pretioſas ſumit reliquias.

Vlteriùs properans venit ad ciuitatem Senenſem Hetruriæ nobiliſſimam, tot ſanctorum, tot Summorum Pontificum, & tot virorum illuſtrium parentem inclytam, vbi tam deuotè ac modeſtè fuit exceptus, quòd perpetuam piam affectionem erga eam conſeruauerit, & maluiſſet in ea quàm Romæ habitare. Loca ciuitatis ſanctiora viſitauit, & maximè domum, in qua nata eſt S. Catharina Senenſis, nunc in Eccleſiam ejuſdem Virginis dedicatam. Quadam die poſt celebratam in Eccleſia Patrum Carmelitarum Miſſam liberauit viduam à Dæmone poſſeſſam, & tantus fuit populi concurſus vt vix exire potuerit.

Erat in ea ciuitate quædam Virgo juuenis ſanctæ vitæ, ſed à Dæmone poſſeſſa: optabat hæc Dominicum alloqui, non vt à Dæmonis poteſtate liberararetur, ſed vt conſuleret ipſum de rebus animæ. Venit ad domum Illuſtriſſimi D. Bichij, vbi Dominicus fuerat exceptus, nimio populi concurſu arcebatur ab acceſſu Patris, imò deliquium patitur: Vnde monitus Pater ad illam accedit, & ſtatim recedit deliquium; multa Dominicus illi dicit, & inter alia, cum nunquam antea nomen illius audiuiſſet, illud repetens addidit: Magdalena, Magdalena, ſi fideliter tuo Domino deſeruias, non te vexabunt amplius iſti Dæmones. Manſit libera, & animata ad ſeruiendum Deo perfectiùs.

Vltima die menſis Maij diſcedens à ciuitate Senenſi verſùs Florentiam, à Dominis Piccolominæis ducitur ad Caſtellum, vulgò Caſtiglioncello, domus eſt Campeſtris amœna: manſit ibi nocte illa, mane ſequenti celebrat, & aliquorum audit confeſſiones. Erat ibidem homo quidam lunaticus aut efferus, qui fugiebat hominum conſortia,

nullum alloqui volebat : ſed illum alloquutus Dominicus paucis verbis manſuetum ac domeſticum effecit,& perfectè ſanatum reliquit.

Dum oppidum Barbarinum pertranſit, obuiam habet puellam annorum ſedecim à Dæmone poſſeſſam. Interrogat eam Dominicus, an liberari velit : reſpondet ſe nolle, non abſque audientium admiratione ; miratur etiam in principio Dominicus ipſe : ſed tamen poſtea cœlitùs inſtructus ait eis qui illam duxerunt ; Hæc puella magno Dei beneficio eſt obſeſſa, nam dum corpus torquetur, ſpiritus in virtute perficitur ; ſi ſanaretur, eſſet in majori periculo.

Iteratis magni Ducis Hetruriæ,matris eius D.Chriſtinæ, Conjugis Sereniſſimæ,ac Principum litteris Florentiàm ad ipſorum curiam inuitatus fuerat Dominicus : Propterea viam rectam aliquantulum deſerens, vt tantorum Principum piæ voluntati ſatisfaceret, ad illam ciuitatem diuertit, quæ pulcherrima & totius Hetruriæ Metropolis eſt. Vt acceſſus eius auditur,obuiam ei mittitur D.Petrus Caponius, qui Dominicum omnibus amoris ac reuerentiæ ſignis exceptum ad Magni Ducis palatium, in rheda clauſa & per viridarij portam ducit, vt ſic juxta votum Dominici populi concurſus & applauſus vitaretur. In hoc Principis palatio ſuum Dominicus hoſpitium honorificum inuenit : vicinum enim voluit Princeps habere Dominicum,à quo conſolationem ac ſalutem ſperabat.

Iacebat infirmus Magnus Dux multis indiſpoſitionibus, ac præſertim debilitate ſtomachi laborans. Sæpiùs illum Dominicus viſitauit, & aliquando dixit ei, vt dimiſſis medicorum remediis, quibus obruebatur natura, de lecto ſurgeret in nomine Domini, promptam ipſi ſanitatem promittens. Obedit Princeps fide plenus, & juxta Dominici promiſſum cœpit ſtatim bene habere & conualeſcere, & in gratiarum erga Deum actionem, præmiſſa confeſſione Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum de manu Dominici

minici celebrantis ſuſcipit (cui Princeps Ferdinandus eius primogenitus miniſtrabat) cum aliis Principibus.

Voluit etiam & Dominico gratus eſſe. Vnde quadam die dixit ei: Propter maximum, quo ipſum proſequimur, affectum deſideramus in hac noſtra ciuitate veſtram habere religionem cum ſua perſona; Et ideò juſſimus aptum fundationi conuentus ſitum quæri, videbit illum, & ſi placuerit, præcipiemus ſtatim conuentum ædificari. Gratias agit Dominicus, Senas libentiùs Florentiæ prætuliſſet; ſed Principis non annuentis eius optioni volens piæ deuotioni ſatisfacere locum oblatum acceptat, Eccleſiam ſcilicet Parrochialem S. Pauli cum horto competenti ac domibus adjacentibus. Emit hæc omnia Princeps, & quod præcipuum eſt, voluit in perpetuum de penu palatij cuncta pro duodecim alendis religioſis neceſſaria ſingulis diebus abundanter miniſtrari: Mater autem ipſius D. Chriſtina Lotharingiæ ſe prouiſuram ornamenta ſacriſtiæ promittit.

Quodam veſpere ſub crepuſculum, vt populi tumultum vitaret, ſacratiſſimam & miraculoſam Deiparæ Virginis Annuntiatæ imaginem in Eccleſia Patrum Seruitarum viſitat: Et tanta luce interna perfunditur, quòd ipſum clamare compulerit. Hai, Hai; & alienatus à ſenſibus immobilis perſtitit: Et quamvis ad ſe citò redierit, ſeipſum tamen mouere non poterat; Vnde delatus in vnam conuentus illius cellam aliquantulum quieſcere debuit, vt vires reſumeret. Vidit in illo raptu ſubitaneo ſtatum domus Medicææ; proſperos etiam, & fortè ſiniſtros euentus aliquos; Vtroſque ſecretò Principibus communicat, vt ex eorum notitia ſibi conſulerent, ac Diuinæ voluntati ſe conformarent.

Manſit Florentiæ Dominicus quindecim diebus, & ſe continuò pietatis operibus exercuit, & maximè confeſſiones audiendo, conciones in variis Monialium Monaſteriis habendo. Longas habuit ſpiritus conferentias cum Beato Hyppolito Galantino. Multis ſanitatem contulit, vt D. Antonio de Medicis, qui podagra laborabat: Et Domino

Nicolao de Staffa,qui tranſuerberato brachio dolores acerbos patiebatur : In villa Magni Ducis mulierem obſeſſam à Dæmone liberauit ex pago Capraia oriundam. Et antequam Florentia diſcederet, induxit Magnum Ducem, vt dimiſſo ciuitatis Lucenſis patrocinio, cui ciues plurimùm fidentes Epiſcopum in ſua juriſdictione vexabant, eam ſuo Antiſtiti reconciliaret, vt poſtea fœliciter ſucceſſit.

CAPVT XIV.

Dominicus Genuam appellit, viſitat Genuenſem Prouinciam, & ibidem Eremiticum fundat conuentum.

FLorentia diſcedens Dominicus. Liburnum versùs contendit,vbi Miſſa per D.Carolum Doria Ducem de Turſi triremis eum Genuam vehendum expectabat. Cum ſuperato Monte Lupo ad amœnam domum Ambroſianam venit, obſeſſam à Dæmone mulierem inuenit, tali obſeſſione ſic debilitatam, quòd aliorum manibus ad ipſum deferri neceſſe fuerit. Eius miſeriæ compatiens Dominicus ſigno crucis illam benedicit, ac ſimul Dæmonem expellit, & deperditas vires reſtaurat.

Tranſacta ciuitate Piſana Liburnum attingit, vbi dictam triremem ingreſſus mare tranſcurrit, & tertia die Genuam appulit, ibique ſumma cum lætitia à noſtris religioſis, & ſummo cum honore ab omnibus aliis excipitur, præſertim à D. Carolo Doria & eius conjuge D. Placida Spinola. Ne ſiſtamus ad ſingulos paſſus, non referimus populi concurſum, nec acclamantium applauſum,quem Dominicus inuitus patiebatur quacumque tranſibat.

Peruenit tandem ad noſtrum S. Annæ conuentum, Italicæ congregationis primum, Anno Domini MDLXXXII. fundatum, vbi copioſum inuenit Religioſorum numerum, & Priorem V.P. Angelum à Iesv Maria Mediolanenſem ex inclyta Marchionum de Soncino familia,virum virtuti-

bus

bus conſpicuum, & contemplationi deditum. Ibi præſtita à cunctis Religioſis obedientia, tanquam ſupremus congregationis ſuperior reuerenter excipitur; Cui reuerentiæ ſuperioris ipſius ſanctitas probata plurimùm contulit.

Elapſis aliquot diebus, quibus viſitationi domus & ſatisfactioni religioſorum attendit, cœpit de perficiendo conuentu Eremitico inſtanter agere. Statim ac fuerat Dominicus in officium Præpoſiti Generalis electus, ſedulò de tali conuentu, tanquam de anima Prouinciæ cogitauit; & prædictum P. Priorem animauerat, vt inuentum Eremiticæ vitæ locum idoneum in montibus Genuæ ab illa Sereniſſima Republica obtineret, quod effecerat, & conuentus fabricam promouerat.

Vt aliquam noſtrorum conuentuum Eremiticorum notitiam lector habeat: Hic breuiter eorum inſtitutionem opus eſt indicare. Cum noſtra religio Carmelitana ſolitudinem plurimùm quærat, vt pote parti principaliori eius inſtituti, ſcilicet contemplationi congruam; & tantùm populorum frequentiam quærat, vt opera pietatis vitæ actiuæ, tanquam partis minus principalis exerceat: Inde eſt, quòd licet in ſingulis conuentibus ſtrictiorem clauſuram cuſtodiamus, vt legem Domini meditemur die ac nocte, & perfectiùs poſtea charitatis operibus proximi ſalutem quæramus. Ad hæc tamen aptiùs præſtanda laudabili noſtræ Religionis more, ſolet in vnaquaque Prouincia jam ſtabilita conuentus vnus Eremiticus ædificari, ad quem Religioſi de Superiorum licentia recedunt, ibi ſolùm vitæ contemplatiuæ vacaturi, & poſtmodum feruentiùs ad actionem pietatis prodituri. Ad hunc conuentum nullum ſæcularium negotiorum nuntium ingreditur, nullus mundanarum rerum ſtrepitus irrepit: in perpetua tranquillitate ſpiritus, & in mirabili ſilentio vitam omnes ducunt Eremiticam, nec minùs rigidam quàm antiqui Thebaidis Eremitæ. Si conuentus iſtius exercitia hic deſcriberentur, admirationem lectori

ctori cauſarent : ſed non eſt hujus loci amplius in eo deſcribendo immorari.

Paucorum menſium ſpatio conuentus ſimilis Eremiticus in medio monte inter Genuam & Sauonem fundatus fuerat, & copioſis nobiliùm Genuenſium largitionibus ita promotus, quòd poſſet jam ſuos Eremitas capere. Vnde nihil charius habuit Dominicus, quàm ad illum perfectos & contemplationis amatores congregare religioſos, qui vitam cœleſtem in illa eremo ducerent: Et in eremi dedicatione maximam voluit ſolemnitatem celebrare.

Iam duodecim ex diuerſis conuentibus Genuæ collegerat Religioſos: jam Feſtum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo ſolemniſſimum in tota noſtra Religione, pro dedicatione eremi deſtinatum inſtabat. Præmittit Dominicus electos Eremitas, qui pridie illius diei ſcilicet decima quinta Iulij ad locum perueniunt: Ipſe verò multorum nobilium Genuenſium comitatu decoratus, præſertim Ducis & Duciſſæ Turcenſis, decima ſexta Iulij ſummo mane ipſius diei feſti peruenit; omnibúſque paratis nouam Eccleſiam benedicit ſub inuocatione & titulo S. Ioannis Baptiſtæ, ſolemnem Miſſam cantat, cum magno feruore concionatur, & deuotam cum prædictis duodecim Religioſis celebrat proceſſionem. Hi duodecim Religioſi fuerunt P. Philippus à S. Iacobo Neapolitanus, tunc inſtitutus Eremi Vicarius, poſtea in ſequenti Capitulo Generali Prior electus, qui per omnes dignitatum gradus ad Generalis officium fuit ſublimatus: P. Ioannes à Sanctiſſimo Sacramento Hiſpanus Supprior factus,

P. Ioannes à S. Angelo Pedemontanus,
P. Romualdus à S. Ioanne Baptiſta Romanus.
P. Ioannes Baptiſta ab Aſcenſione Picenus.
P. Fraɴciſcus Maria à S. Hieronymo Genuenſis.
P. Gerardus à S. Luca Hetruſcus.
P. Germanus à S. Vincentio Bononienſis.
P. Matthias à S. Catharina Genuenſis.

P. Simon

P. Simon à Spiritu ſancto Neapolitanus.

Fr. Antonius à S. Ioſeph Choriſta Neapolit.

Fr. Didacus à S. Ioſeph Hiſpanus, Donatus.

Hac ipſa die ſolo crucis ſigno duos à Dæmone poſſeſſos benedicendo liberauit. Per aliquot ibi dies immoratur, vt non ſolùm verbo, ſed etiam exemplo vitam ſtabiliret Ereminiticam. Omnibus ritè diſpoſitis ad Lodanenſem tendit conuentum, vt illum ſua viſitatione perficiat, qua finita Genuam redit lætabundus, quòd in mediis nemoribus ſanctuarium virtutis fundauerat.

Genuæ Monialium noſtrarum ſub inuocatione IESV MARIÆ Monaſterium viſitat. Ibi Soror Anna MARIA decumbebat infirma. Mittit ad eam Dominicus qui vocet ſuo nomine ad locum, vbi cum aliis Monialibus ipſam expectabat: Obedit ancilla Domini; Cumque Pater vidiſſet illam ab aliis Monialibus propter debilitatem adjuuari, dixit adjutricibus vt dimittentes ſolam venire ſinerent; ad Patrem perueniens, ab eo benedicitur, & ſtatim ſanatur.

In noſtro S. Annæ conuentu quædam mulier paralytica dum aduertiſſet Patrem in majori capella orantem, cum multa fide fimbriam habitus eius oſculatur, & ſtatim liberatur à paralyſi. Ibidem patrem vnius Religioſi liberat à febre, & ſimilia patrat mirabilia.

CAPVT XV.

Viſitat Dominicus noſtram Longobardiæ Prouinciam.

EXpedita viſitatione Genuenſis Prouinciæ accingit ſe ad viſitationem Longobardiæ. Vnde poſt celebratum Exaltationis S. Crucis Feſtum, & factam in ipſa die votorum renouationem, Genua diſcedit, montes ſuperat, & ad Inſubriæ planitiem deuenit.

Papiæ ad Ticinum fluuium inuenit Dominicus P. Prouincialem illius Prouinciæ, qui ipſi honoris & reuerentiæ

cauſa obuiam venerat. Ciues pulcherrimam Beatiſſimæ Virgini Mariæ conſtruxerant Eccleſiam, in qua ejuſdem Sanctiſſimæ Virginis Imago miraculoſa conſeruabatur, quam libenter noſtris Diſcalceatis de nouo receptis conceſſiſſent. Sed Epiſcopus Loci Dominus Landrianus malebat eam date Clericis, vnde noſtris fortiter recuſabat, quamvis aliàs eſſet affectus: Cui dixit Dominicus; Domine veniet tempus, quo nobis ipſam libenter dabis, nec tibi deerunt tribulationes, donec dederis: Et manifeſtè dixit P. Prouinciali; Diſcedamus, nam Eccleſia erit noſtra, plurimas Epiſcopus patietur anguſtias, & noſtra indigebit diligentia contra ſuos inimicos, & tunc nobis non petentibus offeret Eccleſiam. Horum verborum veritatem euentus demonſtrauit; poſtea namque miraculoſam hanc nobis tradidit Eccleſiam, poſt trium annorum reſiſtentiam.

Dum iteragit Dominicus, vt eat Mediolanum, infantulus coram ipſo tranſeunte, ſolius Dei motione, manibus junctis genuflectit, non ſine deuotione & admiratione videntium. Mediolanum perueniens à Duce de Feria ſtatus illius Gubernatore, & ab aliis Principibus tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus viſitatur: tantúſque fuit populi concurſus, vt neque intra conuentum, nec extra illius inundantis moleſtiam vitare poſſet; Vnde diſceſſum accelerat. Ibi quadam die quinque mulieres obſeſſas à Dæmone liberat: Et ſeptenni puellæ mutæ ſigno Crucis loquelam ſubitaneam concedit.

Mediolano diſcedens properat Cremonam, currus quo vehitur in foueam luto plenam Dæmonis arte præcipitatur; ſed Diuina protectione ab omni malo liberatur: Honorificè ab Epiſcopo D. Briuio ſuſcipitur, & ad diuerſa Monialium Monaſteria ſolatij cauſa concionum occaſione deducitur. In hac ciuitate varios liberat energumenos, ſanat infirmos, & maximè quandam nobilem, quæ moleſtum vlcus à quatuor annis in faucibus patiebatur: Et D. Car-

nobij

nobij ſedauit animum, qui propter homicidium commiſſum totam ciuitatem turbarat.

Sereniſſimus Dux Parmæ humaniſſimam Dominico propria manu ſcribit Epiſtolam, qua ſuppliciter ipſum ad ſuam curiam inuitat. Vt ei ſatisfaciat Dominicus, iter illùc dirigit: Appropinquanti Dux obuiam ad milliare venit. Ibi D. Helenam de la Catta Monialem Ordinis S. Benedicti, neruis contractam & à decem annis medietate inferiori corporis percluſam ſubitò ſanauit.

Iter proſequutus venit Mutinam: Dux illius ſtatus filiam Principi Mirandulano in matrimonium tradiderat, quæ Deo ſic permittente à malignis ſpiritibus vexabatur: Rogatur Dominicus, vt Mirandulam ad eius ſalutem pergat honeſto comitatu decoratus: Illuc perueniens inuenit Principiſſam in ſacello palatij; Miſſam coram ipſa celebrat, documentis ſpiritualibus inſtruit, & à diutina vexatione liberat.

Vlteriùs progrediens venit Bononiam aliquantum infirmus & Catharro preſſus: magno populi concurſu ſuſcipitur, à Cardinali Capponio ſuæ Sanctitatis in hac ciuitate Legato viſitatur, & ab illo inuitatus gratias agit, ac pauperem Religionis conuentum palatio prætulit. Quia nimis anguſtus, ac plurimùm incommodus noſtri conuentus erat ſitus, volens Dominicus ſuorum neceſſitati prouidere, miraculoſam Sanctæ Mariæ lachrymoſæ Eccleſiam, in via Romana ſitam, & piorum eleemoſynis ædificatam à Senatu ciuitatis obtinuit.

Dum Bononiæ Dominicus ad bonum fundationis, & conſolationem religioſorum moratur. Duces Mantuæ illac tranſeuntes ipſum viſitant, & vt liberiùs conuerſatione eius fruantur, accedunt incogniti, & Miſſæ aſſiſtunt. Honorificas ibi à Duce Bauariæ recepit Epiſtolas, quibus ad viſitandam Germaniam inuitabatur. Ibidem plures à Dæmone obſeſſos liberauit, plures ſanauit infirmos, hoſtes infenſiſſimos reconciliauit, vel priuata negotiatione, vel publica

concione; inter hos referuntur Siluius Alberghatius & Comes Franciſcus Marius Boſcheltius, item Fabius Rondaninus & Dominus Odiatus. Tunc etiam accidit, quòd Duciſſa Auriaca filium Octimeſtrem pepererit cum euidenti vtriuſque periculo, Mater dolores acutos patitur, filiolus continuis eiulatibus conſumitur ac mortuus reputatur: Sed eum Mater afflicta S. M. N. Thereſiæ commendat, corpuſculum eius particula cappa Dominici contegit; ſtatim reuixit, ſanatur, & diu vixit.

Tandem Fauentiam vadit Dominicus, vbi pari concurſu populi recipitur: ſed cum indiſcreta ſit plebis deuotio, cappa ipſius ſcinditur, cujus particulæ quaſi reliquiæ ſeruantur. Illas Inquiſitor jubet colligi & comburi, quo popularem exceſſum temperaret: ſed non decreuit populi deuotio, potiùs augetur dum per Dominicum fiunt prodigia. Erat ibi decennis puella, quæ neruis attracta ſine fulcris incedere non poterat: accedit ad Dominicum, liberum petit inceſſum; compatitur ei Dominicus, præmiſſa ſuper eam oratione breui, tenens Crucifixum præ manibus ſigno Crucis illam benedicit: Puella ſtatim ſanatur, & appenſis in Eccleſia fulcris pedes in ſuam domum rediit. In eadem ciuitate diſſidentes familias ad inuicem reconciliauit: Et poſt Feſtum Dulciſſimi Nominis IESV, quod decima quarta die Ianuarij celebratur, inde diſceſſit.

CAPVT XVI.

Romam Dominicus redit, nec ceſſat facere mirabilia.

TErminata jam viſitatione prædictarum prouinciarum, ſeriò cogitat Romam redire: nam inde diſcedens ſe citò rediturum Summo Pontifici diſceſſum eius ægrè ferenti promiſerat. Properanti Dominico quidam occurrit hydropicus, qui jam à multis annis hac infirmitate premebatur, quòd ſæpè voluerit deſperatione ſeipſum occidere: Reme-

dium à Dominico petit, qui ſuauibus verbis ad reſignationem inducens, morbi finem inſtare denuntiat; Et ſic euenit, nam tertia poſt die confeſſus & ſolatio plenus occubuit.

Laureto tranſire deſiderat,vt ibi Sacratiſſimam Beatiſſimæ Virginis domum viſitet : vt feruidam concipiat deuotionem, Ceſennæ librum emit hiſtoriæ illius, qualiter de ciuitate Nazareth ad hæc loca Angelorum famulatu,per tantum ſpatium & Adriatici maris trajectum miraculosè fuerit tranſlata. Properantem ſequimur Dominicum, nec in ordinariis etiam prodigiis in media via ſiſtere volumus : Vnde nec in foro Liuij, nec Ceſennæ, nec Arimini, nec Piſauri, nec Fani, nec Senigalliæ, nec Anconæ moramur, raptim ipſum deducimus Lauretum, vbi à D. Gallo Suozij Cardinalis ſumptibus excipitur hoſpitio. Per duos ibi dies commoratur, vt ſuæ deuotioni ſatisfaceret : ſecundam noctem duxit inſomnem, vt aptiùs ad celebrandum ſequenti die in ſancta illa domo ſe pararet.

Inde jubilo plenus recedens plures Piceni ſuperat ciuitates, Recinetum, Maceratam, Tolentinum : Deinde trajiciens Apenninos montes deſcendit in Vmbriam, & primò venit Fulginium, & apud veterem amicum Venerabilem virum Ioannem Baptiſtam Vitellium diuertit, qui ſimul ſenex & diutino grauique morbo laborans jacebat; ipſum conſolatur Dominicus, verbis cœleſtibus paſcit, ejuſque patientiam miratur: Vnde recedens de illo dicere ſolebat; Dum manſi apud illum bonum ſenem, præ oculis habere me putabam pœnitentiam & ſanctitatem S. Onuphrij.

Denique die tertia quadrageſimæ Romam peruenit ſaluus & incolumis. Et quia virtus ſemper habet æmulos, qui ſanctorum facta etiam perfectiſſima ſolent in deteriorem ſenſum interpretari: Inde eſt, quòd tot mirabilia per Dominicum facta in prædicta viſitatione,& diuerſis relationibus Romæ denuntiata, multorum excitarunt inuidiam, qui calumniis ipſum deprimebant, & hypocritam in aulis Car-

Q dinalium

dinalium vocitabant, ac Summum Pontificem infenſum ipſi jactabant.

Hæc ad aures Dominici ſonuerunt, qui conſcientiæ teſtimonio ac ſimul humilitate ductus ait Confeſſori cordiali ſinceritate: Puto me toto itinere, ne vnicum quidem veniale peccatum animo deliberato commiſiſſe; opus tamen eſt, quòd tot homines cum fundamento loquantur, & juſtè me peſſimum vocant; paratus ſum injungendam pro delictis pœnitentiam implere.

Secunda die ad Apoſtolicum vadit palatium, Pontificis pedes oſculaturus, & vt credebat correctionem auditurus: ſed non iratum contra ſe, quin imò beneuolum inuenit Pontificem, à quo ſuſcipitur maiori amoris demonſtratione, quàm antea fuerat vnquam exceptus. Et inter alia dixit illi Pontifex: ſi in hoc itinere nihil aliud feciſſetis, quàm Epiſcopi Lucenſis negotium ad finem optatum perducere, grati nobis eſſent labores veſtri. Qua demonſtratione ſingularis amicitiæ confudit Pontifex æmulos Dominici, & inuidorum ora concluſit.

Cum Dominicus non poſſet cæteras congregationis prouincias perſonaliter viſitare, poſt celebratum Definitorium generale, viſitatores ſuo nomine ad vltramontanas prouincias deſtinat, ad Polonicam P. Sebaſtianum à S. Franciſco, ad Gallicam P. Ludouicum à S. Franciſco, ad Belgicã P. Hieronymum à Ieſu Maria: Et quia prouincia Romana Conuentus aliquos habebat, tam in regno Neapolitano, quàm in inſula Siciliæ, ad eorum viſitationem deſtinat P. Ferdinandum à S. Maria, ſuum in officio Generalis prædeceſſorem; ſibique vicinos eiuſdem prouinciæ Romanæ conuentus viſitandos reſeruat, & per aliquot dies ad conuentum S. Silueſtri in monte Tuſculano ſolitudinis & quietis cauſa recedit, ibique corpus V. P. Ioannis à Ieſu Maria effoſſum, ac penitùs incorruptum in loco decentiori curauit reponi.

In principio menſis Iunij deprecatoriam à Cardinali de Siena iam moribundo recipit epiſtolam, qua ſignificabat ipſi

ipſi ſe ſummopere deſiderare colloquio eius frui antequam moreretur; ſtatim ad illum Romam venit: Et quia nonnulli ſpem vitæ dabant, ipſe Dominicus Diuinam mortis ſententiam indicat, ad mortem & cœlum præparat, eique ad vltimum vſque anhelitum aſſiſtit.

Sub hoc tempus epiſtolam recipit à D. Carolo Doria Turſenſium Duce, cuius filius D. Ioannes Andræas arenis & calculo periculosè laborabat, ac vrinæ retentione opprimebatur; Reſpondens Dominicus alia diſſuadet remedia, & ſuadet vt vna tantùm vice ſumat aquam Lucenſem, certam promittens ex hac ſanitatem; obedit infirmus, & tam perfectè poſt paucos dies ſanatur, quòd nihil tale deinceps paſſus fuerit.

Redit ad montis Tuſculani ſolitudinem Dominicus, ibi mulierem à dæmone obſeſſam liberat hoc anno 1629. vocabatur Critia Pauli de Pace vxor Tuſculani, montis incola. Hæc anno 1616. Romam ad Dominicum adducta, dimittitur ab illo tali reſponſo: Habeat adhuc patientiam, nondum enim venit hora, qua debet expelli dæmon iſte. Nunc autem ſciens Dominicum eſſe in vicino S. Silueſtri conuentu, vult illuc deferri, ſic dæmon reſiſtit, vt vix octo robuſti homines illam transferre potuerint: Præſentem interrogat ſubmiſſa voce Dominicus, an velit à dæmone liberari; & reſpondenti ſe velle liberari ſecretò cauſas ſuæ poſſeſſionis manifeſtat, & ipſum excitans ad plures actus contritionis eliciendos in ſpe ſuæ libertatis omnimodæ confirmat, & ſtatim à poſſeſſione dæmonis perfectè liberat.

In eodem conuentu noſtro Tuſculano plures alios à variis curauit infirmitatibus. Cognatam Critiæ liberat à ſortilegio in die deſponſationis ipſi facto. Sororem eiuſdem Critiæ ſubitò ſanat à fluxu ſanguinis. Angelicam Ioannis Baptiſtæ filiam liberat à ſcrophula pugnum excedente ſigno crucis eam reſoluens, ac ſimul dolores conſequentes ac mẽbrorum ſtuporem omninò diſſipans. Prudentiam Bernardi Bartoli Centurionis filiam artubus corporis captam & im-

mobilem ſoluit & mobilem reddit ſigno crucis adhibito. Mattham Maximiliani coniugem à graui dolore ſtomachi & ſterilitate liberat, & alios ab aliis infirmitatibus.

Cum Romam rediiſſet Dominicus, die ſecùnda Nouembris vadit vocatus ad monaſterium Monialium S. Silueſtri in Campo Martio: Laborabat ibi ſoror Innocentia Grancia graui dolore laterum, calculi moleſtiis, aliiſque incommoditatibus; noluit monaſterium ingredi Dominicus, ſed coram ſe iubet adduci. Adducta ſic inſtantaneè conualuit, ac ſi nullam infirmitatem vnquam paſſa fuiſſet.

Hoc tempore quidam pius ſacerdos Romæ degebat, qui ſæpiùs occaſione accepta contra detractores æmulos innocentiam & ſanctitatem Dominici ſibi notam ſtrenuè defendebat: Hic quadam die Miſſam celebrando vidit Chriſtum Dominum in hoſtia, qui ſumma affabilitate factum ſibi obſequium in defenſione fidelis ſerui ſui Dominici gratiſſimum exaltat.

Aliàs deuotus quidam religioſus inſcrutabilia Dei iudicia mirabilis in ſanctis ſuis conſiderans, attonitus mirabatur cur Dominicus Carmelita Diſcalceatus ſic eſſet ab hominibus exaltatus, & P. Bartholomæus Salutius Minorita reformatus ſic eſſet ab iiſdem humiliatus: Tunc internam & diſtinctam audit vocem ſibi dicentem; Tantum æſtimat Dominicus honores, quantum Bartholomæus humiliationes. Quo documento debemus inſtrui, non præcipitandum eſſe iudicium, quando videmus aliquos diuerſis, imò nonnunquam contrariis procedere viis; vnitate namque Spiritus Diuini Sanctos dirigentis ad eundem patriæ cœleſtis terminum perducuntur.

LIBER

LIBER QVINTVS VITÆ V.P. DOMINICI A IESV MARIA IN GERMANIA TRIVMPHANTIS.

PROLOGVS.

Latere non poterat Dominicus, tanto micans ſplendore virtutis, qui non tantùm Carmelitas Diſcalceatos, ſed etiam exteros tam ſæculares quàm religioſos irradiabat; nec ſolùm præſentem Italiam, ſed etiam remotiſſimas orbis Chriſtiani regiones illuſtrabat. Beatos ſe credebant, qui eius præſentia vel colloquio potiri valebant; ſed beatiores ſe iudicabant, qui longa tam ſancti viri familiaritate frui poterant; ipſum namque velut animæ afflictæ ſolatium, diuinæ voluntatis interpretem, ac potentiſſimum apud Deum interceſſorem experiri ſolebant. Inter Principes Dominico noſtro magis affectos, fuit Ferdinandus II. Imperator: hic ab hæreticis impetitus, ac Regno Bohemiæ ſpoliatus, in remedium tantorum malorum, ſimul intercedente Duce Bauariæ, Dominicum à ſummo Pontifice Paulo V. cui chariſſimus erat, ſummis precibus obtinet. Germaniam igitur proficiſcitur, cum excercitu

citu Catholico hoſtes hæreticos aggreditur, fideles animat phalanges, infideles debellat, & gloriosè de inimicis tam Dei quàm Cæſaris triumphat, iniurias vindicatus Deiparæ virgini factas, vt præſenti libro dicetur.

CAPVT I.

Maximilianus Dux Bauariæ procurat aduentum Dominici in Germaniam.

MAximilianus Dux Bauariæ virorum pietate & doctrina illuſtrium amator, noſtrum Dominicum præ cæteris colebat: cum enim eius ſanctitatem & prodigia tam publica fama, quam exacta relatione ſui Reſidentis in curia Romana D. Ioannis Baptiſtæ Criuelli didiciſſet, humaniſſimas ad eum epiſtolas cœpit dirigere. Vnde anno Domini M. D C. XIII. vt vidimus, inuitat ipſum tam ſuo nomine, quam nomine coniugis optimæ Elizabethæ Lotharingicæ, vt in Germaniam veniat ad ſui & totius populi ſolatium.

Deinde creſcente affectu & reuerentia erga Dominicum in aliis epiſtolis ſuam exponit indigentiam. Carebat Princeps Catholicus filiis, quibus ſuos ſtatus Eccleſiæ Romanæ fideles relinqueret: Patrem quidem habebat, ſed ſimiliter filiis priuatum; vnde cum fundamento timebat, ne ſui ſtatus tam Catholici ad Fridericum Comitem Palatinum Rheni hæreditario iure deuoluerentur; ipſe namque Caluinianam hæreſim ſectabatur. Recurrit ad orationem Dominicus, inſtanter Deum pro tam iuſta petitione precatur: & ſpe ac fiducia plenus Duci reſpondet eum non eſſe fraudandnm à deſiderio ſuo.

Menſe Nouembri anni Domini 1615. propter graue negocium tunc emergens idem Dux Bauariæ curſorem direxit

rexit ad Dominicum cum reſponſione reuerſurum, qui breui iterato currit ad Dominicum cum epiſtola gratiarum actionis, in qua Dux fatebatur ſe eius interceſſione liberatum à periculoſo ſuper oculum fluxu humorum, qui iudicio medicorum naturali curſu viſum ademiſſet.

Anno Domini 1617. iterum Dux ille pius vrgentiores ad Dominicum ſcripſit epiſtolas, quibus ipſum orat vt tranſeat in Germaniam, & efficacia ad hunc tranſitum indicat motiua. Dicens ex vna parte, ipſum eſſe Præpoſitum Generalem ordinis, ac proinde non ab aliena ſuperiorum voluntate pendere; ex alia verò parte ſui muneris eſſe, conuentus aliquos exiſtentes in Germania viſitare; & vt fortiùs ac ſuauiùs moueat, nouum offert in ſua curia Monachij fundandum: vnde per ipſum ſolum ſtare concludit, quin ſibi rem gratiſſimam, & ordini Carmelitarum vtiliſſimam efficiat.

Sic Dominicum vrgebat Dux Bauariæ, totum enim mentis ſolatium, & domus ſuæ ſubſidium in eo collocabat à ſperabat ſe eius interceſſione filios habiturum, ſicut Albertum fratrem ſuum eadem interceſſione jam habuiſſe videbat. Sed reſpondet Dominicus, ſe paratum vt eius voluntati ſatisfaciat: at expectandum, donec finito Generalis officio Pontifex diſcedendi facultatem ſibi concedat; ſuam enim præſentiam in Italia magis neceſſariam ad incrementum & regimen congregationis judicabat.

Anno Domini 1619. noua ratio & grauiſſima concurrit, quæ ipſum ad Dominicum in Germaniam alliciendum vehementer mouebat, cauſa ſcilicet fidei Catholicæ. Tunc bellum inſtabat inter Ferdinandum II. Imperatorem & Comitem Palatinum Rheni, propter regnum Bohemiæ; cujus Rex nominatus fuerat ipſe Comes ex defectione Bohemorum à dicto Ferdinando Rege ipſorum legitimo, jamque nouus Rex intruſus poſſeſſione Pragenſis ciuitatis, Regni, Curiæ, & omnium penè aliarum fruebatur.

Quia igitur res fidei & cauſa Domini agebatur; ex

euentu ſiquidem hujus belli fortuna totius Imperij Romani & fidei Catholicæ in Germania pendebat; quia nouus ille Rex hæreticus, jam aliorum plurium acceſſu potentior effectus, aſpirabat ad Imperium: Inde eſt, quòd piiſſimus ille Dux particulares dimittens rationes, cauſam publicam totiuſque Imperij neceſſitatem Summo Pontifici, tam ſcriptis efficaciſſimis epiſtolis, quàm ſui Reſidentis eloquentia proponit.

Alias ſcribit litteras Cardinali Mellino noſtræ congregationis Protectori, vt negotium promoueat; alias etiam ſcribit Dominico, ne difficultatem vllam apponat, ſed potiùs omnia Summo Pontifici reddat facilia; timebat enim, ne Paulus V. ſpecialis amicus Dominici diſceſſum eius impediret, nolens eius præſentia & conſolatione priuari.

Vt autem magis hoc negotium promoueat, ac tandem perficiat, ab ipſo Imperatore Ferdinando II. litteras, non minus efficaces ad Summum Pontificem obtinet, in quibus temporis anguſtias, belli catholici contra hæreticos inſtantiam, Imperij Romani calamitates, & Eccleſiæ neceſſitatem viuis coloribus depingit, & Oratoris ſui authoritate proponit.

Vellet Pontifex Duci Bauariæ, vellet Imperatori ſatisfacere: ſed multa difficilem, ſi non impoſſibilem, Dominici diſceſſum repræſentant. Nollet Romam Dominico priuari, nollet eius conſolatione diu carere; timet ſenili eius ætati & corporis debilitati. Vnde manet dubius, vtrimque rationes ponderat, & fœlicem determinationem Deo commendat.

Dum hæc Romæ fiunt, noua ſurgit difficultas, quæ Dominici diſceſſum retardaret: Cardinalis Borgias tunc à Rege Catholico regni Neapolitani Prorex fuerat denominatus: Volebat ſecum conſilij & conſolationis cauſa Dominicum deducere; Vnde ſupplices ad Summum Pontificem circa hoc interceſſiones adhibet. De his monetur Dux Bauariæ,

uariæ,qui ſpem habens contra ſpem,cunctas vincit difficultates , Pontificem mouet , ac tandem conuincit.

CAPVT II.

Deſtinatur à Summo Pontifice Dominicus in Germaniam.

CONuictus tam Ducis Bauariæ,quàm Imperatoris rationibus Summus Pontifex , & quodammodo compulſus ob bonum commune,decreuit Dominicum in Germaniam mittere,ſi debilitas corporis & ſenectus infirma labores itineris tam longi ferre poſſent. Vnde ipſum in primis judicat conſulendum : Et ni per ipſum ſteterit,tandem mittendum eſſe vltimò concludit.

Quadam igitur die , dum ad negotia religionis pertractanda Dominicus fuiſſet admiſſus : illis facilè expeditis (nihil enim Dominico poterat negari) ad ipſum Summus Pontifex ait : Quid faciemus P. Dominice ? quia Dux Bauariæ plurimum apud nos inſtat , vt ipſum mittamus in illas partes, exponens nobis grauitatem negotij,& quàm magnum ſubſidium Eccleſiæ & fidei Catholicæ afferet veſtra præſentia in illis partibus tempore præſentis expeditionis bellicæ contra hæreticos.

Sancto feruore plenus reſpondit Dominicus : Pater ſancte videat ſua ſanctitas quid magis conuenit ; Quantùm ad me attinet , libenter quodlibet iter aggrediar ; nec quicquam formidabo , vt ipſi obediam & Domini Dei gloriam procurem.

Deinde Crucifixum , quem ad pectus appenſum geſtabat , præ manibus aſſumens ſubjunxit : Operabor in bello cum hoc Chriſto præ manibus , nec deſiſtam hortari Catholicorum exercitum, vt generosè cauſam Domini contra ſanctæ Eccleſiæ rebelles agant.

Admiratus Pontifex tale promiſſum , & tam ſublime

propoſitum in homine ſexagenario tot infirmitatibus pleno, ac ſimul ardorem eius fidei, tandem cum Cardinale Melino religionis Protectore decreuit vltimò Dominicum in Germaniam mittere, vt ſic piæ Ducis Bauariæ petitioni ſatisfaceret, præferens publicam Eccleſiæ neceſſitatem priuatæ conſolationi ſuæ.

Vbi Summi Pontificis decretum, & Dominici propoſitum in Curia Romana innotuerunt, multi Cardinales variis mediis exitum Dominici procurant impedire, nolentes ipſo priuari, cum in eius manibus ſortes ſuas ſeu conſcientiæ directionem depoſuiſſent: ſed ab efficaci voluntate Dei & abſoluta Pontificis determinatione in hac Dominici miſſione non potuerunt appellare. Vnde iam Dominicus ſe præparat itineri.

Iam ſextum congregationis noſtræ Capitulum generale celebrauerat, in quo ſucceſſorem in officio Præpoſiti Generalis habuit V. P. Matthiam à S. Franciſco, ipſe verò fuit electus primus Definitor Generalis, Anno Domini 1620. Et ſic depoſito regiminis onere liberiùs vacat expeditioni futuræ.

Voluit Pontifex aliqualiter Cardinali Borgiæ Proregi Neapolitano ſatisfacere: mittit ad illum Gaëtam Dominicum, vt diſceſſurus in Germaniam ipſi valedicat, & nomine Pontificis promittat ſe ad eum breui venturum poſt reditum è Germania.

Vt ſibi gratam eſſe Dominici miſſionem demonſtraret Dominus, vtitur illo tanquam inſtrumento ſuæ virtutis paulò priùs quàm diſcederet Roma. In monaſterio S. Silueſtri in campo Martio iam à ſex menſibus infirma iacebat ſoror Columba Tronchia: Catarrho namque brachium vnum erat impeditum, & quatuor digitis alio contractius, & manus erat firmiter conſtricta. Vocatus Dominicus illam ſigno crucis benedicit, & præcepit ne vllum adhiberet remedium; & ſtatim cœpit illa melius habere, & poſt paucos dies perfectè conualuit.

Audiens

Audiens pius Bauariæ Dux conceſſum eſſe ſibi Dominicum, tam læto gaudens nuntio litteras animi grati ſignificatiuas ſcribit Summo Pontifici, ſuo iniungit Reſidenti, vt ſuo nomine Sanctitatis ſuæ pedes oſculetur, & ſe ſuaque omnia in ſignum amoris offerat. Et de Dominici cogitans aduentu, cuncta diſponit ipſi deducendo & recipiendo neceſſaria.

Iam tempus diſcedendi inſtabat. Dominicus breui diſceſſurus Pontificem adit, tum vt ſuæ Sanctitati vale dicat tum vt inſtructionem agendorum ex eius ore ſuſcipiat. Ipſum humaniſſimè ſuſcipit Pontifex ſummæ dat ſigna beneuolentiæ, teſtatur quam ægrè fert eius abſentiam, multos ipſi conceſſit fauores, indulgentias & benedictiones S. Caroli contulit iconculis omnibus, quas ipſe Dominicus ſua manu tam in itinere, quàm in exercitu diſtribuiſſet, facultatem dedit abſoluendi ab hæreſi & Apoſtolicam benedictionem Catholicis omnibus qui pugnantes in conflictu, vel aliàs in exercitu morerentur. Iniungit ipſi, vt rediens è Germania proficiſcitur in Belgium, ſereniſſimam Infantem Iſabellam Claram Eugeniam ſuo nomine inuiſurus; & inde in Galliam Chriſtianiſſimum Regem Ludouicum XIII. ex parte ipſius alloquuturus. Ac tandem benignam impendens benedictionem dimittit, & quantociùs reditum præcipit. Anno igitur Domini MDCXX. die decima ſeptima menſis Iunij Dominicus Roma diſcedit, magnum relinquens omnibus ſui deſiderium. Socios itineris habuit P. Petrum à Matre Dei, de quo ſupra dictum eſt ſuum Confeſſarium & ſecretarium; F. Anaſtaſium à S. Franciſco Genuenſem conuerſum; & D. Ioannem Angelum Criuellum Reſidentis Bauariæ filium qui & Ducis & Patris ſui mandato magna cum reuerentia & cura Dominicum & comites religioſos in Germaniam deduxit.

CAPVT

CAPVT III.

Peruenit Dominicus in Bauariam, & ſtatim vadit ad exercitum.

LOngum foret, & Lectori tædium pareret, ſi Dominicum per ſingulas Ciuitates, per oppida ſingula deduceremus; ſi populorum vbique concurſum, ſi cunctorum applauſum deſcriberemus; ſi mira quæſierit prodigia in ſanandis infirmis, & in liberandis energumenis referremus; ſi ſingulos virtutum actus, etiam tantum heroicos præſertim patientiæ & conformitatis ad Diuinam voluntatem proponeremus: Ex his, quæ in aliis itineribus ipſi contigerunt colligere poſſumus quæ in iſto circa huiuſmodi contigerint. Vnde properantem ipſum per Italiam, multorumque Principum ditiones percurrentem abſque mora comitemur.

Tranſactis Italiæ finibus & ſuperatis Alpibus, ingreditur Dominicus Tiroli comitatum, & venit Oenipontum, vulgò Inſpruch: vbi D. Laurentium Petrancoli à Duce Bauariæ miſſum inuenit, qui patrem eius nomine ſumma cum reuerentia ſuſcipit in Bauariam deducendum.

Progreſſus inde Dominicus Monachium, vulgò Munich, Bauari Principis curiam conducitur. Et quamuis Dux & Duciſſa abeſſent non tamen honorifica priuatur receptione; imò maximo populi concurſu, & magnificis honoribus eius ingreſſus celebratur. Et quia belli imminentis vrgebat neceſſitas, vix aliquantulum ab itinere recreatus properat ad Ducem in vlterioris Bauariæ finibus degentem. Monachio diſcedens peruenit Schardinghium die vigeſima Iulij Sancto Eliæ Fundatori & Patriarchæ noſtro conſecrata, cuius zeli pro gloria Dei & Impiorum deſtructione velut hæres Dominicus, contra Hæreticos procedebat. Ibi Ducem reperit belli negotiis & expeditionibus occupatum: Vix credi poteſt, qua reuerentia, qua beneuolentia, qua mentis con-

ſolatione

ſolatione, quo ſpiritus jubilo piiſſimus ille Princeps aduentantem Dominicum tandiu deſideratum, tot dilgentiis obtentum, & tot laboribus adductum exceperit: Cum ipſum velut Angelum Dei, Diuinæ voluntatis interpretem, exercitus Catholici firmamentum, & animæ ſuæ ſolatium conſideraret.

Paucos dies in beneuolentiæ ſignificationibus & in rerum cœleſtium diſcurſibus inſumpſerunt. Quibus tranſactis de rebus incipiunt agere: Dux ipſe ſecretiora conſilii bellici decreta manifeſtat: Ipſe Dominicus Ducem animat, ad bellandum contra rebelles Hæreticos hortatur, eique non ſemel in nomine Domini victoriam promittit.

Dum collectas confœderatorum Principum auxiliatrices turmas Dux Bauariæ ad exercitum Imperialem tranſmittit ipſe Dominicus fide ac fiducia plenus, & zelo Dei tanquã alter Elias ſuccenſus, continuis precibus & ſacrificiis fœlicem belli ſucceſſum Dei, Deiparæque Virgini commendat, & milites ad exercitum properantes cœleſtibus monitis inſtruit, juſtam pugnandi pro ſede ac Principe cauſam proponit, & promiſſa recreat victoria.

Schardinghio Dux cum Dominico verſùs Rictium diſcedens, Duciſſæ conjugi dilectæ vale dicit. Hæc abſentia Principis plurimùm contriſtata, & inter metum ac ſpem anxia, ſcit enim varios eſſe euentus belli, mœrore conficitur, & in lacrymas diſſoluitur. Illam ſolatur, illam confirmat Dominicus: Tua,inquit, Celſitudo ſit bono animo, nunc conſolare; firmiſſimè tibi promitto quòd tuum Ducem ſaluum & incolumem & cum victoria Domum reducam; multæ ciuitates abſque reſiſtentia venientem excipient Ducem,& ad eius victrices manus arcium ſuarum claues deferent.

His Dominici verbis conſolata & plurimùm confirmata manet Duciſſa, nouerat enim ipſius ſanctitatem: Vnde promiſſis per ipſum tanquam in nomine Domini factis acquieſcens, ad priſtinam rediit ſerenitatem animi,& ob-

tenta

tenta ipſius benedictione Monachium reuertitur, ipſe Dux Dominici comitatu ſecurus ad exercitum properat die vigeſima octaua eiuſdem menſis Iulij.

CAPVT IV.

Benedicit Dominicus vexillum Ducis Bauariæ, cœlitus didicit exitum belli, & exercituum junctionem ſuadet.

GReskhirchiam venerat exercitus Bauarus, eamque deditione pacifica redditam receperat, ibique hærebat ipſum Ducem expectans. Vt venit Dux ipſe cum Dominico voluit die prima Auguſti vexillum generale militiæ ab eodem Dominico benedici: Sed quia locus erat Lutherana infectus hæreſi, & Eccleſia ſacrilego violata cultu, ac proinde inepta vt ibi Miſſa celebraretur: Ideò prima vice paratur extra muros altare portatile, vbi Dominicus coram Duce Bauariæ cæteriſque Ducibus ac Rectoribus ipſius exercitus magna ſolemnitate celebrauit.

Finita Miſſa, vexillum Generaliſſimi (ſic Ducem Bauariæ nominabant, quia cæteris Generalibus vtriuſque exercitus, Imperialis ſcilicet ac confœderati præſidebat) Dominico benedicendum offertur: erat magnificum, & pro hac expeditione ſola formatum. Ex vna parte figuram Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, tunc aptè repræſentatam his verbis; Terribilis vt caſtrorum acies ordinata, præferebat: Ex alia verò parte dulciſſima IESV & MARIÆ nomina, majoribus ſed paucioribus ſcripta characteribus ordinariis hoc modo exhibebat, crucibus coronata.

✠ IHS   ✠ MRA

Cum hac Scripturæ ſententia; *Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.* Agnoſcebat enim exercitus ille Catholicus IESVM eſſe Martem ſuum, & Mariam eſſe Bellonam, à quibus

quibus ſolùm victoriam expectabat : Vnde ſinguli ad exemplum Dominici Mariam ſibi conciliabant dicentes; Gaude Maria Virgo , cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo.

Benedictum hoc vexillum Dux Generaliſſimus Ephœbo militari conſignauit , & immediatè ſibi præferri juſſit , vt ſemper ſuam Protectricem Mariam haberet præ oculis cujus aſpectu curas militares lenibat , & ſpem victoriæ augebat.

Progreditur exercitus,& in Auſtriam ſuperiorem ingreſſus hæreticorum perturbationes & illius prouinciæ rebellionem extinxit , Veltzium & Lintzium , aliaſque ciuitates vicinas ſine ſanguine cepit. Ibi commoratur aliquandiu,vt turbata fraudibus hæreticorum prouincia priſtinam conſequatur tranquillitatem , & legitimo Principi ſuo pacificè ſubjecta maneat,

Aduenit dies decima quinta menſis Auguſti Beatiſſimæ Virginis Aſſumptioni dedicata:quam Dominicus miro cum feruore celebrans rapitur in ecſtaſim , in qua diutiùs perſeueranti non ſolùm victoria Pragenſis quantùm ad ſubſtantiam, vt aliàs ſucceſſerat , fuit reuelata;ſed etiam quoad circunſtantias. Priùs Romæ Diuina reuelatione futuram talem victoriam didicerat , nam de illa tanquam certa ſemper loquebatur,vt ſæpiùs audiuimus; didicit etiã,dum vexillum Ducis Bauariæ benedixit : ſed nunc Diuina luce clariori & vniuerſaliori cunctas penè circunſtantias eius didicit.

Et vt Dominicus ſub Deo & Beatiſſima Virgine Maria foret author miraculoſæ Pragenſis victoriæ , in hac eadem ecſtaſi reuelatum ei fuit,quicquid in directione exercitus ad hunc finem fieri oporteret. Vnde ex tunc ſemper ſuadebat quærendum eſſe hoſtilem exercitum , cum illo pugnandum, & agendum de ſumma rerum : Quamvis Catholici Generales, ſcilicet Comes Buquoyus & Tampierius, aliique Duces exercitus contrarium ſuaderent.

Verùm cum Imperator & Dux Bauariæ plus dictis Dominici,

minici, quàm aliorum experientiæ, quàm humanæ rationi, quàm cæterorum iudicio confidentes deferrent; ſtatim de iunctione duorum exercituum, Imperialis videlicet & confœderati ſedulò cogitatur; vt vnita virtute totius Imperij fortiùs contra hoſtes eius dimicetur. Vnde iuxta ſententiam Dominici confœderatus exercitus progrediens vlteriùs ad hoſtes Imperialem quærit vt ei vniatur.

Erat Viennæ tunc Imperator, nec multum aberat Dominicus, cum in eadem eſſet Auſtriæ Prouincia. Vnde cum idem Imperator obtinuiſſet à ſummo Pontifice quòd Dominicus ad eius ſolatium Viennam veniret poſtquam Ducis Bauariæ deuotioni ſatisfeciſſet: ipſi deuotam & humaniſſimam ſcripſit epiſtolam, qua ſe precibus eius commendabat,& ad ſe inuiſendum Viennam inuitabat. Epiſtolam Imperatoris legit Dominicus, eius deſiderium audit à Tampierio, qui fuerat ad Imperatorem à Bauaro delegatus, vt ipſum de ſtatu rerum inſtrueret:Reſpondit legato Dominicus; Dicatur Imperatori, quòd hodie proceditur vt fiat cauſa Dei & ſua,& vt ſacrilegus & falſus Rex Bohemiæ deponatur; poſt victoriam ibo ad obediendum & obſequendum ſuæ majeſtati Cæſareæ.

Diebus quindecim Lintzij confœderatus manſit exercitus, dum bellicum capitur conſilium, dum parantur exercitui neceſſaria. Nec ſolùm contemplatiuæ vitæ vacat Dominicus: Imò poſt celebrationem Miſſæ, poſt ordinariam orationem, adminiſtrat Sacramenta, confeſſiones audit, Cruces & iconculas benedictas militibus diſtribuit, Scapularia Beatiſſimæ Virginis de monte Carmelo tradit,& tanta copia, quòd Monachij multa milliaria confici debuerint authoritate Duciſſæ, quæ poſtmodum ad exercitum deferrentur. Primus Scapulare ſumit Dux ipſe Bauariæ, ſumunt eius Principes & Duces, ſumunt innumeri penè milites.

Progrediens confœderatus exercitus venerat Oberdorfium propè terminos Bohemiæ, oppidum ſemiuſtum ac omninò

omninò deſtructum; in vigilia Natiuitatis Beatiſsimæ Virginis Mariæ poſt dictum ſacrum renunciatur, qualiter ignis accenſus in caſulis ex ligno paleaque confectis magnum excitarat incendium, quod vento delatum toti minabatur exercitui, & neceſſarium fuit militibus à ſtatione longiùs recedere, vt periculum vitaretur. Accurrit Dominicus, ſumens præ manibús Crucifixum delatum impetu venti adjurat ignem; ſtatim mutatur ventus, diminuitur flamma, & ceſſat incendium.

Tot Dominicus in ſecreto cordis futuræ victoriæ teſtimonia cœlitùs recipiebat, quòd velut importunis ſuaſionibus Duces exercitus confœderati ad quærendum Imperialem exercitum, & ad debellandum hoſtem incitaret. Vnde conſilium eius ſequuti maxima qua poſſunt diligentia quærunt amicum Imperatoris exercitum, & tandem die 9. Septembris in regno Bohemiæ aſſequuntur. Videntes imperiale vexillum Duces & milites jubilo & lætitia perfunduntur: Erat ex tela ditiſſima, præferens ex vna parte deuotam Chriſti Crucifixi figuram, cum hac inſcriptione; Exurge Domine, & judica cauſam tuam: Ex altera verò parte Sanctiſſimæ Virginis Mariæ habens imaginem cum hac inſcriptione; Monſtra te eſſe Matrem. Sed major fuit lætitia Dominici; Tum ex vnione vtriuſque exercitus Catholici, ex qua diſſipandum breui ſperabat hoſtem hæreticum; Tum ex conſpectu vexilli, figuris IESV & MARIÆ conſpicui, ex quibus certam & glorioſam ſe victoriam obtenturum confidebat.

CAPVT V.

Reperit Dominicus imaginem B. V. violatam ab hæreticis, quæ poſtea victoriæ cauſa fuit.

POſt exercituum vnionem, vrget inſtantiùs Dominicus vtriuſque Duces & Generales exercitus, & maximè

Generaliſſimum Ducem Bauariæ, vt hoſtem hæreticum aggrediantur, Concione deuota ſingulos animat, fauſtumque belli ſucceſſum piis lachrymis Deo & Beatiſſimæ Virgini commendat. Et quamvis principaliùs Duces cœleſti ductu Dominici dirigerentur, humanæ tamen rationes ad ineundum ſtatim certamen ſuadebant; Tum quia ſimul exercitus diu manere non poterant, tantæ ſiquidem multitudini neceſſaria victui locus idem ſubminiſtrare non poterat, diuidi verò in terris hoſtilibus minus tutum erat; Tum quia exercitibus à Danubio remotis vix ex Auſtria & Bohemia prouideri poterat; Tum quia tunc feruentes & ad pugnam animati videbantur milites, qui ceſſante animi feruore poterant facilè diſcipari.

Volebant Duces Pragam Regni Bohemiæ curiam tendere, ſed Piſca & Pilſna vrbes ab hoſtibus cuſtoditæ vetabant acceſſum: inito belli conſilio decernitur quidem properandum, ſed tamen non eſſe inimicum poſt ſe relinquendum. Vnde Piſca obſidetur: mille quingenti milites deſperati erant in præſidio, & vix quinque dierum ſpatio capiendam vrbem tormentorum Præfectus Dominico nuntiat: Ad quem Dominicus ait; Dico vobis, quòd hæc ciuitas ante meridiem erit in noſtra poteſtate. Non credit Præfectus tam fœlicem obſidionis exitum, ſed poſt duas horas prænuntiatus euentus ipſum confirmauit.

Dum Piſcæ commoratur Dominicus, illi Comes de Marcoſſan derelictus à Medicis in lectica penè moribundus occurrit: orat pro illo Dominicus, & benedicens ait; non morieris hac vice nec iſta infirmitate, mutet vitam, & ni fecerit derelinquetur à Deo, & breui morietur: Prædictionem confirmauit exitus; tunc enim cœpit conualeſcere, & ſanus euaſit, ſed poſt ſex menſes occiditur in ſingulari certamine.

Capta ciuitate Piſca, triduo manet ibi victor exercitus: Feſtum S. Matthæi ſolemni apparatu militari celebratur, poſtridie tabernacula militum comburuntur, & quæritur

tur hoſtis. Ad aſpectum exercitus Catholici, paulatim inimici recedunt, loca quærunt fortiora, quò ſecuriùs dimicent; dicuntur tamen fugere vt miles Imperialis animetur: Perſequuntur Catholici, & in principio menſis Octobris Pilſnam vrbem fortiſſimam, & magno munitam hoſtium præſidio veniunt.

Apud Pilſnam hærebat Imperatoris exercitus, non longè diſſitus erat confœderatus coram Strakonitzio, paruo ſed pulchro palatio, in medio collium ad ripam lacus ædificato: Hoc palatium hæretici diripuerant, omnia ſacra violauerant; imagines combuſſerant, fregerant, miris modis prophanauerant: Ibi ſingula & crudelitatem belli, & ſæuitiam hæreſis demonſtrabant.

Aderat dies decima menſis Octobris, & Dominicus ſancta curioſitate ductus, aut ſpeciali potiùs motione Diuina compulſus palatium luſtrat, cumulum videt rerum direptarum; ad ſcrutandum accedit, partes videt tabellarum, quæ S. Hieronymum & S. Mariam Magdalenam indicant: Et tandem tabellam inuenit palmo cum dimidio longam, & palmo latam, ſupra Gypſum depictam, ſuis denudatam ornamentis, ſordibus & puluere maculatam.

Hanc eruit Dominicus, & reuerenter aſſumens abſtergit ſordes, puluerem excutit, & jam mundatam ab omni labe conſiderans, videt eſſe Chriſti naſcentis repræſentatiuam imaginem. In ea namque erat jacens in præſepio paruulus I E S V S; & Mater eius Sanctiſſima Virgo Maria, natum filium adorans genuflexa & junctis manibus; à dorſo Virginis ſtans apparebat S. Ioſeph Sponſus eius, & inde duo paſtores ante puerum videbantur.

Dum curioſiùs intuetur imaginem Dominicus, præter commune ſacrilegium in rerum ſanctarum pollutione, non ſine lachrymis & intimo cordis dolore, ſcelus horrendum & enormem videt impietatem: cujuſdam enim militis ſacrilega, ſcelerata & hæretica manus oculos Beatiſſimæ Virgini, Sancto Ioſeph & Paſtoribus acu-

mine pugionis effoderat, vt Angelica didicit reuelatione: neſcio quo motiuo Ieſui paruulo pepercerat, qui erga Mariam fuerat crudelis. Hoc ita voluit Dominus, vt oſtenderet ſe horrendum in ſuam Matrem Sanctiſſimam, in ſuum Patrem putatiuum, & in beatos Paſtores ſuæ natiuitatis adoratores commiſſum vidiſſe ſacrilegium, vt illud tam in perſona committentis, quàm in tota hæreticorum ſecta in memorabili victoria Pragenſi vindicaret.

Aſpectu tanti ſceleris, velut ignita ſagitta Dominicus in corde transfigitur, tantoque dolore ſpiritus ac mentis horrore perfunditur, vt in lachrymas & gemitus erupeꝛit; quibus exorabat Dominum, vt in hæreticorum confuſionem ſuam Sanctiſſimam Matrem in illa imagine exaltaret. Et ſtatim ipſa generoſum emiſit votum agendi pro illius imaginis honore & gloria quicquid ei foret poſſibile.

Vix votum emiſerat, cum noua luce perfuſus certitudinem victoriæ ſenſit accreſcere; Vnde impoſterum de illa non poterat, vel minimum dubitare. Socio & confeſſori ſuo tabellam conſignans, ſpiritu prophetico dixit: Dico tibi Pater, quòd imago iſta mirabilia magna efficiet, & à toto mundo magna cum reuerentia coletur. Deinde illam Duci Bauariæ, & principalioribus Dominis exercitus oſtendit, eoſque vehementiùs hortatur, vt factam Beatiſſimæ Virgini tam atrocem injuriam in hæreticis authoribus vindicarent: Certiſſimè promittens illis victoriam, ipſa cum Filio ſacratiſſimo mediante referendam. Deinde Venerandam imaginem illam pretioſo cooperiens velo ſecum ſemper impoſterum geſtauit.

Voluit Virgo ſanctiſſima gratiis & prodigiis deuotionem Dominici confirmare, & fiduciam euidentem reddere. Nam ipſum Dominicum protexit ab inſidiis aliquorum, qui videntes copioſas, quas Dominicus elargiebatur indigentibus eleemoſynas, incauto pecunias rapere voluerunt. Protexit & Ducem Bauariæ, qui Giditzij

degens

degens quatuor millium Hungarorum irruentium furorem mirabili ſucceſſu euaſit; nam tota nocte Dominicus coram Sanctiſſima Virgine ſuas Deo preces effuderat.

Iam aderat dies ſeptima Nouembris, & ſpe victoriæ toties ſibi promiſſæ gaudens Dominicus horam illius expectabat, & ſemper nouis precibus ac votis rem fidei catholicæ tam opportunam Domino commendabat. Voluit tandem Deus non ſolùm promiſſis, ſed etiam mirabili repræſentatione pugnam exercituum, & victoriam exercitus Catholici de hæretico gloriosè referendam confirmare, cujus inſtabat tempus; nam die ſequenti, quæ erat octaua menſis Nouembris & feſtiuitatis omnium Sanctorum, ineundus erat generalis conflictus, vt ei reuelatur.

Nocte igitur præcedente lætam hanc diem octauam, vidit Dominicus è cœlo ad terram ſterni viam Lacteæ ſimillimam: Hac Angelorum numeroſæ turmæ ſub humana forma, lucidiſſimis armis inſtructæ, & ordines ſuos ac lineas tenentes deſcendebant, & totius catholici exercitus frontem occupabant. Angelorum acies pulchræ, ſed formidabiles apparent: Dum autem Dominicus militarem apparatum cœleſtem conſiderat, videt iniri certamen, Angelos triumphare, multa rebellium hæreticorum millia perire; ipſique victoriæ ſanctorum omnium interceſſionem cooperari.

Hac ipſa nocte Dominicus verbis diſertis Ducem alloquitur dicens: Craſtina die generalis erit conflictus, & catholici glorioſam de hæreticis victoriam reportabunt: Vt autem Deo opus iſtud ſit acceptius, & Tuæ Celſitudini majoris meriti, debes ad majorem Dei gloriam, & ſanctæ fidei exaltationem ordinare. Suadet inſuper, vt cuncta matura præueniens, & quantùm ad pugnam, & quantùm ad animæ diſpoſitionem, Chriſtiani Ducis munus obeat, hortatur ad habendam in Deo ac Beatiſſima Virgine fiduciam; animat ad legitimè pro Dei gloria, pro fide catholica, &

pro majeſtate Cæſarea pugnandum; Victoriam iterum iterumque in nomine Domini promittit, & glorioſum pollicetur triumphum.

CAPVT VI.

Initur authore Dominico generalis conflictus, & miraculoſa Catholici fruuntur victoria.

OPtata diuque expectata dies octaua menſis Nouembris aduenerat in eodem anno Domini 1620. Cum ſummo mane ſub auſpiciis Diuinis quæritur hoſtis, peruenitur ad pagum, vltra quem poſteriores rebellium turmæ progrediebantur: Viſæ à Tillio recedunt, & Dux Bauariæ catholicum exercitum ad vlteriorem dirigi planitiem imperat, ibique hoſtem ad certamen prouocari.

Comes à Turre & Princeps Anhaltinus Generales hoſtilis exercitus alteram eligunt planitiem montis Albi dictam, ob eminentiam & album colorem lapidum qui ibidem eruuntur: Eſt planities váſtiſſima, & in eundo magnorum exercituum conflictui commoda. Pragam habet à ſeptentrione, à tribus aliis partibus in præceps declinans ab ortu reſpicit fluuium, ab occaſu verò Regium hortum Stellæ à ſua denominatum figura; à meridie difficilis aſcenſus exercitui catholico patebat. In hac montis albi planitie ſiſtebat hæreticorum exercitus, ibique tanquam in opportuno loco temerè aſcenſurum catholicorum exercitum expectabat, qui ſubjectam interim vallem mundat fluuij pontem occupaturus; liberum illum inuenit, pertranſit, & ad hoſtes accedit: Deſiderium fortè pugnandi in prædicta montis albi planitie Duces exercitus hæretici ſuaſerat Pontem non munire, nec deſtruere.

Vt prudenter ad conflictum procederetur, Comes Buquoyus futuram exercitus ordinationem in charta delineauerat, acies ſingulas diſtribuerat, & tam aptè, vt omnes

alij

alij diſpoſitionem laudarent. Cumque hoſtilis exercitus ad montem receſſiſſe, ibique tanquam in loco ſibi commodo videretur conſiſtere; neceſſarium iudicatur vicinum occupare montem quingentis paſſibus diſſitum, vt inde milites catholici in omni euentu protegi poſſent.

Dum aliqui vident hoſtes in loco magis commodo valliſque munito conſiſtere, timentes inæquali marte pugnare; Tum quia catholici iam defatigati, ad hoſtium valla deberent aſcendere; Tum quia pauciores numero plures inuadebant; Tum quia fame laborantes omnibus neceſſariis munitos aggrediebantur (nam vt à noſtro Dominico audiui, ipſe Tillius inter præcipuos exercitus catholici Duces videns in Patris manu pomum, arripuit dicens ſe fame perire.) Tum quia in terra catholicis inimica, contrariis amica pugnandum erat. Ideò temerarium, imò fatale catholicis aſſerunt tunc pugnare, cum de Regno Bohemiæ & Imperio Romano decidendum ſit negotium; & conſultius fieri, ſi melior occaſio pugnæ expectetur, & relicto in vallis exercitu hoſtili versùs Pragam accedat catholicus: Prudentiæ militari ſtandum eſſe. Hæc & ſimilia proponebantur, quæ militum audaciam & alacritatem remittebant.

Hæc audiens in conſilio Dominicus, extraordinario ſpiritus feruore plenus, & zelo gloriæ commotus, ac honoris Beatiſſimæ Virginis reparandi motiuo ductus, nec non & catholicæ fidei tuendæ cauſa feruidus, ſtans à latere Ducis Bauariæ crucifixum habens præ manibus in ſummitate ſui baculi alligatum, & prædictam Sanctiſſimæ Virginis imaginem à collo ad pectus appenſam gerens, ad pugnam totum illud conſilium animat dicens: Ah filij Eccleſiæ eſt ne hoc tempus dubitandi? nunc quando Dominicus ſuos hoſtes & veſtros in manibus vobis dedit, non debemus illos aggredi, dum vincere nobis eſt ita ſecurum? ô fœlix pugna, in qua Deus eſt cauſa! Hæc eſt cauſa Domini, ad illam generosè procedamus; ipſe dabit vobis victoriam. Veniunt hoſtes in ſua fidentes ſuperbia, ſed nos in Domi-

no : Videte hic, quid Matri Dei fecerint (oſtendit tunc Beatam , imaginem , cui impiè oculos effoderant hæretici) ; & certi ſitis quòd ipſa vos proteget , & Deus honorem Matris ſuæ tuebitur : Confidite in Domino , & libenter ad pugnam properate ; Chriſtus pro vobis pugnabit, & citò dabit victoriam.

His auditis non ſolùm Tillius & Motta , cæterique Duces qui Dominico ſemper aſſenſerant ; ſed etiam Comes Buquoyus aliique contrariæ ſententiæ feruorem Dominici pluſquam humanum videntes , ipſius verba ſuſcipiunt vt oracula : Et quamvis omnia periculis & difficultatibus plena dicant, vnanimiter tamen concluditur pugnandum eſſe, & Diuinis potiùs promiſſis quàm prudentiæ militari fidendum.

Non amplius protrahitur conſilium , proceditur ad pugnam , maximè quia explodantur in Imperiales hoſtium tormenta, nomen Auguſtum Sanctæ Mariæ pro teſſera militari cohortibus indicitur. Tunc ſinguli Duces, cæterique exercitus miniſtri Chriſtum & imaginem Beatiſſimæ Virginis in manibus Dominici reuerenter oſculantur , & ad pugnam properant , quam majora duodecim tormenta ſingulorum nominibus Apoſtolorum inſignita cœperunt,magno Catholicorum bono, & maximo Hæreticorum damno inceſſanter exploſa.

Dum conflictus incipit , Dominicus vt alter Moyſes in oratione collectus oculos & manus in cœlum eleuat, fuſiſque lachrymis Deum exorat , vt cauſæ ſuæ Matris glorioſæ faueat , & pugnantes in ſuo nomine defendat. Omnes alij ſuo muneri ſatisfacientes, inter globos tormentorum, catapultarum globulos , & inter haſtas & enſes generosè decertant.

Voluit Dominus tentare Dominicum , & eius fiduciam experiri : permittit enim,quòd ſuperuenientes Hungari cohortes aliquas equitum Catholicorum frangerent , & victoriam inclamarent. Audit Dominicus clamorem confuſum ,

ſum,nec terretur : Accedunt aliqui qui fugam & ruinam catholicorum nuntient, ſed non mouetur : Ad ipſum tandem Dux Bauariæ commotus omninò accurrit dicens ; Fugiunt noſtri, & hoſtis victoriam clámat. Pater armatus fide Ducem corroborat & ſolatur ; ne deſpondeat animo, ſed in Deo confidat hortatur,qui promiſſa ſua infallibiliter eſſet completurus.

Petit Dominicus equum, & illum conſcendens, & Ducem ſecum habens, ac geſtans in manibus Crucifixum, & in pectore pendentem Sanctiſſimæ Virginis imaginem, per exercitum diſcurrit, & alta voce clamat;Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine, Exurge Domine, judica cauſam tuam & Matris tuæ. Milites animat, Duces exercitus de futura breui victoria certificat, & ſua præſentia ſolatur omnes, imò plurimùm recreat.

Duces exercitus ſuos milites fugitiuos ad pugnam verbis, minis & vi reducunt : Ipſe Tillius generoſus & prudens Colonellum Gratzium cum quinque cohortibus equitum in hæreticorum equitatum dirigit,qui medium magno conatu penetrans partim deſtruit, partim diſſipat. Fugiunt ſtatim equites Hungari, qui paulò ante victoriam clamabant : Vulneratur, & tandem capitur Princeps Analtinus junior à Guillelmo Verdugo : Carolus Spinellus Reductam cum duobus tormentis bellicis intercipit, quæ in hoſtilem exercitum explodens maximam adjacentium turmarum ſtragem cauſat ; & inde jam ſecurus progreditur vlteriùs, Preinotum ab Anhaltino captum cum tribus vexillis recuperat. Tandem funduntur hoſtes,diſſipantur, pereunt: & glorioſa victoria ceſſit Catholicis.

Vix generalis conflictus tribus horis perdurat : Prima dimidia æquo Marte pugnatum eſt, ſecunda dimidia Catholicis periculoſo vel aduerſo Marte,deinceps autem proſpero Marte ; vel potiùs, vt Chriſtianis verbis loquamur, Deo propitio & Deipara ſecundante : Quibus principaliter, Dominico autem tanquam Dei miniſtro, & virtutis ipſius

 inſtru

inſtrumento miraculoſa debetur victoria; vt Imperator tradens ipſi capta hoſtium vexilla, Dux Bauariæ deſcriptum quatuor magnis tabellis & accuratè repræſentatum mittens Romam conflictum, cæteri Duces exercitus; imò & Summus Pontifex glorioſum Beatæ Mariæ de victoria triumphum celebrans, ipſique hoſtes quamvis malignis verbis teſtati ſunt.

Cum Dominicus generoſo vectus equo, & Crucifixo tanquam enſe, ac imagine Beatiſſimæ Virginis tanquam lorica munitus in hoſtes irrueret, vidit ipſe ſæpiùs, viderunt & alij tam à Christo quàm ab imagine radios exeuntes, aut potiùs flammarum globos erumpentes aduersùs hæreticos: Et certè in inſtanti digitus Dei apparuit in tanto inimicorum terrore.

Ante conflictum dicebatur Pragæ, quòd Dux Bauariæ cum non poſſet viribus, arte magica vincere volebat. Et ideò Magum inſignem Hiſpanum (hoc vocabatur nomine Dominicus) obtinuerat à Pontifice: Poſt conflictum autem ab hæreticis dicebatur, quòd eſſet magna Venefici illius potentia, quæ tam numeroſum exercitum tam facilè diſſipaſſet. Et ipſe Princeps Anhaltinus ſenior Generalis exercitus, nomine Chriſtianus, perdita fugiens victoria, & Comitem Palatinum in arce Pragenſi jam de nuntio tam triſti mœſtum ac flebilem inueniens, ait; Fugiamus, Rex, noſter exercitus diſſipatus eſt, nos magus ille faſcinauit.

Victus igitur & deſtructus fuit totus rebellium exercitus, in quo Germaniæ totius hæretici confidebant. Fuſa dicuntur centum millia militum, interempta ſeptem millia, & duo millia capta. Principaliores captiuorum fuerunt, Dux Chriſtianus è Saxonum Vimmarienſi familia, Princeps Anhaltinus junior, Rhingrauius Schiokius. Capta ſimul fuerunt tormenta bellica majora decem, minora verò plurima. Tanta fuit armorum omnis generis copia in vaſto conflictus campo reperta, vel à fugientibus projecta, vel à

mortuis

mortuis relicta, quòd partim ſolummodo fuerit collecta, partim neglecta.

Comes ipſe Palatinus cum vxore ac filiis ſub hominis priuati habitu, Generalis Anhaltini conſilio prolapſus, in vicinam fugit Sileſiam. Per pontem tranſire, vel potiùs currere cogitur, quà ſe nunquam fore tranſituram vxor eius & ipſe impiè jurauerant, quandiu ibi Crux ingentis magnitudinis erecta perſiſteret, in qua Pendentem Chriſtum Balneatorem aliiſque titulis injurioſis nominabant: Quam tamen deſtruere noluerunt hæretici, ne pontem tali priuarent ornatu; Cum tamen alias imagines cæteraque ſacra prophanaſſent. Fugitiuus hac illuc diuagatur Palatinus, ſuis ſtatibus Electoris officio tanquam rebellis denudatur; &ſic miſer perſeuerat,donec in vltima pace totius Germaniæ reſtituitur in filio,cum jam ipſe profugus & exul mortuus eſſet. Cæteri de conflictu fugientes vel gladio necantur, vel in Moldauia fluuio ſuffocantur aquis, vel aliis modis miſerrimè pereunt.

Vrgebant Milites Sereniſſimum Ducem Bauariæ triumphantem inducere Pragam. Ipſe victoriam non ſibi, ſed Deo ac Beatiſſimæ Virgini deferens, ordinario procedens apparatu ad Capucinorum Eccleſiam venit, vbi tunc præ temporis anguſtia deuotè *Te Deum laudamus* cantatur, & mediocris illa ſolemnitas exploſione tam tormentorum bellicorum,quàm militum Imperatori Ducique Bauariæ fauſta acclamantium celebratur. Dominicus ipſe deuotà concione cooperatur feſtiuitati: Tunc Dominicarum ordine cantandum occurrit Euangelium, præſenti victoriæ celebritati congruum, in quo dixit Chriſtus Phariſæis; *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.*

Deinde diſpoſitis quæ videbantur ad Ciuitatis Pragenſis, totiuſque regni Bohemiæ conſeruationi neceſſaria; & paratis omnibus ad majorem victoriæ celebritatem, die decima quinta Nouembris, quæ fuit Victoriæ ipſius octaua, in Arcis ſacello *Te Deum laudamus* iterum inſtrumento-

rum

rum muſicorum apparatu, & feſtiua tormentorum exploſione ſolemniſſimè decantatur. Poſtmodum adueniente ciuitatis Archiepiſcopo D. Ioanne Schelio, cum clero & religioſis ordinibus expulſis, purificantur Eccleſiæ, & Catholica fides ad priſtinum ſtatum reparatur. In loco victoriæ ædificatum fuit exiguum ſacellum ad perpetuam eius memoriam, & Pragæ quotannis ad gratiarum actionem ſolemnis proceſſio celebratur.

CAPVT VII.

Poſt victoriam Pragenſem redit cum Duce Dominicus in Bauariam.

ANtequam Dux Bauariæ regnum Bohemiæ de nouo ſubjugatum deſerat, de eius ſecuritate firmiter ſtabilienda, & de bono regimine introducendo cogitat. Ad hunc finem totius Regni Proregem ſiue Gubernatorem conſtituit Principem à Lichtenſtain, virum magnæ authoritatis & prudentiæ: Et ad continendos in obedientia populos vi ſubditos, Tillium ibidem cum ſufficiente relinquit milite.

Dum hæc in arte politica Dux Bauariæ diſponit ſuorum vſus conſilio: Dominicus in myſtica Theologia doctus ex præcedenti victoria, multas de rebus tam Diuinis, quàm humanis concluſiones deducit, quas ordine ſuo contemplatur. Aliquando Summam Dei potentiam conſiderat, qui per hanc victoriam depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Aliquando rigoroſam ipſiuſmet Dei juſtitiam ſcrutatur, qui rebellem & ſibi & Imperatori Comitem Palatinum tam juſta puniuit victoria. Aliquando Dei ſapientiam & prouidentiam in Eccleſiæ mirabili protectione videt, qui perſecutionibus eam opprimi nonnunquam permittit; ſed ſuccurrens ſuo tempore fidelibus ſuis, perſecutores ipſos perſequitur & deſtruit. Aliquando tandem ſupremum Dei

Dominium,

Dominium, ſupra res creatas & hominum voluntates intuetur, qui cum ſaluare voluerit, non eſt qui voluntati eius efficaci reſiſtat;fidelis eſt enim Deus in ſuis promiſſis.

Expeditione completa Dux Bauariæ cum exercitu redit in patriam. Voluiſſent vniuerſæ ciuitates redeuntem cum victoria ſuum Ducem triumphalibus erectis arcubus excipere: ſed eius humilitas & eius modeſtia tam juſtos recuſant honores;quos ſoli Deo Deiparæque Virgini, tanquam authoribus victoriæ referendos dicit:non poteſt tamen populorum fauſta acclamantium, & de parta tam illuſtri victoria congratulantium concurſus vitare.

Monachium veniens cum Dominico, primùm ad majorem contendit Eccleſiam,de fœlici ac victorioſo reditu Deo gratias acturus. Deinde vadit ad arcem,vbi Duciſſam conjugem ſibi congratulantem inuenit: Audit lætabundus ipſam Dominico gratias agentem, quòd tam fidelis in ſuis fuerit promiſſis, qui Ducem non ſolùm ſaluum & incolumen, ſed etiam victoriam reduxerit.

Dum hæret Monachij Dominicus, cogitat de reditu in Italiam, juxta Summi Pontificis & ſuperiorum Religionis mandata: jam enim perfecerat negotium, ad cujus expeditionem in Germaniam miſſus fuerat. Sed repentino grauique morbo P. Petri à Matre Dei ſocij & confeſſoris ſui detinendus judicatur. Morbum dictus Pater ex tot belli laboribus contraxerat: ſicut ob eoſdem labores ipſe Dominicus vnius oculi viſum amiſerat, abſque vlla tamen exteriori apparentia; Vnde cum aſſueto lepore ſolebat dicere, ſe vnum in Pragenſi conflictu oculum amiſiſſe.

Quid faciet Dominicus? ad obediendum præceptis ſuperiorum promptus, & aliàs nolens ſocium relinquere, cujus directioni conſcientiam ſuam commiſerat. Vrgebat morbus infirmum, & læthalis judicatur à Medicis, qui ei tanquam moribundo viaticum adduci procurauerant. Ipſum quodam mane in hac infirmitatis extremitate conſtitutum viſitat Dominicus, & inſolita cum lætitia dicit;

Accipies

Accipies cum deuotione id quod tibi dabo? ſe accepturum reſpondet infirmus: Tunc ipſe præcipiens rubeum afferri vinum, & fruſtis miſcens panis, hoc infirma tradit edendum: & ad ſuum recedens cubiculum dixit occurrenti Duci lætus, & de fauſto ſucceſſu futuro ſecurus; Dedi ſocio venenum quo moriatur, alludens ad verba Medicorum, qui vinum infirmo quaſi venenum mortiferum prohibuerant. Poſt eſum cœpit infirmus ſubitò conualeſcere, & mane ſequenti perfectè ſanus euaſit: Quem ſucceſſum vt miraculoſum Medici publicarunt.

Quia Dominicus, vt dictum eſt, Beatiſſimæ Virgini Deiparæ promiſerat, ſe violatam ab hæreticis eius imaginem, & jam tunc miraculoſum ex parta victoria, culturum omni honore poſſibili, de ipſius ornatu cogitare cœpit. Et ipſe Dux Bauariæ; Tum vt ſe Beatiſſimæ Virgini de beneficio victoriæ gratum exhiberet; Tum vt pio Dominici, quem ita venerabatur & amabat, deſiderio ſatisfaceret, ipſi cuſtodiam ex ebano & argento pretioſam, variiſque modis decoratam, artificio mirabili ſculpturæ ac cælaturæ juſſit efformari.

Nouæ Roma veniunt epiſtolæ, quibus jubet Summus Pontifex, & Cardinalis Mellinus, vt Dominicus ſe quantocius expediat, & Romam redeat: Priùs tamen viſitet Imperatorem, Principiſſam Flandriæ, Regem & Reginam Galliæ; ac ſimul quædam difficilia apud Ducem Lotharingiæ negotia exequatur. Propterea quamvis media ſæuiret hyems, iter ſtatim aggreditur, incommoda cuncta deſpiciens, vt obediat vſque ad mortem.

***

CAPVT

CAPVT VIII.

Vadit in Auſtriam Dominicus, Imperatorem viſitaturus.

SVmmopere deſiderabat Imperator Dominicum videre, & quem priùs vt ſanctum venerari præſentem optauerat, nunc & vt talem venerari, & vt eximium benefactorem & amicum amplecti optabat. De Summi Pontificis facultate Dominicus tam pium Monarcham viſitat, duplici titulo: Primo quidem, vt ipſum aduersùs rebelles hæreticos ampliùs animet, quò jam ſub actis & præcedenti victoria fractis legem imponat, & ſic catholicam fidem in Germania valde diminutam reſtauret ac promoueat: Secundo autem, vt miraculoſam Beatiſſimæ Virginis imaginem in Curiâ Imperiali glorioſam redderet.

Tendit in Auſtriam Dominicus, & Viennam ad Imperialem Curiam properat. Accedenti Principes multi occurrunt, vbique populus acclamat, & humaniſſimè recepto multam amicitiæ ſignificationem Imperator ipſe, Imperatrix, totaque celebris curia reuerenter exhibent.

Vult Imperator Dominici præſentia & familiari conuerſatione frui: Propterea illum in ſuo palatio penes ſe retinet, commoda parat cubicula, ſinguliſque noctibus tam honorificum & dilectum hoſpitem inuiſit, vt ſic à cæteris liber negotiis temporalibus, cum ipſo de cœleſtibus agat, & intima delectatione fruatur, & ſecretiores conſcientiæ ſuæ cogitationes ac ſinus omnes animæ manifeſtet.

Nec tantùm de internis animæ negotiis cum Dominico confert Imperator: ſed etiam plurimùm in eo confidens, & mirabilem eius prudentiam experientia quotidiana percipiens, de ſecretioribus ac difficilioribus ſtatus rationibus conſulit, ad ipſum ſæpiſſimè conſilium vocans; & maximè

dum

dum de negotiis ad religionem attinentibus agebatur. Quæ dicebat Dominicus, tanquam verba vitæ æternæ ac cœlorum oracula ſuſcipiebat Imperator, & maximam ex dictis eius lucem & vigorem circa agenda concipiebat. Vnde principaliter Dominici ſuaſionibus debetur, quòd dignitatem Electoris ablatam Comiti Palatino rebelli hæretico conceſſerit Duci Bauariæ fideli Catholico.

Tantam è Dominici conuerſatione ſuauitatem percipiebat, & tantam ſpiritus conſolationem, vt eius participes fieri voluerit & Carolum fratrem & filios: ille erat abſens curis epiſcopatus plurimùm occupatus, iſti erant Græcij ad ſecuritatem, propter dictam generalem hæreticorum rebellionem ac belli varios euentus; ille vocatur ad Curiam, ad iſtos rogatur ire Dominicus. Sed quia tempus diſceſſui præfixum vrgebat, cum non poſſet ſua præſentia, ſuis conſolatur & viſitat epiſtolis: Veniens autem Princeps Carolus confeſſionem peccatorum generalem Dominico facit.

Imperator, Imperatrix, Principes, totaque Imperialis Curia victricem Beatiſſimæ Virginis imaginem videre ac venerari deſiderant. Nec in ea exhibenda difficilis eſt Dominicus, qui cultum ac honorem eius omni modo poſſibili procurabat. Et vt Imperator ipſe cauſam victoriæ Pragenſis (ex qua corona Imperij pendebat) Mariam in hac imagine miraculoſa pugnantem, vincentem ac triumphantem declararet, eidem cœli terræque Imperatrici coronam Imperialem ditiſſimam, gemmis & lapillis ornatam ſupplicibus votis obtulit, vt in eius Eccleſia Romæ ſeruaretur. Obtulit etiam in perpetua anathemata titulo gratitudinis, viginti quinque majora vexilla, plurimaque minora, Clauem auream Camerarum Comitis Palatini, timpana, lanceas, cæteraque hujuſmodi militaris apparatus, quæ Romam delata ad trophæum ſacratiſſimæ Virginis de victoria in noſtra Eccleſia continuò pendent expanſa. Eidemque Princeps Carolus pretioſa dedicauit reliquiaria.

Dominicus ſacri Scapularis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de

de Monte Carmelo deuotionem Viennæ promouit. Hunc ſpecialis protectionis habitum Imperatori, Imperatrici, Archiduci Carolo, Principi de Eggenberg Aulæ Cæſareæ Præfecto primoque Imperij miniſtro, & pluribus aliis nobilibus tradidit, & extraordinarias conceſſit indulgentias: Vnde totam Imperatoris Curiam confraternitati Beatiſſimæ Virginis Mariæ aſcripſit.

Sub hoc tempus Nuntius Viennam appulit, qui Summum Pontificem Paulum V. ad meliorem vitam tranſiiſſe refert. Quo Dominicus plurimùm affligitur: hunc enim Summum Pontificem conſiderabat Eccleſiæ Catholicæ generaliter vtiliſſimum, Noſtræ Carmelitarum Diſcalceatorum congregationi valde beneuolum, ſibique dilectiſſimum.

Imperator amans Dominicum, in ipſo amat Carmelitas Diſcalceatos: Vnde illi & ipſis, tum amoris præcipui motiuo, tum gratitudinis erga benefactorem Dominicum titulo duos obtulit Conuentus, vnum Viennæ, alterum Pragæ. Primus in vlteriori Vienna à fundamentis erectus ſequenti menſe Octobri die S. M. N. Thereſiæ, Cantata prima Miſſa dedicatus eſt, & anno Domini 1623. fuit omninò perfectus. Secundus autem ad nouum hæreticorum Templum, magnis Bohemorum ſumptibus conſtructus fuit ædificatus, cui Templum ipſum pro magnifica Eccleſia deſeruit.

CAPVT IX.

Proficiſcitur in Lotharingiam Dominicus, vbi mira operatur.

GRauiſſimum in Curia Lotharingiæ negotium aderat, ex cujus expeditione fœlici proſperitas illius ſtatus, ex infœlici verò infallibilis eius ruina ſperabatur. Ad

hujus fœlicem expeditionem à Summo Pontifice legatur Dominicus, cum jam alij perperam laboraſſent: ſed quæ ſunt aliis impoſſibilia, ſunt poſſibilia Spiritui Dei, qui loquitur & operatur in Dominico. Hujus igitur negotij grauiſſimi ſtatim referendi occaſione, proficiſcitur in Lotharingiam Dominicus.

Et quia recto itinere per ciuitatem Argentinam erat tranſiturus, ipſum rogat Imperator, vt ſuo etiam nomine viſitet & ſalutet Archiducem Leopoldum; ſedulò commiſſiones Imperatoris excipit, non ſolùm vt magni Monarchæ, verùm etiam vt amici fideliſſimi.

Profectus Vienna Dominicus, non ſine lachrymis & ſuis & Imperatoris, redit Monachium; Hac enim recta via proficiſcens in Lotharingiam tranſiturus erat: Aſſueto Ducum fauore & reuerentia ſuſcipitur. In die Annuntiationis Beatiſſimæ Virginis anno Domini 1621. dum in Capella Ducali Veſperis aſſiſtit, ſtatuam paruuli Ieſu, miro perfectam artificio, tanquam donum pretioſiſſimum recipit. Dum in illo corpuſculo infinitam Dei majeſtatem contemplatur, ſubitò rapitur in ecſtaſim: ſenſibus quidem priuatus manet; ſed tamen apertis & fixis in cœlum oculis, ac ita lucidis & ſplendidis, quòd ſimul timorem & deuotionem cauſarent; tamque fortiter ambabus manibus paruulum Ieſum tenet aſtrictum, quòd penitùs impoſſibile fuerit illum eripere. Cumque per horæ ſpatium ecſtaſis perduraſſet, P. Petrus à Matre Dei ſocius ipſius, timens ne prolixior ecſtaſis ipſi noceret, authoritate ſibi tanquam eius confeſſori data præcipit vt ad ſe redeat; qui rediens copiam ſanguinis ex ore projicit, & præ debilitate defertur ad lectum, vbi diu ac ſæpiùs hæc Sacroſancta Euangeliſtæ verba repetit; *Verbum caro factum eſt.* Multa alia dona Beatiſſimæ Virgini (quam de Victoria deinceps nominabimus) à Ducibus Bauariæ facta recepit, & Romam cum eius imagine miraculoſa detulit.

Monachio diſcedit Dominicus, vt iter proſequitur, quem

lachrymis

lachrymis & votis Duces Bauariæ comitantur. Audit Archiducem Leopoldum eſſe Mollſhemij, vulgo Molphtan, quod eſt oppidum Alſatiæ; precibus eius inuitatus, & à quodam Colonello ductus illuc vadit, vt Archiducem viſitet.

Germaniam relinquens Dominicus ingreditur Lotharingiam, & peruenit Nanceium Ducis Curiam. Illum Dux Henricus diu deſiderauerat, & à Paulo V. Summo Pontifice iteratis petierat epiſtolis: Nunc venientem vt Angelum Dei ſuſcipit, ſimiliter nobiles & ciues velut ſanctum venerantur; Milites namque Lotharingi, qui de victoria Pragenſi redierant, ſummam eius authoritatem apud Imperatorem, Ducem Bauariæ, cæteroſque Germaniæ Principes;& maximam opinionem ſanctitatis cum geſtis mirabilibus in patria retulerant: Vnde ad ipſum innumeri concurrebant populi, vt eius viſione ac benedictione fruerentur. Libenter Dominicus ad noſtrum diuertiſſet conuentum, ſed velut coactum Dux in ſuo retinet Palatio, quò frequentiùs & præſentia & colloquio frui poſſit: Tandem conſenſit Dominicus Duci complacere, vt ſic faciliùs cum illo beneuolo negotium, ad quod fuerat à Pontifice miſſus, expediret.

Henricus Dux Lotharingiæ duas tantùm habebat filias, nullum filium: Franciſcus Princeps Vademontanus frater Ducis duos habebat filios, & vnam filiam. Totius curiæ deſiderium, totiuſque populi votum erat, vt Carolo Principis primogenito Nicolæa Ducis primogenita jungeretur matrimonio. Dux ipſe ad ſuæ familiæ conſeruationem id optabat: ſed funeſto caſu pax inter fratres turbatur, & maximum Lotharingiæ paratur infortunium. Dux penes ſe dilectiſſimum habebat juuenem, nomine Ioannem Guiſium, ex familia Guiſia, ac proinde ex ſtirpe Lotharinga oriundum, qui miris naturæ dotibus multis erat charus, ipſique Duci chariſſimus. Sic Ducis voluntatem poſſidet, vt cunctis aliis præferatur, diuitiis cumuletur, Comes creetur,

& ad cumulum humanæ fœlicitatis ab ipſo Duce deſtinetur maritus neptis ſuæ Principis Vadamontani.

Miſit Dux ad fratrem vnum ex nobilioribus, qui ſuo nomine filiam ipſius prædicto Ioanni Guiſio Comiti Bullæo deſponſandam petat: Princeps hoc ſibi reputans injurioſum, repellit, vel etiam vt dicitur, occidit Legatum: Reſciuit Dux repulſam ſibi factam, vel etiam commiſſum in perſona legati ſui homicidium; iraſcitur & fremens dicit; Eſto non habeat neptem meam Comes Bullæus, habebit primogenitam meam & Ducatus hæredem.

Hoc in fratrem furore Dux commotus Comitem Bullæum vehementius diligit, ex tunc velut generem & ſucceſſorem in Ducatu conſiderat: Authenticam de tradenda ipſi filia ſcripturam, proprio nomine & ſigillo munitam facit; & ne poſſit per violentiam expelli, meditatur illum Hiſpani Regis authoritate & potentia firmare: Propterea tria equitum millia, & quingentos pedites conſcribit, quibus præficit Bullæum, in Flandriam mittit, vt in bello adjuuet Hiſpanos, ab ipſis ſuo tempore adjuuandus, ſi armis ipſorum indigeat.

Princeps Vademontanus Ducis frater ad Regem Galliæ confugit, azilum in hac perturbatione quæſitutus. Chriſtina Ducis & Principis ſoror, tunc magna Hetruriæ Duciſſa, vt fratrum iras ſedet, & malis imminentibus Lotharingiæ ſuccurrat, Summum Pontificem, Imperatorem, Reges Galliæ & Hiſpaniæ, Belgij Principes, alioſque quos profuturos ſperabat, iteratis ſollicitabat epiſtolis. Et quia potentiſſimum credebat Dominicum; ipſum rogat, vt hujus cauſa negotij proficiſcatur in Lotharingiam; Rogat Pontificem, vt ſuo nomine Dominicum mittat, quem Dux ipſe ſolatij cauſa jam petierat.

Summus igitur Pontifex Paulus V. & poſtmodum ipſo mortuo Gregorius XV. expedito breui perhonorifico Dominicum in Lotharingiam legat, motus epiſtolis tam ipſius Ducis, quàm fratris eius ac ſororis: ſcribit Duci ſe Domi-

nicum

nicum mittere, vt verbis ſuis illum alloqueretur, & de negotiis grauiſſimis tractaret, adeóque deſiderare, vt adhibeatur illi plena fides, & ſi fieri poſſit, aſſenſus. Præcipuum autem negotium erat, ipſum Ducem fratri reconciliare, & filiam Ducis filio fratris matrimonio conjungere.

Dominicus à Duce receptus prima die de rebus Diuinis, ac aliis acceſſoriis cum ipſo humaniter diſſerit. Secunda die Pontificum breuia producit, commiſſionem ſibi datam exponit. Dux in principio commouetur, de factis à fratre ſibi injuriis conqueritur, dicit ſe in domus ſuæ regimine conſiliis aliorum non indigere, & ſimilia quæ cuicumque alteri os occluſiſſent: ſed ita rem vrget Dominicus, pericula & infortunia certiſſimè ſubſequutura prædicens, & cauſam ipſorum ab eius pendere voluntate, quem proinde Diuino judicio puniendum affirmabat; quòd Dux conuictus & territus Dominico manus dederit, dummodo fidelitas Bullæo data, & authoritas ſua erga fratrem maneat illæſa.

Voluntatem Ducis intelligens Dominicus, duas alias voluntates flectendas aggreditur; Principis ſcilicet Vademontani, vt filiam ſuam Comiti Bullæo juxta Ducis inclinationem tradat, & ipſius Comitis Bullæi, vt à promiſſo primogenitæ Ducis matrimonio, & conſequenter à prætenſione Ducatus deſiſtat. Primam flectit voluntatem & ſcriptis epiſtolis, & negotiatione D. Epiſcopi Virodunenſis ex familia Ducis oriundi; ſecundam verò ipſe efficacibus flectit rationibus. Vnde cuncta diſpoſitioni Dominici ſubmittuntur.

Rediens igitur Pariſiis Princeps Vademontanus fratri ſuo Duci reconciliatur, filiam ſuam Comiti Bullæo, qui tunc Princeps Falſburgenſis creatur, juxta voluntatem Ducis tradit in matrimonium; & ſuæ domui Ducatum Lotharingiæ tandem aſſeruit, concluſo inter filium ſuum Carolum & Nicolæam Ducis primogenitam & hæredem Matrimonio.

trimonio. Fœlicem hanc Dominici negotiationem omnes collaudant Principes, & multi Dominico gratias agunt, præſertim Dux Bauariæ & magna Duciſſa Hetruriæ, dicentes in ea maximum eſſe Dominici prodigium.

CAPVT X.

Dominicus ſuis animat epiſtolis Regem Galliæ Chriſtianiſſimum, vt pugnet contra rebelles hæreticos.

DVm in expeditione prædicti negotij tempus protrahitur, & Dominicus hærere Nanceij cogitur, de majori gloria Dei ſemper cogitans, augmentum fidei Catholicæ & dictis & factis, abſens & præſens vbique procurat. Audiuit à quodam nobili Gallo, qualiter Rex Chriſtianiſſimus contra rebelles hæreticos ſui regni bellum mouebat, & montem Albanum obſederat: ſcribit ad ipſum Epiſtolam ſatis amplam, cœleſtibus monitis plenam, qua contra rebelles & Deo & ipſi pugnare efficaciter hortatur. Nec ſolis apparentibus verbis, ſed toto cordis affectu loquebatur: Dominicus namque nullam nouerat nationum diſtinctionem inter Chriſtianos, quàm Catholicorum & hæreticorum, nec vllis ſtatus rationibus attendebat, qui ſolam majorem Dei gloriam quærebat.

Teſtis oculatus ipſe loquor. Sub finem anni 1628. Romæ in eodem noſtro Conuentu montis Quirinalis (nunc Beatæ Mariæ de Victoria denominato à prædicta imagine miraculoſa) cum ipſo degebam: quando fœlix nuntium de capta Rupella delatum eſt; ex illo tanta Dominicus perfunditur lætitia, quòd in dormitorio occurrens mihi totus hilaris dixerit, & magno cum feruore; Capta eſt rebellis illa. Miratus ſum; Tum quia nunquam aliàs in dormitorio loquentem audiueram, juxta laudabilem noſtræ religionis conſuetudinem; Tum quia nondum tale nuntium de capta Rupella didiceram. Sed diutiùs præ gaudio contineri non

potuit,

potuit, quin me Gallum in illo conuentu tunc vnicum talis nuntij participem efficeret. Sciebat tamen, Hiſpanis & Italis palam loquentibus, Rupellæ capturam rebus Hiſpaniæ in Italia, & præſertim obſidioni ciuitatis Caſalenſis fore funeſtam.

Hunc Catholicæ fidei promouendæ ſingularem affectum in ſcripta eius ad Chriſtianiſſimum Regem epiſtola, ſtatim de verbo ad verbum ex Italico idiomate in latinum transferenda contemplari licebit. Duos alias ſcripſit: Vnam quidem Regis confeſſario, quò Regi Conſilium pro defenſione fidei Catholicæ daret; Alteram verò Domino de Luyne Comeſtabili, quò fideliter ipſum in tam pio bello adjuuaret. Sed illis duabus dimiſſis ſolam primam Regi ſcriptam audiamus.

CHRISTIANISSIMO REGI, &c.

IESVS MARIA.

Sint in anima Chriſtianiſſimi Ludouici Regis Galliæ dilectiſſimi in Domino ſemper Amen. Cum in meo tranſitu veſtram Majeſtatem viſitaturus eſſem, voluit ipſam Dominus Deus conſolari in concluſione matrimonij inter filiam Ducis Lotharingiæ & filium Principis Vademontani, quod eſt vnicum & firmum pacis ſtabilimentum in hoc ſtatu. Et quamvis ipſi bonum iſtud nuntium Veſtræ majeſtati miſerint, velùt affecti Regiæ ejuſdem perſonæ: Ego tamen ſimul volui conſolationem hanc ipſi dare, & teſtatam facere illam ſingularem, quam ex fœlici nuntio de veſtra Majeſtate percepi, maximè circa zelum & generoſum animum, quem ipſi Dominus ad extirpandas ſui Regni hæreſes communicat, & qui eſt principale fundamentum ſtabilitatis ſuæ coronæ, ac ſignum euidens manutenentiæ & protectionis ſuæ Diuinæ Majeſtatis erga ipſum: Quia non poteſt in Rege major fœlicitas inueniri, quàm ſi Dei cauſam agat; Et tunc eſt cauſa Dei, quando agitur contra illos, qui ſe Dei inimicos declararunt. Hæc bella jure merito

vocat S. Auguſtinus fœlicia, dicens; ô fœlix pugna, in qua Deus eſt cauſa! quandoquidem manifeſtum amoris ſignum ſunt opera, præſertim illa quæ ad honorem & gloriam Domini Dei immediatè redundant, cum exaltatione ſui nominis ſanctiſſimi, & Eccleſiæ Catholicæ eius ſponſæ. Verè fœlix eſt ille, quo velut inſtrumento in tam graui negotio vult vti Dominus. Non eſt res magni momenti, quòd multi Principibus & Regibus terræ ſeruire deſiderent: Sed quòd Rex Regum ex ſuo amore velit iſto vel alio vti, gratia eſt quæ ſummopore æſtimari debet. Bonum eſt, quòd creatura Creatori ſeruire deſideret; Cum naturale ſit ipſi illum amare, velut effectui ſuam cauſam: Sed quòd Rex cœli inclinet ſe ad creaturam, & illa cum ſingulari demonſtratione velit ad hoc aut illud miniſterium vti, ſingularis eſt gratia, ſingularis amor, & magnum prædeſtinationis ſignum. Hoc totum in bello, quod veſtra Majeſtas contra hæreticos gerit, adimpletum video: quandoquidem Diuina Majeſtas vti vult ipſa, quò ſuperbiam humiliet inimicorum ſuorum tam inobedientium & rebellium ſuo Domino, & impiorum ac ſacrilegorum contra Deum; quòd Eccleſia eius ſponſa non vltra valens tolerare, ipſum inuocat, & orat dicens, Exurge Domine, vindica cauſam meam. Hanc cauſam nunc in manibus veſtræ Majeſtatis poſuit, ipſique ſuum ſanctum Spiritum communicat; & facit quod talentum non ſit abſconditum, nec otioſa gratia. Recognoſcat igitur illam veſtra Majeſtas de manu eius,& ipſe poſtulo à Domino, vt illam conſeruet, quò poſſit illa efficaciter operari eodem modo quo S. Paulus eſt operatus dum ait; Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit:quia profectus eſt ad conuerſionem gentium, & totis laborabat viſceribus vt eos lucraretur qui perierant. Eodem modo veſtra Majeſtas hoc vti debet talento,& hac gratia, conuerſionem hæreticorum omni via poſſibili procurando:ſed ſi nolint reſipiſcere,debet omni ſua vti potẽtia,vt eos penitùs extirpet,& de ſuo expel-

lat

lat regno: Cum ſit certiſſimum, illum ſtatum ſiue regnum, in quo reperitur alia lex aut Religio, quàm Catholica Romana, non eſſe firmum & ſecurum; non enim poteſt Rex Catholicus fidere genti inimicæ Dei, ſanguinariæ, ambitioſæ regnandi, amicæ perturbandi regna & machinandi ſemper aliquid in ipſos Principes & bonum publicum. Tales ſunt hæretici, præſertim Caluiniſtæ & Huguenoti: De quibus dubitari non poteſt, quòd cum Domino Deo poſteriora verterint, vertent etiam ipſis Principibus; ſicut euidenter nimis apparuit in eo quod vltimò machinati ſunt per rebellionem & bellum Bohemiæ contra totam Chriſtianitatem & tam magnum ac bonum Imperatorem, vtentes beneficiis ab ipſo receptis ipſiuſque bonitate, vt majorem molirentur proditionem. Totum hoc veſtræ Majeſtati meæ cauſa conſolationis indicare volui: Cum ſim certiſſimus, quòd Dominus Deus ipſum præparat & probat ad magna, quæ mihi de ſua Majeſtate promitto ad honorem ejuſdem Domini. In ipſo ſpero, quòd ſicut ei nomen dedit S. Ludouici Regis Galliæ Prædeceſſoris veſtri, per Eccleſiam Dei tam celebris in ſanctitate ac feruenti zelo, quem in bellis contra inimicos Dei demonſtrauit; ſic ipſe tam in vno quàm in alio imitabitur illum. Reliquum Deo fauente dicam veſtræ Majeſtati, cum ipſam ore alloquar; & credat mihi, quòd erit mihi particularis lætitiæ ac conſolationis præſentem videre. Interim peto à Domino, vt ipſum in magnis proſperet pro gloria ſua, & concedat ipſi fructum benedictionis. Saluto veſtram Majeſtatem, & Reginas noſtras cum omni reuerentia & affectu: quibus deuotionem erga Beatiſſimam Virginem commendo, & rogo Dominum vt eas in ſeipſo conſeruet cum eo Diuinarum gratiarum augmento, quod ipſe poteſt, & ego deſidero. Datum Nanoxij die 16. Aprilis anno 1621.

CAPVT. XI.

Magnam Dominicus mortificationem Nanceum patitur, & inde profectus graui laborat infirmitate.

VOluit Dominus ſerui ſui fidelis Dominici probare ac manifeſtare patientiam, ad augmentum meritorum ipſius, & ad proximi ædificationem, qui patientiæ mirabilis exemplo magis quàm ex miraculis ſanctitatem eius manifeſtatam credidit. Hujus autem probationis occaſio talis fuit.

Erat Nanceij quædam vidua, quæ miris modis torquebatur. Ignoratur cauſa: quidam ad morbum aliquem ſecretum, quidam autem ad Dæmonum poſſeſſionem referunt ea quæ mulier iſta patiebatur & operabatur. Vnde Theologi; Medici cæterique curioſi diuiduntur in varias opiniones, & quilibet abundat in ſuo ſenſu: Tunc in Lotharingia nulla celebrior erat quæſtio, quàm iſta. Vtrum ſcilicet talis mulier eſſet poſſeſſa, vel non. Diſſentiunt ab inuicem ordines religioſi, diſſentiunt etiam mutuò religioſi ejuſdem ordinis.

Et quia voluntas ſequitur intellectum, affectus opinionem, inter ſæculares, inter Religioſos, imò & alumnos ejuſdem Ordinis erant rixæ ac quærelæ. Eóque res proceſſit, quòd vna cujuſdam Religionis Prouincia debuerit in duas diuidi, vt ſimul fieret ſeparatio Religioſorum: Et P. Prouincialis alterius Religionis omnes ſuos ſubditos ita diſſentientes debuerit diſpergere & longiùs amandare.

Seu igitur mulier illa crederetur poſſeſſa à Dæmone, ſeu magicis artibus ligata, ſeu humore melancholico preſſa, ſeu alio vexata morbo vel indiſpoſitione naturali, maxima jam cauſauerat damna, hos magiæ criminabatur, alios calumniis onerabat, multis nocebat, aliquos jam perdiderat. Pium quendam Sacerdotem tanquam Magum, cum ſcandalo

dalo ſtatus Sacerdotalis, accuſauerat : Quemdam Medicum celebrem de Magica arte accuſatum perdiderat;fictus enim Dæmon poſſidens ſe relicturum mulierem promittebat, ſi Medicus ille combureretur, capitur, inſtructo proceſſu conuincitur benè vel malè, & tamen ſuam innocentiam vſque ad mortem teſtatus igne crematur, nec Dæmon diſcedit.

Quia numerus credentium illam eſſe poſſeſſam præualuerat (his enim firmiter adhærebat Tullenſis Epiſcopus Diœceſanus) plures compatiebantur, largas conferentes eleemoſynas, & neceſſariæ vitæ abundantiùs prouidentes. Vnde multa, quæ priùs contraxerat, debita ſoluit; & non ſolùm commodè, ſed etiam deliciosè ſuſtentabatur : Cum igitur aliis pluribus nocuiſſet, ſibi ſoli profuit quantùm attinet ad commoda temporalia.

Iam Epiſcopus illam ſæpiùs exorciſmis Eccleſiæ ſubjecerat, tanquam à Dæmone poſſeſſam : In eorum exercitio multa patitur extraordinaria, vel potiùs malitiosè fingit ſe pati. Dominicum rogat Epiſcopus, vt illam exorciſmis adjuuet : ipſe, vt Antiſtiti complaceat, accedit & exorciſmos incipit : Primo peracto dixit Pater ſuo Confeſſori & ſocio; Dubito realem eſſe poſſeſſionem in hac muliere, quia non ſenſi juxta conſuetudinem ſignum poſſeſſionis Dæmonum.

Voluiſſet libenter Dominicus ab exorciſmi proſequutione deſiſtere;Sed nolens Epiſcopo diſplicere proſequitur. Vnde ad ſecundum procedit exorciſmum coram innumerabilis populi frequentia : Cumque mulieris infirmitatem cognouiſſet, dixit; Coram Deo loquor, Iudico mulierem iſtam aliqualem pati ſtultitiam, & habere lucida interualla, quibus vtitur Dæmon & in illâ operatur : quod euentus poſtea demonſtrauit. Tunc Epiſcopus, qui illam credebat poſſeſſam, ſe Dominici verbis offenſum & confuſum judicans in actu tam ſolemni, ſurgit ira ſuffuſus & clamat, Blaſphemauit contra Eccleſiam Dei. Quis te conſtituit judicem ?

cem? Et facta eſt magna commotio, quibuſdam partes Epiſcopi, cæteris partes Dominici defendentibus.

Immotus & mente & corpore manet Dominicus ad tam publicam & ſolemnem correctionem: mirabili patientia & vultus ſerenitate mortificationem patitur; quibus aduerſarios conuicit, ipſumque Epiſcopum ad publicandam eius virtutem ac ſanctitatem compulit. Audiens hæc Dux Lotharingiæ, conqueritur plurimum de Epiſcopo: ſed illum Dominicus Duci reconciliat, in multis poſtmodum apud Summum Pontificem Gregorium XV. adjuuat, Abbatiam & alios fauores ipſi obtinet. Cumque poſt aliquot annos infirmaretur ad mortem Epiſcopus, mœſtus dixit; Non habeo quod me magis affligat in hoc tranſitu, quàm ſic parum æſtimaſſe magnum illum Dei ſeruum (loquebatur de Dominico) in cujus ſanctis orationibus nihilominus confido.

Tandem vale dicit Dominicus Duci Lotharingiæ, & Nanceio diſcedens in Flandriam tendit: ſed vix iter aggreſſus fuerat, cum acutiſſimo dolore lateris corripitur, quo vehementiſſimè preſſus Treuirim defertur, & ab Archiepiſcopo Sacri Imperij Electore ſuſcipitur hoſpitio, ejuſque medico curandus committitur. Sic morbus inualuit, vt Dominicus à medico deſperatus crederetur breui moriturus: ſed die nona, dum ipſe mortem expectat & optat, in pectore generatus tumor rumpitur, ſanies mortifera expellitur, ceſſat dolor, febris deſinit, & tandem ſanatur.

Quia certò moriturus ex hac infirmitate credebatur Dominicus, Venerabilis Abbas Monaſterij Benedictinorum apud viam Treuirenſem, corpus eius ab Apoſtolico nuncio D. Albergatio, qui Monaſterium illud tunc inuiſerat, petiit & obtinuerat in ſua Sancti Maximini Eccleſia honore debito ſepeliendum: ſed Deus vitæ & mortis Dominus, pium Abbatem illum poſt proceſſionem corporis Chriſti, in qua Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ipſe

ipſe detulerat, morti addicit, & Dominicum ad majora reſeruans ſanitati reſtituit diutius victurum.

Capvt XII.

Vadit Coloniam Agrippinam Dominicus, vbi ſuſceptus honorificè mira facit, & hæreticorum eludit inſidias.

POſt reparatam ſanitatem, Treuiri diſcedens Dominicus Coloniam Agrippinam proficiſcitur, vbi maximo populi concurſu & vniuerſali acclamatione ſuſcipitur. Eo deuotio populi deuenit, quod Patris figuram in ære ſculpſerint, & formatas imagines eius velut inclyti amici Dei vendendas expoſuerint, quas ſinguli ad ſuam conſolationem & ad æterna tanti viri memoriam emebant.

Archiepiſcopus & Elector Colonienſis Bonæ degebat: Audito Dominici aduentu ſtatim ad illum pergit, vt viſitet, agnoſcat, & veneretur. Poſt amicitiæ ac reuerentiæ ſignificationem, cum illo agit de rebus conſcientiæ, confitetur illi, & Sacram communionem ab illo recipit; & diſcedenti reliquias inſignes, præſertim ex vndecim millibus Virginum concedit, quas ibidem Dominicus tanquam in proprio martyrij loco veneratur.

Multa in hac ciuitate mira, ſi non miracula, patrauit. Audiamus Ægidium Gelenium Electoris Colonienſis Hiſtoriographum ſic de ipſo compendioſè diſſerentem. Venerabilis Pater Frater Dominicus à Iesv Maria, dictus antea Dominicus Ruzzola, nobilis Bilbilitanus: in Hiſpania inter claros ſtrictioris Ordinis Carmelitani viros ſanctitate Clariſſimus, non eſt tacendus. Hic ob virtutis exiſtimationem à ſede Apoſtolica Miſſus ad conſolationem Ferdinandi II. Cæſaris, contra hæreticos belligerantis, cum magnum precibus momentum Pragenſi Victoriæ attuliſſet

tuliſſet menſe Nouembri anno 1620. inde Coloniam diſcedens anno 1621. 29. Iunij tanto populorum concurſu viſitabatur, vt januam cellæ è Cardinibus euellerent, & diu noctuque denſitas hominum Monaſterij ſepta compleret. Videbatur mihi repræſentari frequentia multitudinis, quæ olim in hac ipſa Colonienſi vrbe excepit S. Bernardum Clareuallenſem Abbatem miracula operantem : Nam & hic V. P. Dominicus Diſcalceatus plura patrauit Coloniæ miracula, inter quæ mihi perſpectiora eſt illud quod repente ſanata fuit ſigno Crucis arida Muſici manus; & impertita benedictione liberatio à morbo Comitiali adoleſcentis Eccleſiæ S. Andreæ Cantoris, qui ſæpiùs ab ordine ſacro ſuſcipiendo repulſus, ſublato miraculosè Canonico Sacerdotij impedimento Præſbiter factus, propter beneficium ſanationis ſuæ, vſque in finem vitæ laudauit Deum, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis. Sancto fine quieuit V. P. Dominicus à IESV MARIA Viennæ Auſtriæ anno 1630. 16. Februarij. Hactenus author ille.

Hæretici per Dominicum in Pragenſi victoria deſtructi, conſiderabant ipſum vt ſuæ majeſtatis excidium, ſectæ ruinam, ac infenſiſſimum ſuorum Principum hoſtem, & communiter Magum nominabant. Sæpiùs ipſi parauerunt inſidias, ex quibus tamen Diuina protectione ſecurus liberatur : Hæreticis cooperabatur Diabolus, qui libenter ſeruum Dei fidelem Dominicum extinxiſſet : non enim ferre poterat tot honores ipſi collatos, nec gloriam Dei inde reſultantem.

In hac ciuitate Colonienſi quinque reperiebantur aduenæ hæretici, qui in Dominici ruinam & mortem conjurauerant. Vnde ſequebantur, vt commoda ſibi occaſione oblata violenter perimerent. Se jam ad extremos Germaniæ fines re infecta perueniſſe videbaut; extra Germaniam in terris Catholicorum Principum tale ſacrilegium vix poſſe committi judicabant. Vnde ipſum Colonia diſcedentem, antequam Belgij Prouincias ingrediatur, perimire meditantur.

tantur. Vt autem aptè cuncta diſponant, volunt ab ipſo diem exitus & ordinem viæ addiſcere, ſeque ipſos vt fides itineris comites ipſi adjungere, vt in cautum decipiant. Hi ergo incogniti, magno ſeruorum comitatu ſtipati ad noſtrum Diſcalceatorum conuentum die quadam adueniunt, ficta pietate Dominicum viſitant, & cum illo de rebus Diuinis colloquuntur: Deinde interrogant, qua die Colonia ſit diſceſſurus, affirmantes abſolutè ſe velle ipſum comitari, eique in hoc itinere deſeruire. Multas illis Dominicus agit gratias, & de pectore ſuum Crucifixum accipiens illis offert oſculandum, vt ſolebat aliis offerre: Verùm ipſi plurimùm territi retroceſſerunt, ne oſcularentur, & nihil dicentes diſceſſerunt: Quo facto Dominicus eorum inſidias detexit, & Deum benedixit qui occultos inſidiatores ſibi manifeſtauerat.

Quatuor diebus Coloniæ manſit Dominicus, ad noſtrorum præſertim Diſcalceatorum ſolatium, qui nouum in hac ciuitate conuentum fundauerant. Deinde forti & honorifico comitatu ſtipatus diſcedit die 4. Iulij.

CAPVT XIII.

Tendit Bruxellas Dominicus ad Principes Belgij.

SVmmo deſiderio Principes Belgij Albertus & Iſabella Clara Eugenia Dominicum expectabant. Ad eum cohortes equitum miſerant, tum honoris, tum ſecuritatis cauſa, qui Colonia diſcedentem exciperent, & Bruxellas ad Curiam Principum deducerent.

Conſueto igitur diſcedit honore, & venit Louanium. Optabat inde tranſire Namurcum, vt vicinum in ſylua Marlaniæ conuentum eremiticum ab ipſis Principibus ædificatum inuiſeret, Religioſos Eremitas ſolaretur, & ipſe ſolitudinis tranquillitate diebus aliquot frueretur. Sed audiens

diens Archiducem Albertum læthali morbo laborare, mutata præcedenti intentione, versùs Bruxellas iter ſuum accelerat qua poteſt diligentia.

Vt peruenit, ſtatim ad infirmum ac penè moribundum Principem introducitur, qui tam chari hoſpitis aſpectu lætabundus ait: Benè veneris P. Fr. Dominice, tantùm ab omnibus deſiderate, tempeſtiuè aduenisti vt me ad benè moriendum adjuues. Sæpiùs deinde apud eum confeſſus eſt, Sanctiſſimum Corporis Chriſti viaticum de manibus eius ſuſcipit; tantumque Dominici verbis ac feruore ad deſiderium patriæ cœleſtis accenditur, vt non ſolùm patienter, ſed etiam libenter mortem acceptauerit. Moritur die 13. Iulij anno 1621.

Triſtis admodum remanſit Principiſſa Iſabella Clara Eugenia de morte dilecti conjugis: illam ſolatur Dominicus, de ſalute ipſius certificatam. Quo Dominici Nuntio non ſolùm roborata, ſed etiam læta permanſit, quòd diceret; Ita lætor (de ſalute ſcilicet conjugis) vt ſi vitæ reſtitui poſſet, non permitterem, ne exponeretur periculo anima, quæ ſine periculo fruitur Deo.

Se Principiſſa Dominici directioni commiſit, eius verba velut oracula ſuſcipit; quibus efficaciter ſuadetur. Poſt Principis mortem Nuntius Apoſtolicus D. Ioannes Franciſcus à Balneo de Comitibus Guidus, poſtea S. R. E. Cardinalis, ob vrgentia quædam negotia Principiſſæ poſtulabat audientiam: negabatur juxta morem Domus Auſtriacæ, quo viduæ per quadraginta dies negotia non expediunt, nec Oratores Principum admittunt. Dominicum interponit, qui Principiſſæ ſuadet Nuntium Pontificis admittere, quamvis Oratores aliorum Principum non admittantur; Pontifex namque Pater eſt & major, alij Principes ſunt fratres & æquales.

Dominici conſuetudine ac ſanctitate permotæ ex nobilioribus Principiſſæ pediſequis determinant mundo vale dicere, & virginitatem ſuam Chriſto vouere: Copioſis earum

rum dotibus Monialium noſtrarum Monaſterium Gandaui conſtruitur : ad quod ipſamet Principiſſa ſuo tempore illas conducit.

Cum diſcedendi tempus inſtaret, Dominicus commendatitias à Principiſſa procurat epiſtolas ad Summum Pontificem, pro Canonizatione S. M. N. Thereſiæ; quales jam ab Imperatore, ab Archiduce Leopoldo, à Duce Bauariæ, & ab Electore Colonienſi obtinuerat. Qui præcipuum hunc fauorem efficaciter omnes petebant. Petiit à Dominico Principiſſa Crucifixum illum miraculoſum, qui in bello Pragenſi diſſipauerat hæreticos; ſed ipſi negat, quem negauerat Imperatori: ne tamen triſtetur, crucem eius ipſi concedit, retinens Chriſtum alteri cruci figendum. Ipſa verò pretioſiſſima reliquiaria, & ditiſſima Eccleſiæ Dominico concedit ornamenta, Romam transferenda pro ſacello Beatæ Mariæ de Victoria, & ſeipſam illius fatetur ſacriſtam.

Dum ſe Dominicus accingit itineri, à Legato Galliæ inuiſitur, eique nomine Chriſtianiſſimi Regis intimatur ne Galliam ingrediatur. Acceptat humiliter Dominicus Regis præceptum: Et cum reſpondiſſet, ſe nulla apud Regem Chriſtianiſſimum habere negotia, ſiue publica ſiue priuata; ſed Summi Pontificis juſſu debuiſſe ſalutare Reginam: Venit permiſſio Regis, qua poſſit Pariſios accedere. Vnde accedente R. P. N. Matthiæ à S. Franciſco Præpoſiti Generalis, tunc Prouinciam Belgicam viſitantis mandato determinat in Galliam ire.

Dum in Belgio commoratur Dominicus, ab omnibus honoris cauſa viſitatur. Marchio Spinola ſupremus Militiæ Dux & Palatij Præfectus, Iſabellæ Principiſſæ mandato Dominicum viſitauit, in dubiis conſuluit, & de omnibus ipſi propoſitis tam perfectam & adæquatam conſequitur notitiam, vt ſuperiorem in eo lucem ad omnia conſideraret.

Duæ Moniales noſtræ S. M. Thereſiæ quondam ſociæ

 venerunt

venerunt in Galliam, vt ibi reformationem dilatarent: Poſtea receſſerunt in Belgium. Vna erat Mater Anna à IESV, quæ manſit Bruxellis; Alia verò Mater Anna à S. Bartholomæo, fuit vtraque ſanctitatis opinione venerabilis. Vltima ſanctam ducens ſenectam erat in Antuerpienſi Monaſterio. Ad hanc proficiſcitur Dominicus mutuæ conſolationis cauſa; fœlix namque eſt jucunditas, & jucunda fœlicitas, videre ſanctos, cum ſanctis eſſe, & eſſe ſanctum. Antuerpia Dominicus iter ſuum Pariſios dirigit.

CAPVT XIV.

Tranſit in Galliam Dominicus, Regem ac Reginas viſitat, & mira facit.

NOn debuit Regnum Galliæ piiſſimum ac florentiſſimum præſentia Dominici noſtri tam celebris ſerui Dei carere. Procurauit Diabolus ſub ratione ſtatus tranſitum eius impedire; cum nullam ipſe rationem aliam ſtatus in mente & votis haberet, quàm regnum principis tenebrarum deſtruere, & Imperium Chriſti Regis regum & Domini dominantium dilatare; ipſique animas lucrari. Vnde Deus ſic res diſpoſuit, quòd Dominicus Galliam ingrediens, & majorem partem percurrens ipſam benedictionibus repleret, & exemplo ſanctitatis ædificaret.

Superatis igitur obſtaculis, in noſtram venit Galliam Dominicus. Vt appulit Duacum, tantus fuit ad eum populi concurſus, vt vix ad noſtrum Conuentum deuenire potuerit: Multi deferuntur infirmi, qui vel ſalutem vel ſolatium recipiunt. Inter eos quædam Mulier Catharri pertinacis malignitate plurimùm infirma, & alienis adducta brachiis offertur: hæc fide plena Patris Scapulare oſculata, & eius benedictione munita cœpit ſtatim melius habere, & plurimùm roborata domum ſuam pedibus ſuis reuertitur. In Scynenſi Monialium Ciſtertienſium Monaſterio quædam

extra

extraordinaria via procedentes, vel in prædicendo futura, vel in ſubeundo nimias mortificationes proprium confeſſorem ſuſpenſum tenebant; qui tamen Dominici conſiliis vſus dictas Moniales ab euidenti periculo errandi liberat, vt poſtea fatebatur dicens, Spiritum ſanctum in Dominico fuiſſe loquutum. Simili modo confeſſorem alium de cujuſdam mulieris deuotæ ſpiritu ſe conſulentem inſtruxit, vt apparentia non curaret prodigia, quæ Dæmonis illuſiones aſſerebat, & eam per viam humilitatis dirigeret.

Epiſtolas humanitatis plenas à Duce Niuernenſi recipit, quibus inuitatur vt ad ſuam ciuitatem (an Retelenſem, an Carolopolitanam, vulgo *Charleville*, in confiniis Belgij ſitam, neſcio) ſe conferat. Quia ciuitas illa declinabat à via, & ipſe Dominicus Romam redire citiùs vrgebatur, hanc excuſationem legitimam Duci ſcribit, cui ſimul multa ſalutis & conſolationis monita tradit, quæ præſentiam ſupplerent.

Venit Pariſios, tanto populi concurſu ſuſceptus, quòd infinitus crederetur, ſi poſſet infinitum multitudine dari; & illo plateas & vicos præoccupante, vix ad noſtrum Conuentum in ſuburbio S. Germani ſitum peruenire potuit. Et quia populus non ſola videndi Dominicum curioſitate mouebatur, ſed potiùs deuotione, talis concurſus pluribus diebus perſeuerauit, quandiu manſit Pariſiis: Vnde die ſequenti Legatus Hiſpaniæ & alij Principes eum inuiſere volentes à Conuentu longiſſimo ſpatio currus ſuos relinquere debuerunt, & magna cum difficultate confuſam multitudinem penetrare potuerunt.

Vt aliqualiter continuò irruenti populo ſatisfieret, rogatus eſt Dominicus non ſemel de feneſtris chori, quæ reſpiciunt Eccleſiam, ſubjectæ multitudini benedicere, vt ſic dimiſſa confluentibus aliis locum cederet. Vix aliquid in Eccleſia manet intactum, portæ, feneſtræ, pediola franguntur; omnes quippe Dominicum videre, & celebranti aſſiſtere voluerunt: innumeri de manibus eius communi-

cant,& aliqui ſacerdotes vt ſic communicent celebrare nolunt. Audiui quendam multos aureos obtuliſſe, vt ei baculum Dominici concederent.

Bis ad populi deuotionem concionatur, in octaua ſcilicet die Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, & in Feſto Sancti Ludouici:ſed non capit Eccleſia noſtra, licet ampla,tantam multitudinem: Ejuſque conciones à viris piis doctiſque plurimùm æſtimatæ, deſcribuntur ab aliquibus & euulgantur. Aliqui ægroti ſanitatem à Dominico recipiunt, vt Dominus Ludouicus Boyerius Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarius,& in ſuprema Camera Auditor,qui cum ad Conuentum accedere non poſſet, humiliter ſcribens petit benedictionem, qua ſe ſanandum ſperat.

Vt Dominicus à tanta multitudine populi Pariſienſis liber, aliquantulum reſpirans ſibi vacare poſſet,& præcipuis benefactoribus & amicis noſtræ Religionis ſatisfacere, ſecretò ad noſtrum Charantonenſem Conuentum à Domino de Monbazon Pariſiorum Gubernatore aliiſque Principibus deducitur. Illuc die ſequenti D. Nemurcenſis Duciſſa accedit, quæ tota dextera parte corporis erat immobilis, Victore Crucifixo tacta per Dominicum, prima die melius habet, ſecunda poteſt Dominico ſcribere & gratias agere, & breui ſanatur, vt ab ipſamet Principiſſa ego poſtea didici. Ibidem duos juuenes hæreticos ad eum accedentes conuertit ad fidem Catholicam.

Breui redit Pariſios,vbi non ſolùm hæreticos, ſed etiam aliquot habet Catholicos ſibi aduerſarios, & palam murmurantes, quaſi Pariſienſis Antiſtitis authoritatem vſurpaſſet, abſque eius facultate concionando; ſimilia dicunt ab ipſo fieri vel permitti,quæ congruant hypocriſi,veræque ſanctitati repugnent. Sed à Deo & à piis magnatibus protegitur Dominicus, qui ſimilia eius facta ad datam ipſi Pontificis Romani authoritatem referunt; & ſic æmuli tacere compelluntur. Præcipuus in protegendo Dominico fuit Dominus de Verdun, primus Pariſienſis Senatus Præſidens,

ſidens,qui Dominicum à nobiliſſimis artificibus depingi & ſculpi procurauit, vt ſic multiplicatus ad multorum ſolamen in Gallia remaneret. Plures vel eius imaginibus, vel aliis eius reliquiis ſanitatem conſequuntur: Fuit Puella honoraria cujuſdam nobiliſſimæ Dominæ,quæ volens fieri Monialis non poterat, ſuperueniente morbo in oculis impedita;vult recurrere ad Dominicum,ſed non valet præ turba; recipit à Domina benedictam à Dominico iconculam, oculis applicat, ſtatim ſanatur, & facta Monialis miraculum prædicat.

Die trigeſima menſis Auguſti Dominicus Pariſiis diſcedit, vt ad Chriſtianiſſimum Regem eat, qui in obſidione Montis Albani detinebatur. Venit Turonem, vbi Regina mater Maria Medicæa tunc abſens à Curia degebat: Ab illa magno cum honore & lætitia ſuſcipitur,& apud ipſam ab Illuſtri Richelio Luſonenſi Epiſcopo, poſtmodum S. R. E. Cardinali hoſpitatur, Reginam in communicatis ſibi miſeriis ſolatur, de mundi inconſtantia concionatur, in Miſſa communicat, & aliqua prædicens futura de ſuo ſtatu, fœlicia & triſtia, Diuinæ voluntati conformat; Diſcedens mille aureos pro fabrica Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Victoria dono recipit.

Die duodecima Septembris Moyſachum venit, vbi Reginam regnantem Annam Auſtriacam viſitat, quæ Regem ad bellum Montis Albani proficiſcentem ſequuta fuerat. Hanc cum puellis honorariis communicat, & fratrem Regis ægrotum inuiſit, & morbo leuamen attulit. Interim Rex nobilem quendam cum curru delegat ad Patrem, adductum honorificentiſſimè ſuſcipit, & Archiepiſcopus Pariſienſis (qui ſolo tunc Epiſcopi nomine gaudebat, Epiſcopalis enim Eccleſia Pariſienſis in Archiepiſcopalem ab Vrbano VIII. poſtmodum erigitur) ad prandium retinet, eique dat gratias, quòd ſuis concionibus Pariſiis populo ſuo profecerit.

In hoc oppido, vbi tunc erat Regis Curia, periculosè

laborabat quidam militiæ Princeps, ipſum petentem viſitat Dominicus, & plenus feruore ſpiritus ſic eum alloquitur: Quomodò fieri poteſt, quòd vir tantæ æſtimationis apud omnes, & ſic honoratus à Regia Majeſtate, ſicut Tu, faueat hæreticis contra ſuum Regem? Et quòd in obſidione Montis Albani, cum in ſtipendiis viginti quinque millia militum numerentur, vix in perſonis & de facto nouem millia reperiantur? Et ne noceant inimicis Eccleſiæ Catholicæ, tormenta bellica ſine globis explodantur? Vide benè, ne Domino Deo & Regi tuo ſis deinceps infidelis; aliàs citò pœnas infidelitatis morte tua ſolues. Obſtupet infirmus ſua videns ſecreta à Dominico penetrari: Et hoc Diuinæ luci attribuens, promiſit emendationem. Verùm cum promiſſis facta ſequentia non correſpondiſſent, repentina morte deceſſit: qui moribundus vxori dixit: ſi conſilium P. Dominici fuiſſem exequutus, nunc hanc Dei punitionem non experirer.

Tandem Dominicus Regem contra hæreticos, Deo & ipſi rebelles, denuò verbis animat, quem epiſtola priùs animaſſe dictum eſt. Regi benedictum dedit Roſarium, eique vale dicens honorificè dimittitur. Inuenio ipſum Narbonæ conſcendiſſe nauem; ſed non inuenio de Monte Albano recta Narbonam petiiſſe: Quin imò ſub hoc tempus legimus Regem iuiſſe Burdegalam; & à P. Petro à Matre Dei ſocio Dominici referente didici, ipſum cum Curia ad eandem ciuitatem Burdegalam profectum, & Tholoſam ciuitatem inclytam in tranſitu vidiſſe.

* * *

CAPVT

CAPVT XV.

Dominicus vbique mirabilia faciens Romam peruenit.

EXpeditis in Gallia negotiis, quæ Paulus V. & Gregorius XV. ſibi injunxerant, Dominicus Italiam verſùs nauigat, & Romam petit. Apud Narbonam igitur nauim onerariam ingreſſus ſe mari committit: Maſſiliam vario vento tendit, ſuſcitatam ſuis precibus ſedat tempeſtatem, ac tandem Genuam appellit.

Quia peſtis in Gallia graſſabatur, non datur naui liber ad portum ingreſſus: ſed tamen Dominicus ipſe poſt decem dies magno populi applauſu recipitur, inſtante præſertim apud Senatum Duciſſa Turſia. Superueniunt ibi Dominico litteræ à Magna Duciſſa Hetruriæ, quibus efficaciter illa Domina Patrem inuitabat, vt quantocyus filiam ſuam Mantuæ Duciſſam viſitaret.

Vt tam inſigni benefactrici ſatisfaceret Dominicus, ſtatim Mantuam pergit, vbi tanta ſuſcipitur reuerentia, quòd ipſi Miſſam celebranti Dux inſeruire voluerit. Poſtea piùs ille Princeps Beatæ Mariæ de Victoria precioſiſſima tam altaris quàm Sacerdotis ornamenta dedit, lampadem ditiſſimam ex vnico montis Chryſtallo, aureis quatuor Angelis & catenulis, tanto perfectam artificio, quòd vix æſtimari poteſt: Pluraque alia conceſſit dona Eccleſiæ propria.

Breui Genuá redit Dominicus, vbi facit prodigia. Lancellotus nobilis Aulicus Duciſſæ Doria graui laborabat infirmitate; viſitat illum Dominicus, roborat ipſum in conformitate voluntatis Diuinæ, benedictam ei tradit iconculam, & ſuo ſignat Crucifixo, ſtatim cœpit infirmus ſe meliùs habere, & breui perfectè ſanatur. In Monaſterio S. Sebaſtiani Monialis quædam nomine Soror Blanca Maria Lomelini fluxu maligno humorum jam à quatuor annis membrorum erat impotens, oſſa namque laterum è propriis extorſerat locis,

alteramque contraxerat tibiam : quodam die poſt communionem internam ſenſit inſpirationem, qua ſuadetur efficaciter ſe certiſſimè ſanandam, ſi P. Dominicum alloqueretur : Ad ſe venire rogat, & adſtanti dixit ; Pater Ego ſum filia Petri Lomelini, malè me habeo ; Vellem vt pro me Deum orares, vt priùs animam, deinde corpus curaret, ſi talis eſſet ſua Diuina voluntas, vt meo poſſim deſeruire Monaſterio. Reſpondit Pater ; Iam ſcio, jam ſcio, jam ſcio, ter repetens : Deinde facta breui oratione, dedit illi benedictionem; ſtatim Monialis oſculatur eius Scapulare,& diſcedens in cellam ſentit ſe benè habere, & obuiæ dixit vni Moniali, Credo me ſanam eſſe, & de facto ſe ſanam inuenit. Hoc audiens Abbatiſſa citiùs accurrit, certa de prodigio jubet illam ſine crepida ad chorum tendere,vt omnibus pateret intuentibus ipſam non claudicare : Et omnibus in choro congregatis, *Te Deum laudamus* ſolemniter cantatur.

Summis expectabatur votis Romæ Dominicus, quò fama nominis eius & victoriæ Pragenſis præcucurrerat. Illum de hæreticis triumphantem amplecti deſiderabat nouus Pontifex Gregorius XV. Vnde aduentum eius vrget, ſcriptis ipſi per Pauonium Cameræ ſuæ Magiſtrum,& per Nepotem ſuum Cardinalem Ludouiſium epiſtolis humaniſſimis. Libenter Genuenſes diſceſſum eius impedirent, offerunt Gubernatores ſitum intra muros ciuitatis ad noui Conuentus ædificationem (qui nunc eſt tertius, jam enim extra veteres muros habebamus duos:) fauorem quidem acceptat Dominicus, ſed tamen citò volens obedire Pontifici, ſe parat itineri.

Duciſſa Turſia Curam Dominici profecturi ſuſcipiens, quatuor ſeruos Ducis Bauariæ in obſequium Dominici datos in Germaniam remittit, & triremem expediri præcipit, quæ Dominicum honorificè vehat. Soluit portu Genuenſi, ſed non multò poſt turbatur mare ; Vnde cum portum Veneris appuliſſet, relicto mari terram ingreditur.

Primò venit Maſſam, vbi à Principibus honorificè & cum multis

multis beneuolentiæ ſignis excipitur, erant enim antiqui eius amici. Ad ipſum honoris & reuerentiæ cauſa totus accurrit populus: Affertur etiam filia Hieronymi Paleologi, quæ jam à quatuor annis per mediam inferiorem partem corporis erat attracta cum febre continua, quam Medici judicabant hydropicam: Imponit Dominicus eius capiti manus, & poſt aliquas preces ſtatim infirma leuamen ſentit, & breui tempore cum admiratione Medicorum perfectè ſanatur.

Die ſequenti Piſas venit, inde Florentiam properat, vbi à Magnis Ducibus honorificè ac peramanter excipitur: Miraculoſa Beatæ Mariæ de Victoria ab illis colitur, pretioſa donantur reliquiaria, & duo maxima candelabra duorum millium aureorum pretio promittuntur, & perfecta Romam mittuntur. Magna Ducіſſa gratias agit Dominico de concordia per ipſum inter ſuos fratres Ducem Lotharingiæ & Principem Vademontanum facta. Florentia diſcedens Dominicus tandem nona die menſis Decembris anno 1621. Romam peruenit, tranſacto itineris anno cum dimidio.

LIBER SEXTVS VITÆ V.P. DOMINICI A IESV MARIA IN ITALIA GLORIOSI.

PROLOGVS.

REVERSVS è Germania Dominicus, trophæis de parta contra hæreticos victoria plenus, extitit in Italia glorioſus, vt hoc libro videbitur; non ſolùm in exaltatione Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Victoria, cujus imaginem miris injuriis affecerant hæretici, & quam ipſe ad perpetuum gloriæ monumentum ac prædictæ Victoriæ memoriam æternam in majori Eccleſiæ noſtræ Quirinalis altari collocauit, jam innumeris decoratam miraculis, ſed etiam in publica mirabilium, aut etiam plurium miraculorum operatione. Libro quarto vidimus ipſum magna ſollicitudine nouum Carmelum irrigantem, in hoc intuebimur velut nubem imbriferam omnibus benefacientem, dum vel obedientiæ præcepto, vel charitatis motiuo ſingulas Italiæ Prouincias decurrit, omnibus eius Principibus plurimum

plurimum acceptus. Nec Gallia noſtra tanti viri gloria priuatur, quin potiùs plurimis eius fruitur beneficiis, dum majorem florentiſſimi & Chriſtianiſſimi regni partem tranſeundo percurrit.

CAPVT I.

Dominicus Romam reuerſus S. M. N. Canonizationem obtinet & celebrat.

DOminicus jam erat Romæ Venerabilis, nunc ex Pragenſi victoria glorioſus excipitur. Multi Cardinales, multi Principes, multique ciues viſitaturi, & de tam fauſto legationis fine ac fœlici reditu congratulaturi ad eum accedunt. Hoc in communi ſufficiat judicaſſe, longum enim eſſet in particulari præcipuos etiam tantùm adducere, ipſique lectori foret moleſtum; Vnde ad majora properamus.

Statim die ſequenti ad Apoſtolicum tendit palatium, Summi Pontificis pedes oſculaturus, & injunctæ ſibi tam à ſuo Prædeceſſore, quàm ab ipſo legationis rationem redditurus: Summus Pontifex erat Gregorius X V. ex domo Ludouiſia, Præſul humaniſſimus ac ſuauiſſimis moribus. Magno cum gaudio & reuerentia Dominicus à Palatij miniſtris ac Præfectis, & ab occurrentibus Cardinalibus excipitur, & ſtatim ad Summum Pontificem introducitur, qui & geſtis & verbis ſingularem erga Dominicum beneuolentiam & venerationem teſtatur. Vnde lætabundus ait: Gaudeo videre tandem apud me tam bonum & antiquum amicum; quem apud Deum interceſſorem ſemper habuiſſe credo, & deinceps habere deſidero.

Præmiſſis his amicitiæ ac beneuolentiæ ſignis, interrogat Pontifex Dominicum in particulari de multis, quæ jam in communi didicerat. Incipit Dominicus, ſed breuiter, de ſingulis reſpondere: Et primò de miraculoſa Pragenſi victoria;

ctoria; deinde de ſua negotiatione apud Principes Catholicos, tam Germaniæ, quàm Galliæ & Belgij; Ac tandem Summum Pontificem ſingulorum nomine ſalutat, & pedes oſculatur.

Pontifex cuncta Dominici verba clementer audit; ſollicitudinem eius in omnibus, & prudentiam in ſingulis laudat, de tam proſpera negotiatione gratias agit: Et in ſignum grati animi ſe totum offert Dominico & interrogando vrget, an aliquid pro ipſo valeat agere. Dominicus oblatam agendi pro S. M. N. Thereſia non præterit occaſionem: ſemper enim præ oculis habebat fauorem illum inſignem ac prædictionem eius, cum ipſi viſibiliter apparens in Hiſpania à contracta liberat peſte, ac ſimul imperat vt Romæ ſuam canonizationem procuret. Vnde interroganti & vrgenti Summo Pontifici quid à ſe vellet, paucis reſpondet ſe petere S. M. N. Thereſiæ canonizationem; tantoque zelo ac feruore negotium promouet, quòd ibidem Summus Pontifex gratiam promittit.

Tunc de Canonizatione S. Iſidori Madritenſium Patroni agebatur, cuncta parabantur ad hanc ſolemnitatem breui futuram. Inſtat Dominicus, vt Thereſia cum Iſidoro ſanctorum cathalogo annumeretur. Summus Pontifex Dominici precibus aſſentitur, dummodo Rex Hiſpaniæ, & Legatus Madritenſis ciuitatis id velint: nihil enim poterat Dominico negare, & tot Principum pro noſtra Thereſia ſcribentium deſiderio ſatisfacere volebat. Scribitur in Hiſpaniam, commendatitiis ad Summum Pontificem reſcribitur epiſtolis, Regem totumque regnum non ſolùm velle & optare, ſed etiam inſtanter petere talem canonizationem.

Reſiſtebat Didacus de Barrio nouo militaris Eques S. Iacobi, Madritenſis ciuitatis Legatus, volens Iſidorum ſibi commiſſum in hoc canonizationis honore ſolum incedere & alios Beatos præcedere. Dominicus illum rationibus & adhibitis precibus aggreditur: Cumque tali medio flectere non potuiſſet, minis progreditur, eique quadam die

ſolito

ſolito feruore ac zelo dixit; ni deſiſtas te voluntati Dei, & gloriæ eius ac ſanctorum opponere, breui ſeuera punitione plecteris; ſimulque ſubiungit Beatam Matrem Thereſiam eſſe cum S. Iſidoro canonizandam. His verbis territus & conuerſus Eques reſpondet Dominico; Veſtræ Paternitati conſentio vt faciat quantum voluerit.

Cunctis igitur difficultatibus ſuperatis, ad Summum Pontificem accedit Dominicus, cuncta narrat quæ ipſi cum Domino Didaco ſucceſſerant, eiuſque conſenſum refert. Iam Pontifex primum diploma Dominico conceſſerat propria manu ſcriptum, & ſuo nomine ſubſcriptum, quo ſe Beatam Matrem Thereſiam à Ieſu cum B. Iſidoro canonizaturum affirmabat his formalibus verbis; *Canonizaremo la Beata Madre* THERESA *di* GIESV *inſieme col Beato Iſidoro.* Gregorio XV.

Nunc dat ſecundum etiam propria manu ſcriptum, & ſuo nomine ſubſcriptum ſub his verbis; *Concediamo licenza alli Padri Carmelitani Scalzi, che faccino le preparationi neceſſarie in S. Pietro & altroue per la canonizatione della Beata Madre* TERESA *di* GIESV.
Gregorio XV.

Hoc obtento fauore Dominicus ad P. Præpoſitum Generalem Societatis IESV accedit (hanc enim Societatē plurimum ſemper coluit) & conceſſum ſibi fauorem indicat. Ægrè fert in principio P. Præpoſitus credens hoc ſui Fundatoris B. Ignatij, & B. Franciſci Xauerij futuræ canonizationi tandem obfuturum: Verùm ſuadet Dominicus, vt & ipſi pro ſuis Beatis inſtantes eorum canonizationem ſimul cum B. Iſidoro faciendam procurent, ſuam pollicetur operam, & facilè fieri poſſe perſuadet. Inſtant igitur ipſi, inſtant & patres Oratorij pro canonizatione S. Philippi Nerij, Dominicum adhibent omnes interceſſorem, quem apud Summum Pontificem ſciunt omnipotentem.

Res inaudita videbatur, tot ſimul Beatos canonizari, vix quilibet Pontifex vnum aut alterum ſanctum declarabat

rabat, & plures nullum. Inſuper in conſiſtorio Cardinalium quidam ſenem dicebant Summum Pontificem, qui tam longo & difficili actionis huiuſmodi ferendo labori impar eſſet. De vltimo reſpondet Pontifex, quòd ſi nullus alius ſit obex, pro gloria Dei & ſanctorum non recuſat laborem. De primo diſcutiendo agit, & congregationem Cardinalium inſtituit, vt in re tam graui non ſolùm ſua prudentia, ſed etiam aliorum conſilio procedat. Adit congregationem Dominicus, & tam efficacibus hoc negocium rationibus vrget, vt Domini Cardinales & rationibus perſuaſi,& pia erga Patrem affectione ducti reſponderint, ſe deſiderio eius ſatisfacturos.

Concluſis omnibus, parantur omnia tantæ ſolemnitati neceſſaria, Baſilica S. Petri pretioſiſſimis decoratur ornamentis, & cum maxima totius orbis Chriſtiani lætitia & gratulatione die duodecima menſis Martij anno Domini 1622. Romæ ſolemnitas celebratur: Hunc diem elegerat Summus Pontifex quaſi S. Gregorio magno ſuo Patrono dicatum. Quamvis autem fauor canonizationis priùs Dominico, quàm & Patribus Societatis, & Patribus Oratorij fuiſſet à Summo Pontifice conceſſus, non curat Dominicus de nominationis ordine, nec injuriam credit fieri Thereſiæ ſi poſt alios nominetur, quam adhuc viuentem dixiſſe nouerat, ſe libenter in cœlo laturam, quòd alij ſancti præcederent, non autem quòd plus Deum amarent. Vnde ſancti illi quinque, juxta mortis antiquitatem diſponuntur, & Thereſia quarto loco ponitur. Vix credi poteſt quanta poſtmodum lætitia per totum orbem feſtum canonizationis Sanctæ Matris noſtræ fuerit celebratum, cum ſpecialis erga ipſam vbique deuotio vigeret, quæ in dies augetur.

CAPVT

CAPVT II.

Dominicus Summo Pontifici, & etiam Cardinali eius nepoti ſanitatem obtinet.

SEnex erat Summus Pontifex; Vnde paucis poſt prædictam functionem diebus, vel ejus labore, vel alia cauſa cœpit infirmari, & breui creſcente morbo grauiter, imò lethaliter laborat. Sæpe Dominus ad incrementum meritorum labores pro ſe ſuſceptos nouis laboribus præmiat, vt benè nouerat B. P. N. Ioannes à Cruce, qui à Domino interrogatus quid vellet pro laboribus; reſpondit ſe velle pro ipſo pati & contemni. Crediderim igitur hunc pium Pontificem ad præmium infirmari, maximè cum eius infirmitas non eſſet ad mortem, ſed pro gloria Dei & Dominici.

Omnem diligentiam poſſibilem adhibent medici, ſed fruſtra laborant, infirmitas enim ad extremum vitæ periculum Pontificem adducit. Et Cardinalis Gerradinus Pontificis conſanguineus accedens ad Dominicum ait: Pontifex continua febri laborat, nec valet cibum retinere, medici putant expeditum, ni ſuis precibus Veſtra Paternitas ipſi ſuccurrat. His auditis interius colligitur Dominicus, infirmum Pontificem breuiter, ſed efficaciter Deo commendat: & ſtatim ad Cardinalem conuerſus ait; Veſtra-Illuſtriſſima (ſic tunc Eminentiæ loco vocabantur) bono ſit animo, & meo nomine dicat Pontifici, quòd hoc veſpere benè procuret cœnare de cibis appoſitis ſumens quicquid illi placebit; ac ſimul procuret quieſcere, & quòd in Domino confido malum vltra non progreſſurum. Nocte quieuit Pontifex, & mane ſequenti judicant medici periculum euaſiſſe.

Paucis poſt diebus Pontifex grauiùs laborat, & euidentius periculum reincidit. Inſtat apud Deum & apud miraculoſam Virginem de Victoria pro ſalute Pontificis Dominicus, ſeipſum libenter offerens ad

eandem

CAPVT III.

Dominicus glorioſum miraculoſæ imagini Beatæ Mariæ de Victoria triumphum celebrat.

VOuerat Dominicus in Germania, cum imaginem Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſacrilega violatam impietate reperit, ſe totis viribus effecturum vt ab vniuerſis coleretur. Effecit hoc in ſuo reditu quantum potuit, maximè quia jam mirabilis & miraculoſa poſt victoriam Pragenſem remenſerat, cujus cauſa fuiſſe piè creditur. Ad complementum huius cultus iudicat neceſſarium Dominicus, vt ipſi glorioſum Romæ procuret triumphum, & in noſtra Seminarij Romani collocet Eccleſia, vbi tam ab incolis quàm ab aduenis ſpeciali colatur honore.

Noſtra Carmelitarum Diſcalceatorum religio, præter conuentum Beatæ Mariæ de Scala in regione Tranſtiberina ſitum, alium habet in Monte Quirinali propè aquæ Fœlicis fontem & Eccleſiam S. Suſannæ, media circiter via, quæ à Palatio Pontificis ad Portam Ciuitatis olim Nomentanam, nunc nomine piam tendit. Hic conuentus totius noſtræ religionis ſeminarium eſt, vbi ex ſingulis miſſi prouinciis congregantur religioſi, linguarum Orientalium peritia & controuerſiis inſtruendi pro conuerſione infidelium: Principaliter tamen ad regnum Perſidis deſtinantur. Huius conuentus Eccleſia jam à multis annis cœpta, ſed erat hactenus imperfecta, & Doctori Gentium S. Paulo Apoſtolo dedicata conuerſionem eius tanquam Patroni cœlebrabat. Inſpiratione Diuina mouetur Dominicus, vt illam eligeret quaſi ſedem propriam, in qua miraculoſam Beatæ Mariæ de Victoria imaginem collocaret; ſed cum triumpho, vt ejus notitia ad omnes perueniret.

Propterea Summum Pontificem adit, ſuum manifeſtat deſiderium, & tandem ab amico & pio Pontifice præcibus

obtinet, vt dicta Imago miraculoſa generali proceſſione Religioſorum Ordinum totius Cleri, & ſacri collegij Cardinalium, à Baſilica S. Mariæ majoris ad dictam Eccleſiam noſtram deferretur, in memoriam celebris illius Victoriæ Pragenſis, & ſimul in gratiarum actionem: & ipſo Summo Pontifice in noſtra Eccleſia expectante, ſuſcepta in majori ſacello collocaretur. Obtinuit inſuper plenariam peccatorum indulgentiam pro iis, qui vel hac die Dedicationis quæ fuit octaua Maij S. Michaëli ſacra, vel die octaua Nouembris Pragenſi victoria memorabili dictam Eccleſiam viſitarent.

Ornatur igitur Baſilica S. Mariæ majoris, ornatur Eccleſia noſtra, ornatur & via tota qua debet proceſſio tranſire. In Baſilica S. Mariæ majoris thronus erat auro, gemmis, lapilliſque fulgidus, in quo collocata videbatur Imago miraculoſa, Imperiali corona Ferdinandi I I. decorata, argenteis ſuſtentata Angelis, quæ infraſcriptis Characteribus aureis dicebatur, *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.*

Ornatur etiam Eccleſia noſtra tapetibus pretioſiſſimis, imaginibus deuotis, floribus curioſis: omnia micant auro & argento. Præſertim altaria majeſtatem ſummam præſeferunt, picturis, candelabris, aliiſque huiuſmodi exornata: ſed auguſtiùs mirat Altare majus, in quo miraculoſa debet Imago collocari.

Ornatur tota proceſſionis via, qua de Baſilica S. Mariæ majoris ad quatuor fontes proceditur, & inde ad dexteram reflectendo vſque ad noſtram Eccleſiam deuenitur; tota telis tegitur, tapetibus & picturis decoratur. Sed præcipuè area ſiue platea quatuor fontium parata fulgebat: in medio ſiquidem eius theatrum erat eminens duodecim gradibus, cui ſupererat altare pulcherrimum aureo conopæo contectum, Crucifixo & candelabris argenteis ac artificialibus ex omni parte floribus ornatum In ſingulis quatuor fontium angulis ſingulæ majores erant tabellæ fontibus ſuperpoſitæ: ſcilicet Gregorij X V.

Summi Pontificis, Ferdinandi II. Imperatoris, Cardinalis Ludouiſij nepotis Sanctiſſimi, & Maximiliani Ducis Bauariæ Imperialis exercitus Generaliſſimi.

Hora præfixa mouetur proceſſio, præcedunt cohortes armis ornatæ, ſequebantur milites trophæa ab hæreticis in victoria Pragenſi capta deferentes: hic catapultæ fractæ, ibi tympana lacera, gladij, lanceæ, cæteraque hujuſmodi militaris apparatus. Deinde vexillum illud Ducis Bauariæ benedictum à Dominico defertur, quod alia vexilla rebellibus capta numero quadraginta quinque, viginti quinque ab Imperatore, & viginti à Bauaro data reuerentur: horum ordinem vexillum S. M. N. Thereſiæ de nouo canonizatæ à quatuor è noſtris Patribus ornatis pluuialibus pretioſis delatum terminabat. Exinde ſequuntur Ordines religioſi, Baſilicarum Clerus, Prælati veſtibus eccleſiaſticis ornati, Principes, & Nobiles Romani, Cantores tam Capellæ Pontificiæ, quàm cæterarum Eccleſiarum. Denique triumphalis Beatæ Virginis de Victoria thalamus vehitur, tanta majeſtate plenus, vt Catholicis admirabilem Mariam, & Hæreticis terribilem demonſtraret. Huic deſeruiebat Vitalis Archiepiſcopus Barienſis Sanctiſſimi Domini noſtri ſummus Præfectus, habitu Pontificali venerandus, Cardinalibus & Principibus ſtipatus; totuſque proceſſus ardentibus cereis illuſtratur, & exploſis tam majoribus quàm minoribus tormentis bellicis caſtelli ſancti Angeli celebratur, & acclamantium populorum votis honoratur.

Vt ſancta Virginis Imago ad noſtram peruenit Eccleſiam, obuios habet ſuos filios & fratres Carmelitas, accenſis cereis accedentes, qui genuflectentes ſuauiſſimam matrem ſuam venerantur, & vſque ad majus altare comitantur. Tunc Summus Pontifex egreſſus choro & genuflexus miraculoſam adorat Imaginem, & interim maximo Muſicorum conuentu, *Te Deum laudamus*, cantatur; Deindè recedit Pontifex, deuotioni populorum locum cedens: quæ per

totam perſeuerans octauam Beatam Virginem de Victoria inſigni colit pietate, & ad nutum Summi Pontificis eccleſiam illam non amplius D. Pauli, ſed noſtræ Dominæ de Victoria nominat.

CAPVT IV.

In honorem Beatæ Virginis Mariæ de Victoria, Dominicus Eccleſiam pluribus decorat ornamentis.

TOto cordis affectu Dominicus miraculoſam Beatæ Virginis Mariæ de Victoria imaginem colebat; & vt voto, quod de procurando eius honore emiſerat, plenè ſatisfaceret, omni modo poſſibili procurat eius Eccleſiam ornamentis pluribus decorare, tam parietum quàm altarium.

Eccleſia, licet non maxima, pulcherrima tamen eſt: nouem continet capellas, ſex minores, tres verò majores teſtudine ſublimi, vulgo Cupula, coronatæ. Sex capellæ minores ſunt marmore, alabaſtro, variíſque lapidibus curioſis & nitidis veſtitæ: Dominicus enim hoc ornamentum cœpit in multis, & in aliquibus perfecit. Ex tribus majoribus collateralis à parte dextera S. M. N. Thereſiæ dicata mirabili nitet artificio marmoris, jaſpidis, aliórumque lapidum decorata. Suprema capella, quæ miraculoſam continet imaginem, tot argenteis ornamentis, tot votis & anathematibus, ac reliquiariis plena eſt, quòd deuotionem intuentibus excitet. Eius pauimentum vario marmore ſtratum reuerentiam Virginis teſtatur: teſtudo nunc auro & pictura refulgens, Conuerſionem S. Pauli ad viuum repræſentat. Breui tota Eccleſia creditur fore marmorea: vndè quamvis Romæ plures aliæ ſint ditiores; vix tamen vna reperietur, quæ pulchrior appareat; & aliquando perfecta rapiet intuentes. Et hoc totum debetur deuotioni magnæ Dominici erga B. Virginem Mariam de Victoria.

Quantum

Quantùm ad ornamenta Eccleſiæ mobilia, quæ procurauit Dominicus, ſi cuncta ſigillatim ſolùm etiam indicari deberent, lectori nauſeam pareret : vnde ditiora & pretioſiora tantùm leuiter referentur. Gregorius XV. Eccleſiam Beatæ Mariæ de Victoria cœleſtibus Indulgentiarum theſauris ditauit. Vrbanus verò VIII. ſæpiùs honorauit ſua præſentia; quadam die in eius altari majori celebrauit, & ſacra quibus fuerat vſus ornamenta dedit.

Iam dictum eſt ſupra, Ferdinandum II. Imperatorem pretioſam Imperialem coronam, duplici gemmarum ordine pluribuſque lapillis ornatam, ei in Germania traditam conſecraſſe, ex auro puriſſimo pondere nouem librarum. Cui pretioſo muneri viginti quinque vexilla debent adjungi. Similiter dictum eſt, Maximilianum Ducem Bauariæ ſuum Generaliſſimi vexillum cum aliis viginti captis Virgini dedicaſſe, & miraculoſæ imaginis coronidem ex argento factam deauraſſe, & tabernaculo Hebani & eboris inſeruiſſe. Eodem prorsùs tempore duo milites argenteos calices duos, capaces & antiquos hæreticis ereptos Beatæ Virgini, velut primitias obtulerunt.

Militiæ Principes multa militum hæreticorum ſpolia, ad perpetuam victoriæ memoriam, in eius Eccleſia continuò expandenda contulerunt anathemata. Et inter ipſa clauim auream Camerario Comitis Palatini tunc interempto captam.

Comitiſſa Papolica pulcherrimam Beatiſſimæ Virginis effigiem ex cera fuſam, gemmis lapilliſque decoratam : & Eliſabetha Lotharingiæ Ducis Bauariæ conjux ſpecioſiſſimam & deuotiſſimam paruuli Ieſu jacentis effigiem ex cera ſimiliter efformatam tradidit, cum argentea ſimul corona deaurata. Quibus adduntur ornamenta in eadem Bauari curia Virgini conceſſa ex auro, argento & ſerico: Dux Guillelmus Maximiliani pater crucifixum ex ſuccino altum vlnâ, cum ſcyathis, candelabris & lampadibus: Albertus Maximiliani frater ſuccineam Beatiſſimæ Virginis ſtatuam:

 tuam :

tuam: & Sebaſtianus Fillæus peluim & ampullas ſimiliter ſuccineas tradiderunt.

Cardinalis Dietrichſtainæus duos lapides curioſos, Imaginibus ſanctorum Hieronymi & Franciſci miro depictis artificio ſpectabiles obtulit: Magnus Bohæmiæ Cancellarius argenteum tradidit Crucifixum, intra ſe curioſum continens horologium, qui poſitus in Altari celebrantis deuotionem excitat, & horas pulſando celebritatem officij metitur. Archidux Leopoldus pulcherrimam lampadem ad acumina adamantis efformatam dedit: & Colonienſis Elector, præter alia pretioſa, duo Reliquiaria ex Hebeno, argento & cryſtallo, in quibus pars Tunicæ inconſutilis Chriſti, & Mappæ in qua Dominus vltimam celebrando cœnam ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum inſtituit.

Iſabella Clara Eugenia Belgij Principiſſa thecam dedit reliquiariam; paruam quidem, ſed pretioſiſſimam & materia & reliquiis: eſt aurea, quinquaginta adamantibus exornata, duodecim alta digitis, in qua pars notabilis ligni Crucis, vna ſpina coronæ Chriſti, & de linteaminibus quibus paruulus Ieſus in præſepio fuit inuolutus. Dedit & lampadem argenteam valde curioſam, & ditiſſima ex auro argento & acus artificio confecta ornamenta.

Ferdinandus Gonzaga Dux Mantuæ deſcriptam ſuperiùs lampadem Cryſtallinam, Angelis & catenis aureis munitam, vix æſtimabilem pretio, libenter obtulit: & Claudia Medicæa Mantuæ Duciſſa, cum reliquiariis pulchris & curioſis, alia conceſſit dona. Et ſucceſſor Vincentius Gonzaga duas lampades paruas ex eodem cryſtallo formatas, ac catenis aureis inſtructas poſtmodum obtulit.

Magnus Dux Hetruriæ duo miſit luminaria magna ex argento & hebeno: mater eius Chriſtina Lotharingiæ pretioſam dedit thecam reliquiarum: ſimilem quoque tradidit Maria Magdalena Auſtriaca vxor.

Romæ quamplures alij miraculoſam Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Victoria Imaginem pretioſiſſimis donis decorarunt.

corarunt. Cardinalis Sabaudiæ Crucem & Crucifixum cum ſex candelabris majoribus, ex nitidiſſimo montis cryſtallo dedit. Cardinalis Vrſinus duo Corpora ſanctorum Martyrum. Dux Braxiani duas lampades argenteas. Princeps Sabellius duos Angelos argenteos. Hippolytus de Eſte argentea quatuor candelabra. Cardinalis Riuarola cuncta capellæ ſuæ ornamenta cum quatuor candelabris argenteis. Hippolytus Merenda torquem aureum.

Prædicta viuente adhuc Dominico Beatæ Virgini Mariæ de Victoria obuenerunt: obueniunt quotidie plura, quæ celebrem & auguſtam eius Eccleſiam reddunt, & ſunt vèl ſummæ majeſtatis Mariæ, vel fidelium erga illam animi grati monumenta.

Caput V.

Dominicus Congregationi de propaganda Fide adiungitur: iuſſu Pontificis edit pium librum, & Duci Bauariæ ſacri Imperij Electoratum obtinet.

A tempore Clementis VIII. noſtri Carmelitæ Diſcalceati Congregationis de Propaganda Fide inſtitutionem procurarunt. V.P.N. Petrus à Matre Dei Celtiber, tunc illius Summi Pontificis Concionator Apoſtolicus hoc pietatis negotium primus incepit, quando noſtros Religioſos in Regnum Perſidis miſit: Hoc promouit Dominicus ſub Paulo V. Tandem inſtantia ſuà perfecit apud Gregoriũ XV. Hæc congregatio tredecim Cardinalibus & aliis duobus Prælatis conſtat, quæ ſingulis menſibus ſemel coram Summo Pontifice, & bis coram Cardinali Deçano ſolet fieri, ibique de conuerſione infidelium agitur, & cuncta miſſionum negotia pertractantur. Prima eius ſeſſio coram Sanctiſſimo contigit die decimaquarta menſis Ianuarij anno Dom. 1622.

Prælatis nouæ Congregationis à Gregorio XV. Domini-

cus annumeratur, velut eius promotor inſignis. Qui iam agens ex officio dictam congregationem omni via poſſibili promouit,& prudentibus conſiliis, & acquiſitis multorum millium aureorum eleemoſinis,quæ cum anno 1629. Roma diſceſſi in Perſidem,ad octuaginta penè millia perueniſſe ab eius Confeſſore P.Petro à Matre Dei didici. Litteris namq; ſcriptis,vel etiam ore copioſas pecuniæ ſummas à Principibus & aliis magnatibus ad hoc intentum obtinebat; quia nemo Dominici zelo & feruori reſiſtere poterat.

Ne verò Dominicus in opere tam ſancto impedimentum aliquod pateretur, aut vlli præberet occaſionem ſcandali, Pontifex expedit breue Apoſtolicum die prima Martij anno 1622. quo manifeſtat, qualiter ipſum agnoſcens ſingulari pietate,amore erga proximum, & ardenti zelo propagandæ religionis catholicæ præditum, mouetur vt eius vtatur opera,&c. illudque breue propriis manibus Dominico tradit in eccleſia Beatæ Mariæ de Victoria, & coram religioſis omnem in cauſa Dei diligentiam iniungit.

Quia conuerſatio Dominici erat in cœlis,ſic exteriùs alliciebat omnes cum quibus agebat, quòd vellent continuò ab eius ore pendere; fatebantur enim ſe ab illo verba vitæ æternæ ſuauiter percipere: Vnde cum tanto bono frui non poſſent,vt ipſum frequenter alloquerentur, aut propter abſentiam,aut propter occupationes,inſtarunt apud ipſum plures viri graues,& pij, vt editis deuotionis ac Theologíæ myſticæ libris, cœleſtis doctrinæ pabulo fideles paſceret: Recuſat præ humilitate Dominicus,eos ad authores doctiores, & ſanctiores remittens. Interceſſores adhibentur Cardinales, quibus excuſationis cauſa ſuas exponit occupationes. Tandem ad hoc rogatus Summus Pontifex humaniſſimè præcipit Dominico, vt ad internam plurium conſolationem aliquod opus pium in lucem edat.

Obediens Dominicus ſe labori parat & applicat, breuique temporis ſpatio librum edit ſpiritualem, in quo totam ſpiritus vitam & perfectionem ad breues ac ſubſtantiales

ſententias & ad praxim orationis mentalis reducit; quem propterea ſententiarium ſpirituale vocat. In eo tripartitam orationis viam, ſcilicet purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam deſcribit: Sicque fuit vniuerſaliter acceptus, vt breui tranſlatus in varias linguas ex Itala primitiua, ſcilicet Latinam, Gallicam, Hiſpanam, Germanicam, & Belgicam, totum orbem Chriſtianum percurrerit, cum magno profectu & ſolatio animarum. Alium edidit librum, quem Argumenta Pſalmorum nominat, in quo paucis comprehendit verbis quicquid in ſingulis Pſalmis continetur, cum magna eruditione.

Et quia pietas eſt ingenioſa, Dominicus excogitauit piam concordiam ſiue fœdus ſpirituale: quo conuenientes pij fideles ſe mutuis orationibus in præcipuis neceſſitatibus adiuuant ſub protectione Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Fuit hoc fœdus ſpiriale generaliter acceptum, & ſpeciali bulla à Sũmo Pontifice confirmatum, cuius bullæ procemium eſt: *Paſtoris æterni, qui pro gregis ſalute in ara Crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, de commiſſarum nobis ouium ſalute aſſiduè cogitantes, ea quæ ad fideliũ animarum ſalutem procurandam piè excogitata fuiſſe comperimus, paſtorali benignitate amplectimur, eoſdemque fideles ad ea exequenda indulgentiis & peccatorum remiſſionibus inuitamus, provt conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Dominicus de* IESV MARIA, *&c.*

Deinde concedit omnibus dictam ſpiritualem concordiam ingredientibus Apoſtolicam benedictionem: confeſſis & communicatis pro bono eiuſdem concordiæ progreſſu; ac neceſſitatibus eorum qui ſub ea comprehenduntur; ac ſimul orantibus pro exaltatione Sanctæ Eccleſiæ, pro hæreſum extirpatione, ac Principum Chriſtianorum pace; plenariam in die ingreſſus dat indulgentiam: Quam ſimiliter concedit applicandam animabus Purgatorij, iis qui prædicta faciunt: Ac tandem in articulo mortis ipſammet concedit indul-

 gentiam

gentiam plenariam dicentibus ore, vel ſaltem corde, ſi non poſſint ore, Iesvs Maria. Vt quis ad hanc ſpiritualem concordiam admittatur, non opus eſt vt ſcribatur; ſed ſufficit vt ipſa die confiteatur, communicet, & conſuetam fidei profeſſionem faciat ad finem iam indicatum:quam profeſſionem deinde bis in anno reiterabit:quòd ſi legere neſciat, deuotè ter aut quater recitabit ſymbolum Apoſtolorum ſemel ſaltem ſingulis menſibus confitebitur, & communicabit ad eundem finem. Singulis diebus quinquies *Pater noſter* recitabit, & ſemel *Salue Regina*,ad Beatiſſimam Virginem,pro quinque præcipuis neceſſitatibus Confratrũ,Chriſtianorum omnium, & totius mundi.

Prima eſt perſeuerantia & profectus Iuſtorum.

Secunda eſt conuerſio peccatorum.

Tertia eſt ſolatium afflictorum & laborantium.

Quarta eſt ad ſubſidium Agonizantium.

Quinta, ad refrigerium animarum Purgatorij.

Debet tandem quicquid boni fecerit,aut mali paſſus fuerit, ad huius concordiæ Confratrũ,ſeu viuentium adhuc,ſeu iam mortuorum vtilitatem offerre Deo; non tamen excludendo cæteros fideles Chriſtianos ab ordinaria participatione.

Sub hoc tempus agebatur in Germania de ſubſtituendo ſacri Imperij Electore in locum Comitis Palatini, qui tunc in pœnam rebellionis hac dignitate ſuiſque bonis fuerat ſpoliatus. Inſtabant hæretici Principes,vt filio Comitis cõferretur,aut alteri ſuæ ſectæ: Inſtat Pontifex, vt Catholico Duci Bauariæ conferatur; Ad hunc tanquam benè meritum inclinat Imperator, ſed ratione ſtatus differt, timens nouas imperij alterationes. Pontifex præuidens in tali dilatione detrimentum fidei, & credens ſe mediis Dominici litteris obtenturum ab Imperatore, quod ſua non tam facile poſſet authoritate, ad ipſum mittit ſuum ſecretarium Dominicum Agucchium in vigilia Natiuitatis, vt ſuo nomine Dominicum ad ſcribendum applicaret: ſcribit Dominicus tam fortiter & ſuauiter, vt Imperatorem omninò conuicerit ac impulerit.

pulerit. Creatus autem Dux Bauariæ Elector ſacri Imperij die 25. Februarij anno 1622. in generalibus Comitiis Ratiſbonæ (cuius dignitatis Imperator ſuis ei manibus inſignia tradit) ac ſimul declaratus Comes Palatinus maximas Dominico gratias agit epiſtolis, quem ſuæ promotionis præcipuum cognoſcit authorem: Sicut & Eliſabetha Lotharingiæ piiſſima Ducis vxor.

CAPVT VI.

Vadit Lodanum Dominicus ad Capitulum Generale.

CVrrebat annus 1623. & inſtabat tempus celebrandi capituli generalis in noſtro Lodanenſi conuentu, cui Dominicus aſſiſtere debebat, tanquam primus Definitor generalis. Accedit ad Pontificem, vt diſcedendi Româ facultatem poſtulet: Et quia Pontifici plurimùm erat acceptus, ac vrbi Romanæ neceſſarius, vix illam obtinet. Obtinet tamen, cum Pontifex eius profectionem neceſſariam ad bonum congregationis de Propaganda Fide iudicauerit: Eique diſcedenti Breue concedit, quo Principes ac Magnates hortatur, vt ſuis eleemoſynis ad tantum bonum concurrere valeant.

Obtenta Pontificis benedictione, Româ diſcedens, iter aggreditur, Radicofanium venit, ibique Dominam hoſpitij pleuritide lethaliter laborantem & à medico deſperatam inuenit. Ab ægræ cognato Antonio Bertolo rogatur Dominicus, vt illam & conſolationis, & ſanitatis conferendæ cauſa viſitet; inſtat ægra ſuum agnoſcens hoſpitem: nocte illa Pater ſuis precibus infirmam Deo commendat, mane ſequenti diſceſſurus illam viſitat, ſuamque impertitur benedictionem; & infirma ſtatim melius habuit, vixque pater vnum milliare confecerat, cum omninò ſana de lecto ſurrexit, vt authentico tam ipſius & cognati, quàm nobilis Hiſpani teſtimonio probatur.

In ciuitate Piſana ſuſcipitur honorificis beneuolentiæ ſignis

gnis à magna Hetruriæ Duciſſa & à Cardinali de Medicis, eiſque negotium congregationis de propaganda fide proponens duo millia aureorum obtinuit.

Maſſæ peramanter ac honorificantiſſimè à principibus excipitur. Duas ibi mulieres à dæmonibus obſeſſas liberat. Præmiſſa concione contra odium & inimicitias, plures familias mutuò reconciliat,& inueteratas lites ſedat. A Principe cum tota domo comitante ductus ad arcem Lauenzanam rogatur campos benedicere;benedicit, & benedictionis eius virtute maxima fructuum cauſatur vbertas.

Genuam triremi Ducis de Turſiș delatus, Apoſtolicum breue publicat: ſed non fuit tunc valde acceptum, dicebatur enim in illa ciuitate quàm plurima eſſe loca pia, & multas pauperum domus, quibus ſuſtentandis vix ciuium eleemoſinæ ſufficiebant: & quòd injuſtum erat ſubſtractas illis locis eleemoſynas Romam mittere, ſub ſpecioſo propagandæ fidei & conuerſionis infidelium titulo. Multa dicuntur ſimilia, quæ poterant alium à Dominico mouere: ſed vbi agitur de gloria Dei, & de animarum ſalute, zelus Dominici non cedit difficultatibus, imò creſcit earum acceſſu.

Et Deus ipſe nouis ſanctitatem eius prodigiis amplius manifeſtans, quàm plurium viſcera ad tam ſanctum opus à Dominico publicatum emolliit. Contigit enim, quòd in monaſterio S. Leonardi ſoror Innocentia Fliſca jam ab annis ſexdecim doloribus lapidis vexata, fluxionibus aliiſque incommoditatibus afflicta Dominicum vocauerit, qui condolens miſero ſtatui dolentis commendat illam imagini Beatiſſimæ Virginis, & bono jubet eſſe animo; confidit ipſa, & eodem die cœpit conualeſcere, & breui totaliter ſanatur. In eodem monaſterio prædicit alteri infirmæ breui fore morituram, & parata juxta prædictionem moritur. In monaſterio Annunciatę,Monialium vulgo Cærulearum, ſoror Maria Paula Vegeuana per tres annos in lecto neruis contracta ac penè immobilis decumbens ſubitò ſanatur à Dominico,

Dominico, quod ſine miraculo non potuiſſe fieri medicorum illius monaſterij teſtimonio comprobatur. Ad Dominicum in ſella geſtatoria defertur Ancilla Marci Antonij Scribani ciuis Genuenſis ob fluxionem genu altero capta, ſignat illam ſuo crucifixo Dominicus, breui ſanatur, & pedes domum redit non ſine ſtupore videntium.

Hæc prodigia accurato examine confirmata Dominicum venerabilem reddiderunt. Vnde ad eum videndum omnes accurrebant: & multi nobiles ac diuites mercatores copioſas obtulerunt ei eleemoſynas propagandæ fidei impendendas, ita vt admiratus Pontifex Dominicum vocaret Dominum diuitiarum Genuenſium: hac enim vice vnum & viginti millia aureorum Romam tulit.

Multi nobiles Dominicum vſque Lodanum conducunt, vt dulci ac cœleſti ejus conuerſatione fruantur. Ibi ſeptimum noſtræ congregationis capitulum generale celebratur, in quo V.P. Paulus Simon à IESV MARIA Genuenſis ex nobili Riuarola familia eligitur Præpoſitus Generalis, qui poſtea in aliis capitulis ſecundò & tertiò reeligitur ad idem officium, ob eximiam ſanctitatem, raram prudentiam, & inſignem doctrinam: hic V. Pater miſſus à Clemente VIII. ad Regem Perſidis, ibi noſtrorum miſſionem fundauit. In hoc capitulo noſter Dominicus in primi Definitoris generalis officio conformatur.

CAPVT VII.

Iuſſu Summi Pontificis Romam reuocatur Dominicus.

Diutiùs protrahebatur Lodani capitulum generale: quia noſtræ conſtitutiones ibi reuiſæ ac reformatæ fuerunt: ad quod præcipui congregationis ſuperiores deputati maturo examine plurimum temporis inſumpſerunt. Vnde Summus Pontifex Dominici preſſus deſiderio, per Cardinalem Melinum ſcriptis epiſtolis jubet ei reditum accelerare,

rare, quem, ſtatim obediens meditatur Dominicus.

Vbique mirabilia facit: Dum adhuc eſſet Lodani, plures ad eum conſolationis cauſa, & plures infirmi ſanitatis gratia continuò ex vicinis vrbibus & oppidis, imò nonnulli de longinquo properabant. Inter alios venit Bartholomæus Martinettus ex oppido Speciæ ad portum Veneris ſito, qui multis laborans infirmitatibus etiam naſum habebat corroſum: Audit à Dominico ſecretas iufirmitatum cauſas, apud eum generalem facit confeſſionem; ſignatur à Patre, & ab infirmitatibus, ac ſimul à deformitate vultus ſanatur.

Venit ad eum Lodanum Duciſſa de Turcis, vt deuotis eius colloquiis frui poſſet: commendat ipſius precibus aliquando Ducem tunc Meſſanæ exiſtentem; Reſpondit ei Pater, *Orabo pro Ioanne Andrea filio veſtro*; Paucis pòſt diebus auditur Ioannes Andreas grauiter laborare, & citò conualuit precibus Dominici, vt piè creditur. Sed & ipſa Duciſſa in graui quadam neceſſitate conſtituta, ſeipſam Dominico commendat; & ab illo audit quid velit, quid petat, & quid ſit obtentura: Hæc duo ſunt eiuſdem Duciſſæ authentico teſtimonio confirmata.

Genuam redit, ibique multa patrat prodigia. In monaſterio Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi ſoror Blanca Maria Spinola iam ab annis ſedecim febri pertinaci vexata, & à medicis derelicta, benedictione Dominici ſanatur, vt Mater Hieronyma Serra monaſterij Prioriſſa iuridicè interrogata teſtatur. In Monaſterio S. Marthæ ordinis Benedictini ſoror Maria Hyacintha Bazaglia jam à decem annis paralytica, ac frequenter horribili membrorum tremore quaſſata ſolo Dominici ſanatur imperio, quo præcipit in nomine Domini tremori ne redeat.

In eadem ciuitate Genuenſi duo principaliores erant nobiles, vnus ex domo Spinula, alter ex Grimalda, qui longas & mortales inuicem trahebant inimicitias: Vnum ex illis facilè ad reconciliationem inducit; ab altero bis repellitur; tandem ſancto zelo motus adit tertiò, exprobrat eius

erga

erga Deum ingratitudinem poſt tot beneficia, improperat eius infidelitatem erga B. Virginē, cui promiſerat ſe condonaturum inimico ſi conjux infirma conualeſceret, & tamen obtenta ipſi ſanitate promiſſis non ſtabat: Hæc vera & ſecreta audiens ille, Dominicum vt ſanctum veneratus, ſe diſpoſitioni ejus committit; vnde breui Pater duos nobiles prædictos, cum maxima ciuitatis totius ſatisfactione reconciliauit.

Pluribus aliis ſimilibus dimiſſis, ad aliud prodigium illuſtrius accedimus. Iacobus Rauaſchius & Pelagia conjuges filiam habebant nomine Catharinam à natiuitate mutam: jam puella ſeptimum attigerat annum, nec verbum, aut ſyllabam vllam protulerat vnquam; veniunt parentes ad noſtrum S. Annæ conuentum, Dominicum rogant, vt puellæ ſuccurrat ſua benedictione. Iubet Pater miſellæ os aperire, & facto ſuper linguam ſigno crucis, ob multitudinem præcipit vt puellam reducant in nomine Domini: non multò poſt cœpit puella nomen Mariæ clara voce pronuntiare, & deinceps locuta eſt æquè benè ac aliæ, cum ſumma omnium admiratione.

Secundum per epiſtolas nuntium recipit Dominicus, quòd Pontifex malè haberet & quòd ipſe citò Romam ſe transferret: ſtatim Genuâ diſcedit & properans ſub finem menſis Iunij peruenit in Vrbem, vigeſima octaua die ad oſculum pedum tendit, cuncta Pontifici relaturus quæ in executione Breuis Apoſtolici fecerat. Pontifex, qui tantum leuiter adhuc infirmabatur, ſummoperè viſo Dominico lætatur, ſeipſum eius orationibus commendat, & miratur quòd tantam pecuniarum ſummam Congregationi de propaganda fide acquiſierit.

Creſcente poſtmodum infirmitate, Pontifex confeſſionem generalem Dominico facit. Deinde dicit, ſecretum mentis aperiens, ſe decreuiſſe illum in prima promotione creare Cardinalem: quo dicto erubeſcit Dominicus, & interiùs turbatur, videns hoc humilitati ſui ſtatus, quem vouerat &

uerat & amabat, omninò contrariari: Rogat Summum Pontificem, vt de ſe non cogitet, & ad hanc dignitatem loco ſui promoueat Dominum Ioannis Baptiſtam Coccinum Venetum honoris huiuſmodi benè meritum: Rogat inſuper Dominum, ne talem ſui promotionem velit permittere.

Obtinuit Dominicus à Pontifice quod petierat, & ſimiliter à Deo. Quamvis enim ſpem aliquibus dediſſet, quòd Pontifex ex illa infirmitate euaderet, moritur tamen; non enim omnia quæ ſancti dicunt, vt à Deo reuelata debent accipi, ſi non vel vt talia in nomine Domini proferant, vel omninò quaſi futura pronuntient. Pontifex moribundus in Palatio Dominicum apud ſe retinet, vt in extremo mortis agone ſibi præſentia proſit, & præcibus adiuuet: Hoc igitur chriſtianæ charitatis officium Summo Pontifici amico fideli præſtitit, vt in extremis aſſiſteret, & animam Deo comm endaret.

Mortuo Gregorio X V. ſufficitur Vrbanus VIII. antea dictus Cardinalis Maphœus Barbarinus. Non defuerunt Cardinales, qui noſtrum Dominicum Pontificia dignitate indicauerint dignum: vnde in ſcrutinio quinque ſuffragia ad eum promouendum acceſſiſſe dicebatur; nec mirum, cum duo Pontifices immediatè præcedentes ipſum Cardinalem creare voluerint.

CAPVT VIII.

Vbique deſideratur Dominicus, & vbique mirabilia facit.

NVnquam ſanctitas in hoc ſeculo nequam caruit æmulis, plurimos paſſus eſt Dominicus, qui tamen extraordinario Pontificum erga ipſum affectu compellebantur tacere. Sed mortuo Gregorio XV. tam fideli eius amico; creditur Vrbanus, ſi non fore Dominico contrarius, futurus tamen non ita beneuolus: Et hunc per totam Europam

rumorem

rumorem ſparſerunt, vt ſic nocerent bono eius nomini. Exitus tamen probauit, quantum Vrbanus ipſe Dominicum amaret, ac ſimul veneraretur.

Hoc rumore præuenti Principes quamplurimi, qui Dominicum nouerant, facile crediderunt ipſum habere ac in propria curia ad ſui ſolatium retinere. Vnde quem priùs amicorum Pontificum authoritate detentum Romæ videre non poterant, ſaltem ad ſatietatem; nunc ſperant, Pontifice nec affecto nec curante, ſe continua eius poſſe frui præſentia.

Inter hos Principes præcipui ſunt Ferdinandus II. Imperator cum Eleonora Auguſta coniuge & filio Ferdinando nunc Imperatore huius nominis tertio: Maria Medicæa Chriſtianiſſimi Galliarum Regis mater Regina: Iſabella Clara Eugenia Belgij Principiſſa: Maximilianus Dux Bauariæ: Magna Hetruriæ Duciſſa; Dux Mantuæ: Et alij plures, ac etiam Reſpublica Genuenſis.

Sed præ cæteris inſtat Imperator: Iteratis enim epiſtolis, & medio Oratore ſuo Principe Sabellio Dominicum ſollicitat, & vbi reſciuit affectum Dominico Pontificem eius diſceſſum impedire, ipſum etiam Pontificem implorat. Reſpondet Pontifex Annum ſanctum inſtare, quo Romam ex vniuerſo confluunt orbe Peregrini; propterea ſe viris doctis & ſanctis Romæ tunc indigere, ad peregrinorum inſtructionem ac ædificationem: inter alios autem Dominicum quaſi præcipuum venerari. Ad ſolatium autem Imperatoris & Imperatricis ſcribit Dominicus, excuſans ſe quòd tunc illis obedire & ſatisfacere non poſſet, tum propter aliqualem indiſpoſitionem, tum quia Pontifex illum Romæ ad Annum ſanctum retinere volebat, tum quia ſeptuagenariæ ætatis debilitas tam longum iter diſſuadebat. Cum Imperator, tunc Dominicum impetrare non poſſet, maximas ad eum pecuniarum ſummas pauperibus erogandas tranſmiſit: ſicut & Archidux Leopoldus.

Dux Mantuæ tunc in morbum decidit: Hic ſingulari Do-

minicum obſeruantia proſequebatur, ideò bis ad eum è lecto ſcribit, vt ſibi laboranti ſuccurreret, & Mantuam venire dignaretur. Sed ob adductas rationes Pater ire non potuit, ſuis tamen epiſtolis illum confortauit.

Reſpublica Genuenſis bellum timebat, & ideò Dominicum velut præcipuum interceſſorem apud Deum & homines inuocabat ad auxilium. Sed quia non permittitur ire, & aliàs munificam ſibi Rempublicam diligebat, Crucifixum ſuum in bello Pragenſi victorem & glorioſum transmittit, vt in illa neceſſitate vel bellum auerteret, vel in bello iuuaret. Rex pacificus inter Catholicos pacem reſtituit & firmauit: qui ſicut fuerat à toto Senatu reuerenter exceptus, ſic eadem reuerentia in noſtro conuentu Genuenſi deponitur, Romam transferendus ad noſtrum conuentum Beatæ Mariæ de Victoria, in quo morabatur ordinariè Dominicus.

Contigit hoc tempore caſus mirabilis: Quædam Monialis Romæ deuotam habebat Beatiſſimæ Virginis imaginem, brachiis ſuis paruulum Ieſum forma ſpecioſiſſimum complectentis: Hæc in principio illum piè veneratur, ſed breui amore ſpirituali in ſenſitiuum mutato, tranſit in luxuriam deuotio; vnde laſciuis tactibus & oſculis puriſſimum Ieſum contaminare ac deturpare præſumpſit. Non diu patitur Deus puritatis hanc abominabilem impuritatem: Nam illa venerabilis Imago de cella Monialis miraculoſè tranſlata, Dominico in ſuo receſſu oranti mirabiliter offertur, & mirabiliùs dixit paruulus Ieſus; *Veni me tuis manibus committere*; *talis enim* (nominando Monialem & monaſterium vbi degebat) *me ſuis laſciuiis offendebat, & malè tractabat*; *Ad illam ibis vt corrigas, ad hoc vt emendetur & agat pœnitentiam.* Iuit Dominicus ad illud Monaſterium viſitaturus Monialem: illam induxit ad compunctionem, ac peccatorum confeſſionem, & poſtmodum Imaginem, ad Infantem Belgij Principiſſam miſit. Multas hoc anno 1624. Dominicus ſanitates operatus eſt: mulie-

rem

rem infirmam fluxu ſanguinis jam à duobus annis laborantem & in lecto decumbentem viſitat, cuius ſcapulare oſculando infirma, panni fila ſumens, fluxum ſiſtit, & breui ſanatur perfectè. Liberauit etiam diuerſos à Dæmonibus obſeſſos.

Dum die feſto omnium Sanctorum ad veſperam, & ſequenti die Defunctorum, prolixæ vacans orationi, Deo commendat animas fidelium in Purgatorio detentas, patitur ecſtaſes, in quibus multas videt animas ſuis interceſſionibus ab illis flammis erutas, in Angelorum comitatu, quæ partem noctis ac diei cum ipſo remanentes iucundam tranſegerunt ſocietatem.

Circa finem menſis Nouembris, dum Dominicus è noſtro conuentu Beatæ Mariæ de Scala egreditur, occurrit infœlici homini, qui cadens in magnam calamitatem ac ſimul deſperationem, voluit ſe pugionis ictu perimere: ſed cum percutiendo non ſe peremiſſet, mitiorem eligens mortem currit ad Tyberim vt ſe præcipitet: Verùm cum Patrem obuium intuitus fuiſſet, eius viſione compunctus, ac diuina motus inſpiratione, accedit ad eum, eiuſque precibus ſe commendat: Dominicus illum manu ſua ſignat in fronte, Deóque commendat; Et illicò ceſſat tentatio, apud Patrem miſer ille confitetur, & malorum remedium inuenit.

CAPVT IX.

In principio anni ſancti multa patitur Dominicus, & multos à Deo recipit fauores.

INcipit annus milleſimus ſexcenteſimus vigeſimus quintus, in quo Romæ Iubilæum aperta porta ſancta debebat intimari: vnde & Annus ſanctus dicebatur, ſicut & alij quibus regulare Iubilæum conceditur, ſcilicet centeſimus qui-

libet, vigeſimus quintus, quinquageſimus, & ſeptuageſimus quintus.

Conſiderat Dominicus hunc annum ſanctificandis animabus deſtinatum, tot temporalibus miſeriis obnoxium, vt potiùs infœlix annus quàm annus ſanctus foret dicendus, ſi rerum ſolummodò temporalium curſus attendatur. In Germania furebant hæretici: Galli & Hiſpani de valle Telina diſſidebant: Sabaudi & Genuenſes bellum ducebant. Et inſuper grauiſſima peſtis jam Siciliam percurrerat magno mortalium detrimento, jam regnum Neapolitanum inuaſerat, & graſſando toti minabatur Italiæ.

Videns hæc Dominicus, & inſuper graues aliquas neceſſitates noſtræ Religionis; cum aliàs omnis ejus intentio & omnia ſimiliter opera ad maiorem Dei gloriam dirigerentur, cui prædicta contrariari videbantur: die ac nocte maximis affligebatur anguſtiis, orationibus ac gemitibus Deum exorabat vt à fidelibus ſua flagella remoueret: flebat ſæpius, orabat aſſiduè, frequentes patiebatur ecſtaſes, quibus plurimùm debilitabatur.

Ipſa nocte conuerſionis S. Pauli, quæ titulus eſt Seminarij noſtri Romani, in quo manere ſolebat Dominicus, prædictas omnes neceſſitates, tam generales totius Eccleſiæ, quàm particulares noſtræ religionis Deo inceſſanter commendans, tanto cœpit angore premi, quòd vix reſpirare poſſet, vt ipſe ſuo dixit Confeſſori. Hunc angorem multis menſibus perſeuerantem tam grauis ſubſequitur infirmitas, vt infallibiliter moriturus crederetur: tantaque fluentium humorum inundat copia, vt maximas attulerit incommoditates, præſertim in vna coſta; ſupra quam tamen tribus horis inniti jacendo voluit, vt Dominicæ paſſionis fieret particeps.

Cum infirmitas aggrauaretur, multi ad eum deputantur Medici, cum omnes illum ſanum deſiderarent: nam præter

ter duos Conuentui tunc deſeruientes, venit Medicus Cardinalis Borgiæ, venit alius Principis Perreſti, venit & alius Summi Pontificis;qui tamen omnes poſt aliquam medicamentorum experientiam, moriturum Dominicum pronuntiant: Et ita futurum erat, ſi naturalis curſus infirmitatis attenderetur, lethalis enim erat, vt Deo reuelante didicit. Lætatur quidem Dominicus audiens Medicorum ſententiam, & ſperans ſe quantocyus Deo fruiturum: ſed audit interiùs, ſe tunc non eſſe moriturum, & laboribus multis adhuc pro Deo & Eccleſia ſufferendis diuinitùs conſeruari.

Cum jam mortis periculum euaſiſſet, & poſt ſumptum viaticum conualeſcere cœpiſſet, quadam nocte dicto matutino voluit communicare ad animæ ſolatium: dixit ei Angelus Cuſtos ſe ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eſſe allaturum; Reſpondet Pater hoc non eſſe neceſſarium, confidebat enim ſe poſſe ad Eccleſiam deſcendere: Replicat Angelus ipſum Dominum venturum, & communionem daturum; contradicit Dominicus, affirmans ſimilem gratiam non debere fieri ſeruo tam ingrato qualis ipſe erat, & quòd magna fieret ſibi miſericordia ab ipſo Domino, ſi ſibi permitteret in Eccleſiam deſcenſuro communionem recipere: Cumque de lecto vellet excedere, ſiſtit illum Angelus, & immobilem reddidit; non tamen deſiſtit ſeruus Dei rogare: vt ſeipſum dimittat liberum, quò tendat in Eccleſiam, non valens præ humilitate conſentire promiſſo communionis modo tam ſingulari. Victus Angelus humili contentione Dominici ipſum dimittit liberum, qui veſtes aſſumens dicto matutino deſcendit in Eccleſiam, de manu Patris Sacriſtæ ſacram recipit Euchariſtiam; tantaque celeritate & agilitate rediit in cellam, quòd eius Confeſſor ipſum ſequutus aſſequi non poſſet. Vt iterum decubuit, apparet ei Dominus magnam afferens conſolationem: Et inter alia ſic ait bonus Dominus; *Illam tuam cum Angelo contentionem libentiſſimè ſpectaui, maius eſt fidei meritum communicare per manum ſacerdotis quàm per manum Angeli.*

In hac infirmitate Dominicus multos à Deo fauores recepit, multas habuit cœleſtium viſiones: ac ſemel ei dixit Dominus, quod ex præſentibus ſuæ Religionis laboribus magnum eliceret bonum, & quòd ad eos citiùs extinguendos moneret Religioſos, vt quilibet attenderet ſibi ſupra ſuas actiones zelando, & laudabilem loquendi de Deo ac rebus ſpiritualibus conſuetudinem promoueret.

Confeſſarius Dominici negotium magni momenti rogatus à Magnatibus ſecretò expediebat, nihil enim Dominico dixerat: quadam die vocat illum Dominicus, corripit reuerenter de facto, circunſtantias omnes negotij illius explicat, actores agi paſſione affirmat, innocenti damnum inferri, & ideò negotiationem Deo diſplicere, & duos tales (quos nominat) diuinitùs breui puniendos; propterea injungit abſtinere ab hac negotiatione. Eius prædictionis veritatem ſubſequuta poſt paucas hebdomadas illorum mors demonſtrauit.

Die quinta Februarij S.Agathæ Virgini & Martyri ſacra Deo reuelante præuidit bellicum apparatum inter Gallos & Hiſpanos, ſucceſſum futurum, & authoritate Pontificis pacem ineundam: Iubetur admonere Pontificem, vt miſſo altioris authoritatis Legato duos Reges concordet. Hanc reuelationem P. N. Præpoſito Generali communicat Dominicus, cuius aſſenſu Pontificem adit, ſuadet vt ſuum nepotem Franciſcum Cardinalem Barberinum mitteret: quod & fecit magno vtriuſque coronæ bono.

CAPVT X.

Complet annum ſanctum Dominicus mira faciendo, & faciendo propter Deum.

LIber ab infirmitate Dominicus, reliquum anni ſancti in bonis erga proximum operibus inſumit: Audit accedentium

dentium confeſſiones,peregrinos excipit, omnes ſalutaribus monitis inſtruit,ſingulos cœleſtibus verbis conſolatur;maximus enim fidelium concurſus, non ſolùm Italorum, ſed etiam exterorum hoc tempore perſeuerauit; Cunctis namque vel ipſa facie,vel ſaltem fama notus erat Dominicus, vnde quærebatur ab omnibus.

Duos habuit præcipuos hoſpites aduenas peregrinos, Archiducem ſcilicet Leopoldum, & Principem Poloniæ. Primus viſitans Dominicum,ei confitetur, ab eo communionem recipit, & in noſtro communi refectorio cum religioſis prandet;qui poſtmodum recedens, intuitu Dominici duo millia aureorum pro conſtruenda S.Valentini eccleſia Patribus noſtris interamne liberaliter dedit. Secundus voluit de manu Dominici ſacrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo Scapulare ſibi, cæteriſque Comitibus ſuis Poloniæ ac Lithuaniæ nobilibus imponi.

Frater Cardinalis Riuarolæ Genuenſis diu cum vxore ſub legibus matrimonij vixerat, nullum tamen benedictionis & fœcunditatis illius fructum perceperat: fide plenus accedit ad Dominicum, ſe precibus ejus cum vxore commendat, confortatus à Dominico & confidens recedit, & anno ſequenti primogenitum habuit.

Adductus fuit vir quidam imaginationis læſæ ad Dominicum, qui ſtulta pertinacique obſtinatione manducare recuſabat; illum Dominicus Deo commendat, præcipit vt manducet,ſtatim manducat,& ab illa fatuitate penitùs liber ac ſanus remanet.

In monaſterio S.Sylueſtri in campo Martio,ſoror Angela Mariſcottia jam à decem menſibus infirma & debilis in lecto decumbens ſolo Dominici verbo ſanatur, quo ſurgere & ambulare præcipitur. In eodem monaſterio Sorori Gabrielæ Righiniæ, quæ à duobus menſibus Febri laborabat, præcipit vt mane ſequenti de lecto ſurgeret,& pro facienda communione in chorum iret; obediit, & ſtatim ſanata eſt.

Abſens etiam Dominicus mirabilia facit: Genuæ Duciſſa de Turſis abortum paſſa grauitér infirmabatur. Recordatà ſe particulam cappæ noſtri Dominici habere, reuerenter aſſumit, & applicat ſibi; ſtatim euaneſcit infirmitas, ac omninò ſana remanſit, quod ſine miraculo fieri non poſſe tres Medici celebres teſtãtur. Plura fecit ſimilia Dominicus toto Anni ſancti decurſu, tàm in ſanandis infirmis, quàm in energumenis liberandis. Dominicus de maiori gloria Dei, ac fidei Chriſtianæ exaltatione cogitans hoc anno ſancto ſupplicem libellum Summo Pontifici porrigit, quo diuinis & humanis ſimul rationibus ſuam Sanctitatem inducere conatur, vt bellum ſacrum ſub Cruciatæ nomine contra potentiſſimum Hoſtem fidei Turcam moueat; Tum ex parte Chriſtianorum, qui foris occupati contra Infideles in terris fidelium manerent inter ſè pacifici, & tot milites qui perturbabant Europam, inimicos Chriſtiani nominis ſubiugarent; Tum ex parte Turcarum, qui ſuas patiebantur diſſenſiones, & Rex Perſarum tam per Legatos quàm per epiſtolas mediis noſtris Religioſis miſſas, Principes Chriſtianos contra Turcam communem inimicum animabat; Tum ex fine belli, qui ad deſtruendos hoſtes Eccleſiæ, & ad recuperandam Terram ſanctam veſtigiis noſtræ redemptionis venerabilem reſpiciebat; Tum ex parte Sanctitatis ſuæ, quæ communiter à Chriſtianis Principibus dilecta, valetudinis firmæ, florentis adhuc ætatis, fœlicem huius ſacri belli exitum videre poterat, eiuſque expeditionem promouere. Vnde Pontificem rogat & hortatur in Domino, vt ſuum Prædeceſſorem etiam nomine Vrbanum II. in hac parte imitatus tam pium opus aggrediatur. Hunc libellum priùs obtulerat Dominicus Gregorio XV. qui morte præuentus non potuit ad mentem Dominici illud exequi quod optaſſet: Vrbanus ipſe libellum approbat, Patris deſiderium laudat; ſed tunc exurgentibus in Italia & alibi inter Chriſtianos Principes bellis, de bello ſacro contra Infideles cogitare non potuit. Non tamen Dominicus

cus præmio tam ſancti deſiderij caruit, maximè cum paratus eſſet etiam ad bellum illud ſacrum procedere, ſicut fecerat in Germania.

Voluit ſub hoc tempus patientiam Dominici Dominus experiri,& augere meritum. Adeſt Romæ congregatio Regularium,quæ ſolet Apoſtolica authoritate Conuentus Religioſorum viſitare, cum expedire judicauerit. Tunc noſtrum Beatæ Mariæ de Scala viſitare cœpit, & Superiores noſtros majores examinare; inter primos erat Dominicus, quaſi primus Definitor Generalis: Et quia mandato Pontificis in multis erat propter neceſſitatem ſingularis, multa ei objiciuntur, quæ noſtræ reformationi parùm conſentanea videbantur; vtpote quòd indiuiduum haberet ſocium, quòd pecunias penes ſe conſeruaret, quòd carnibus veſceretur, quòd iter agens lectica veheretur, & ſimilia quæ Pontifici dicta repelluntur, & vltra procedere dictæ Congregationi prohibuit Pontifex,ſciens Dominici ſanctitatem, & ſui Prædeceſſoris mandatum Dominico factum.

Nec tamen defuerunt aliqui ex noſtris, qui nimio zelo ducti apud Præpoſitum Generalem inſtarent, vt Dominico collectionem pecuniarum prohiberet, quam etſi Pontificis authoritate & juſto titulo fieri non dubitarent, judicabant tamen Religioni fore nocituram, cum ad eius exemplum poſſent alij Breue Apoſtolicum ad quid ſimile impetrare. Sed omnibus benè ponderatis,& viſa Pontificis voluntate, relinquitur Dominicus in ſuis ſanctis operibus; qui tamen ad remouendum paſſiuum ſcandalum infirmorum, Apoſtolicum Breue legendum aliquoties offerebat, vt ipſe vidi Romæ, quò veni anno ſequenti.

CAPVT XI.

Iterum vadit Lodanum Dominicus ad Capitulum Generale.

CVrrebat annus Domini M. D C. X X V I. quo celebrandum erat octauum Capitulum generale, Lodanenſis

nenſis conuentus huic celebritati fuerat deſtinatus : Et ipſe Dominicus , quaſi primus Religionis noſtræ Definitor generalis intereſſe debebat. Cumque Pontifex Romæ vellet habere Dominicum , opus fuit eius licentia , vt Pater Româ diſcedens Lodanum proficiſceretur : Licentiam concedit Pontifex , ſed limitatam ; præcipiens Dominico vt quantocyus Romam rediret.

Obtenta Pontificis licentia diſcedit Dominicus : Et quamuis multa rara in toto itinere contigerint, quia tamen ordinaria fuerunt Dominico, propterea dimiſſis illis Dominicum properantem properando deſcribimus. Sub initium hebdomadæ maioris venit Maſſam , ibi peramanter exceptus à Principibus , ad ipſorum conſolationem ad celebranda feſta Paſchalia remanere cogitur , timens maximè ne ſanctis illis diebus aut in aliquo oppidulo , aut in mari degere compelleretur.

In hac Paſſionis hebdomada voluit Dominus compatientem habere Dominicum, eiuſdemque Paſſionis ſuæ participem. Febris illum ardens corripit , & infirmus decumbere cogitur : Dum à Principibus aliiſque nobilibus inuiſitur , ipſe de infinito Dei amore erga creaturas ingratas diſſerens, tanto feruore ſpiritus accenditur,vt raptus in ecſtaſim penitùs immobilis,ac omnibus priuatus ſenſibus remanſerit. Aderat quidam P. Teatinus Concionator,qui videns Dominicũ diutiùs in ecſtaſi perſeuerantem ad vocem obedientiæ ſtatim ad ſe rediiſſe , Spiritum illum , quo mouebatur Dominicus, approbauit, & data occaſione publicè prædicauit.

Die Veneris ſancti ductus à Principe ad Eccleſiam S.Petri,reperit iuuenem filiam Bernardini Matthæi , quæ jam à quindecim annis ſine cruce & baculo incedere non poterat, ter enim aliquarum lateris coſtarum fractionem paſſa fuerat. Videns Dominicus aſtantium fidem , de manibus eius crucem amouet dicens ; *Surge filia , & vade in nomine Domini :* Cumque ſimul baculum amouiſſet , ſubitò reſtituit,dicens vt cum illo incederet ; Tunc ſurgens puella

cœpit

cœpit cum ſolo baculo incedere. Die Paſchatis ad Patrem rediit, qui baculum ab ea remouens dixit; *Vade filia liberè in nomine Domini:* Rediit illa domum ſuam omnino ſana, & abſque vllo adminiculo.

Plura alia fecit Dominicus Maſſæ prodigia, quæ Princeps authentica reddidit, & hic tantùm indicanda videntur, ne lectori faſtidium generent. Ioannes Alexander Vincentius à duobus jam menſibus variis doloribus preſſus ſolo Patris contactu ſanatur. Franciſca Bernardini propter fluxionem humorum ac neruorum contractionem ſine crucibus incedere non poterat, prouoluta ad pedes Dominici & apud eum confeſſa ab hac inueterata ſeptem annorum infirmitate, benedictione ipſius ſanatur. Andreas Angolinus à nouē annis claudus, & crucium incedens ſubſidio, Crucis ſigno ſanatur à Dominico. Benedicta Ioſepha triplici morbo laborabat, neruorum contractione, pertinaci catarro, & dolore ſtomachi; ac vnica Dominici benedictione à tribus illis perfectè ſanatur. Iſabella Chriſtophori cuiuſdam artificis vxor: & ſimiliter Angela Bartholomæi Gratiani vxor compreſſione ſtomachi à pluribus annis vix reſpirare poterat, & inde magnos dolores patiebatur: Et tamen vtraque Dominici benedictione ſanatur. Ioannes Franciſcus Principis Architectus ex alto cadens concuſſionem artuum patitur, & benedictione Dominici ſanatur. Dominica Nannia magnam tibiæ inflammationem, & conſequentes acutos cruciatus patiens oratione Dominici curatur. Filia Iacobi Colonnij dæmones ab anno cum dimidio obſidentes paſſa, liberatur à Dominico ſic imperante: *Ecce lignum Crucis, fugite partes aduerſæ.* Ioanna Fabricia Philippi Medicæi coniux ab vlcere pectus ipſius corrodente, Crucifixi tactu, & oratione Dominici poſt octo dies perfectæ ſanitati reſtituitur. Maria Santinia jam à ſex annis ægrota poſt inutilia remedia temporalia, Dominici precibus conualeſcit. Magdalena Balica ſeptuagenaria fluxionem humorum & neruorum contractionem patiens, innixa baculo & duarum

mulierum adiutorio venit ad Dominicum; à quo ſanata ſine baculo & tali adiutorio domum reuertitur. Tandem Albericus ipſe Princeps Maſſæ, cordis palpitatione laborabat, & tam grauiter aliquando, quod deliquij, vel etiam mortis immineret periculum: Et cum Medicorum arte ſanari non potuiſſet, oratione Dominici & tactu Crucifixi ſanatur.

Poſt feſta Paſchalia Dominicus Maſſâ diſcedit, ab ipſo Principe eiuſque filio comitatus ad mare Cymbam ingreditur, & breui ad portum Veneris delatus miſſum à Duce Turſenſi triremem inuenit, qua conſcenſa Genuam verſùs enauigat, vbi ſolito Magnatum totiuſque populi concurſu & applauſu recipitur.

Non multò poſt Lodanum tendit, vbi Capitulum generale celebratur. Eligitur Præpoſitus Generalis iam ſecundò propter eximia merita V.P. Matthias à S. Franciſco: & electo in primum Definitorem Generalem V. P. Paulo Simone à Ieſu Maria Exgenerali, noſter Dominicus eligitur ſecundus Definitor.

Contigit tunc, quòd Pater Procurator Generalis Genuam à matre ſua moribunda vocaretur: iudicant alij vocatum ire debere: reſiſtit Dominicus aſſerens Religionem præcipuam eſſe matrem, cuius negotia debent aliis omnibus præferri: Cumque ſubiunxiſſet; illum precibus inde matri ſuæ magis profuturum, ſi ſimul aliorum Patrum preces & ſacrificia coniungeret; Patrem perſuadet vt maneat.

CAPVT XII.

Æſtate tranſacta Dominicus Romam redit.

Fluito generali Capitulo Dominicus Romam redire meditatur: Genuam venit, iter ſuum proſequuturus. Tunc agebatur de munienda ciuitate, propter periculum belli

præterit

præteriti cum Gallis & Sabaudis : variæ tunc erant circa hoc opiniones;Quidam judicabant caſtrum eſſe conſtruendum,alij muros cum ſuis propugnaculis ſupra montes ciuitati prominentes eſſe ædificandos , alij dicebant nihil eſſe penitus innouandum : & ſinguli ſuas dictorum rationes adducebant. Et quia Dominicus velut Oraculum habebatur , ad ipſum omnes recurrunt : qui præmiſſa oratione reſpondit omninò conſtruendos eſſe illos muros , & efficaciſſimis rationibus confirmauit.

Tunc Dominicus epiſtolam à Domino Cardinali Borgia recepit , qua Summi Pontificis deſiderium intimabatur vt citò Romam rediret : non fuit hoc nuntium tam gratum Dominico, qui ſummoperè cupiebat in noſtro Genuenſi deſerto aliquantulùm immorári ; ſed vt obediat Pontifici ſe ſtatim accingit itineri,& ſine dubio diſceſſiſſet, niſi Genuenſis Senatus edicto publico prohibuiſſet, ne quis Dominicum vel mari , vel terra conduceret , vt ſic Genuæ remanere cogeretur , donec reſponſum Pontificis afferretur ; nobilis enim ille Senatus ſuæ Reipublicæ neceſſitates Dominici præſentiam exigentes Pontifici exponens , inſtanter ab eo petebat , vt ſibi tota æſtate concederetur.

Quia Duciſſa Parmæ Dominicum rogauerat, vt in tranſitu ad ipſam diuerteret ob graue negotium , de quo volebat ipſum conſulere, dum Pontificis expectatur reſponſum, veniam eundi Parmam obtinet hac conditione , quòd Genuam rediret,ſi Pontifex ipſis petitionem factam concederet.

Vbi Parmam Dominicus peruenit , etſi Dux ad ſuum Palatium conaretur eum allicere , voluit tamen in noſtro manere Conuentu,in quo Dux ipſe & Cardinalis Aldobrandinus ipſum viſitantes , negotium ad quod Pater fuerat vocatus, ipſo mediante ſic fœliciter concluſerunt , vt Duciſſæ ceſſarint querelæ. Die feſto B. Aloyſij Gonzagæ à Patribus

Societatis

Societatis inuitatus deuotam in eorum Eccleſia concionem habuit,& dicta miſſa innumeris penè fidelibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tradidit. Concionem etiam habuit in noſtra Eccleſia B. Mariæ Candidæ ſeu Albæ, vulgò *la Biancha*, vbi multa fecit prodigia: nam puellæ cæcæ à natiuitate lumen dedit: & Barbaræ Canaſinæ nobili Parmenſi Gabrielis Longi vxori jam à duobus annis contractæ neruis vſum membrorum reſtituit.

Ad inſtantiam Ducis Auriaci, Dux Paſtranæ Catholici Regis apud Summum Pontificem Orator, ab ipſo Pontifice ad ſolatium totius Reipublicæ Genuenſis obtinuerat,vt Dominicus æſtate illa Genuæ remaneret; de quo Dominicus ipſe & ab Oratore Catholico, & à Cardinale Mellino Religionis Protectore ſcriptis epiſtolis admonetur, quibus receptis Genuam rediens vniuerſali totius populi gratulatione recipitur.

Cum nouæ circa murorum ampliſſimorum conſtructionem ortæ fuiſſent difficultates,hac vſus occaſione Dominicus, ad noſtram S. Ioannis Baptiſtæ Eremum, viginti milliaribus Genua diſtantem,ſe recepit, vt in ſancta ſolitudine diuinorum ac cœleſtium contemplationi liberiùs vacaret, quorum ſiti ſuauiter ardebat, tunc præcipuè cum ſciret incolatus ſui ſuper terram finem accedere. Libenter ibi vſque ad mortem perſeueraſſet,& quantum potuit apud Summum Pontificem & Cardinalem Protectorem inſtitit: reſcribit Protector, Pontificem nolle talem licentiam concedere, ſed ipſum velle quantocyùs Romæ.

Dux Auriacus captiuum habebat Turcam nomine Haſſan, indolis bonæ juuenem, qui videns Dominicum ab ipſo Duce tanta reuerentia coli ac diligi, ſeipſum ei pro libertate temporali obtinenda commendauit. Dominicus ſpiritualem ipſius à lege Mahometis libertatem optabat; vnde ſuis precibus conuerſionem eius à Deo poſtulabat. Cum quadam die ad ſuſcipiendam fidem Chriſtianam eum fuiſſet exhortatus: reſpondit ille,quòd libertate donatus

tus, & inſpiratione Diuina vocatus, conſiliis ejus acquieſceret; non autem in ſua manens captiuitate, ne diceretur finxiſſe conuerſionem, vt acquireret libertatem. Diſceſſurus igitur Genua Dominicus, à Duce captiuum poſtulat, intentionem eius declarans; reſpondet Dux ipſum eſſe in ſua pertinacem impietate, cum à multis annis de fide Chriſtiana inſtructus ſemper obſtinatus reſtiterit: vrget Pater, exponendum eſſe captiuum vnum vt tentet ipſum ſaluum facere; ſubdit ſe in Domino ſperare, quòd viam ſalutis amplectetur. Dux audit & concedit captiuum Dominico; quem obtento libertatis chirographo, tanquam futurum ſpiritualem filium aſſumit, & ſecum Romam ducit. Cardinali Riuarolæ Romam proficiſcenti gratiſſimum fuit Dominicum conducere. Tandem Romam peruenit Dominicus, & Summi Pontificis aliorumque mira conſolatione ſuſcipitur. Ipſe jam Romam à die quarta menſis Octobris (quæ tunc vigilia erat S. M. N. Thereſiæ, cujus feſtum die quinta celebrabatur, cum modo die decimaquinta celebretur) in ſeminario manſurus adueneram, ibique venientem Dominicum primò vidi, & poſtmodum per duos annos cum dimidio ſancta eius conuerſatione frui datum eſt.

CAPVT XIII.

Mira facit Romæ Dominicus pro Dei gloria.

PRocurabat Haſſan Turcæ conuerſionem Dominicus: illum inſtruit, ad Chriſtianam fidem allicit, veritatem perſuadet, Deo cooperante, cui Dominicus ipſum efficaciſſimè commendauerat, præſertim quarta nocte poſt eius aduentum Romam, quam Pater duxit inſomnem: cum mane ſequenti determinaſſet illum ad noſtrum vocare Conuentum, vt pro conuerſione concludenda aggrederetur, ex improuiſo comparentem videt; vnde animatus cœpit cum illo de æterna ſalute diſſerere tam feruenter, quod in fine

X 8 diſcurſus

diſcurſus promiſerit ſe futurum eſſe Chriſtianum, non ſine magna Dominici lætitia: continuat ipſum Pater Deo ac Beatiſſimæ Virgini Mariæ de Victoria commendare, quò in bono perſeueret propoſito: cui Beatiſſima Virgo apparens dixit, ne dubites de baptiſmo Haſſan, cum enim tam bonam in domo mea reſolutionem fecerit, eius protectionem ſuſcipiam. Inſtructus debitè Catechumenus Dominica in Albis anno Domini 1627. in noſtra Eccleſia Beatæ Mariæ de Victoria baptizatur à Domino Boſchio Geraſenſi Epiſcopo Vicegerente: Patrinus fuit D. Cardinalis Borgias; Matrina verò Principiſſa Pertetti, & vocatur Ioannes Dominicus Borgias; Dominicus quidem à noſtro Dominico, Borgias autem à Cardinali Patrino, qui deinceps eum in ſuo Palatio retinuit. Aderant huic myſterio conuentus religioſi, & ego inter alios: Aderat ipſe Dominicus jubilo plenus, qui dum Neóphitum Deo commendat, videt dæmones vndequaque aduersùs eum irruentes, ſed protegente Maria recedere coacti propter accurſum cœleſtium Spirituum, ad pendentia Bohemorum vexilla conuolant, & Dominico inſultantes affirmant ſe mediis illis plures in infernum homines traxiſſe, quam poſſent Arihtmetici numerare.

Hoc anno 1627. Clerici Regulares dicti de ſcholis piis (quia mirabili charitate puellos pauperes prima docent tyrocinia, tam fidei quàm humaniorum litterarum, quibus chartam, calamos & atramentum ſubminiſtrant, & poſt quotidianam inſtructionem ad proprias domos maiori ſaltem ex parte reducunt) ſuum celebrant Capitulum generale, in quo proportionata ſtabiliendæ congregationi ſuæ ſtatuta condere debebant. Noſter Dominicus in inſtituenda tam pia religione venerabilem eius Fundatorem P. Ioſeph à Matre Dei, plurimùm & conſilio & authoritate iuuit, & contrarios diſertis verbis maledictos vocabat. Huic Capitulo aſſiſtebat ipſe Fundator, & quia Dominici prudentiam raram, ac in omnibus ſuperiorem lucem ſæpiùs fuerat expertus,

pertus, ipſum rogat vt aſſiſtere velit, & ſuis ſuffragiis facienda confirmare, cui Dominicus aſſentitur. Cum in reliquo habitu ſint Patribus Ieſuitis ſimiles, nudis tamen pedibus incedentes ſandalia noſtris ſimillima introduxerunt. Sub hoc tempus vnus illorum Nurciam ibat, in noſtro conuentu Peruſino receptus hoſpes cœpit febri & dolore capitis laborare, conceditur illi pileolus jam tritus, quo Dominicus aliàs vſus fuerat, ægrotus reuerenter ſuo capiti imponit, & ſtatim ſanatur.

Vt voto ſatisfaceret, quod emiſerat colendi quantum poſſet Imaginem Beatæ Mariæ de Victoria, curauit pauimentum capellæ majoris ipſi dicatæ ſterni marmore aliiſque pretioſioribus ac fulgidis lapidibus, & ipſis aſſiſtebat operariis. Die ſabbathi ſub veſperam, poſt cantatum *Salue Regina* coram aperta Beatiſſimæ Virginis Imagine miraculoſa, dum alij recedunt religioſi, remanens in capella Dominicus, in quodam mentis exceſſu vidit B. Virginem, S. Michaelem Archangelum, S. Franciſcum, S. M. N.. Thereſiam, ſanctum ſuum Angelum Cuſtodem ac Præcurſorem cum aliis pluribus ſanctis & Angelis, qui præ manibus habebant diuerſa capellæ ornamenta, quæ ipſe hac die mundari, ac elaborari procurauerat, vnde lætabundi ſequentes verſus decātarunt ſuauiter: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax Dominico bonæ voluntatis; Laudamus te bonæ voluntatis, benedicimus te bonæ voluntatis* &c. Hymno finito cœleſtes illi cantores Dominico dixerunt bonam eius voluntatē eſſe domum Dei; & quod propterea de tali fauore Deo gratias ageret, alioſque doceret vt in omnibus ſuis operibus viuidum haberent deſiderium infinitè Deo ac Matri eius ſanctiſſimæ complacendi, ipſoſque laudandi. Hic fauor cœleſtis Dominico fuit conceſſus die 2. menſis Octobris.

In die feſto omnium Sanctorum aliqualiter Dominico eorum beatitudine frui conceditur, dum ipſos in Empyreo videt Deum collaudantes. Similiter die ſequenti plures videt animas fidelium, quæ ſe de pœnis Purgatorij precibus

ipſius ereptas affirmantes, ſuo liberatori gratias agunt, & ad gloriam Paradiſi tranſeunt.

Anno Domini 1628. ſub initium Quadrageſimæ ad noſtrum Sanctæ Mariæ de Scala conuentum deſcendit, vt Definitorio Generali interſit: ibi repentina & periculoſa febri correptus diu laborat, imò creditur à Medicis moriturus, & à multis tam Principibus quàm Cardinalibus inuiſitur, præſertim à Nepote ſuæ Sanctitatis D. Franciſco Barberino, Magalottio, Columna, Borgia, & Mellino. Verùm reuelatione Virginis Deiparæ didicit, ſe adhuc ad bonum Religionis vſque ad Capitulum generale reſeruari, in quo ſanctæ leges ad obſeruantiæ rigorem erant condendæ. Conualeſcit igitur, ſed diutiùs manet debilis, cujus cauſam ſciſcitanti Confeſſario reſpondit in hæc verba: *Scias Pater, quòd toto vitæ tempore Dominus hunc mihi fauorem conceſſit, vt multorum animas viderem ad ipſarum vtilitatem ac ſpiritualem profectum: & quantò magis ætas ingraueſcit, eò Dominus Deus hunc ampliùs fauorem dilatat, nam maiorem earum video numerum, quarum puritatem, aut impuritatem, tanquam in vaſe cryſtallino clariſſimè repræſentatam intueor: unde videns aliquando deformitatem ac errorem aliquarum, quæ peccatis ſuis Deum expulerunt; & multarum in religione Diuino cultui addictarum imperfectiones; cum ſint plenæ propria voluntate, amore proprio, mundanis prætenſionibus, & aliis affectibus inordinatis, vix in ſeipſis angulum Domino relinquentes, ſic interiùs affligor, & viſcera conſumuntur, quòd conualeſcere non valeo nec priſtinas vires reſumere.*

In his afflictionibus grauiſſimis conſtitutum Dominicum ſæpiùs apparens Beatiſſima Virgo Deipara conſolatur: ſed præſertim nocte quadam apparuit, ſumma reſplendens gloria & pulchritudine, multá'que ei gratias ad ſalutem animarum concedens. Apparuerunt etiam & ſancti Angeli Tutelares, in multis ipſum inſtruentes; inter monita

verò

verò ſalutaria docent, vt procuret Religioſos opera ſingula ad gloriam Dei dirigere.

Plura tunc fecit prodigia: Terentiam mulierem Tiburtinam aurium ſurditate laborantem, & vix elata voce apud alterum cum ſecreti ac ſigilli periculo confitentem mirabiliter ad actum confeſſionis ſanat: nam ipſa apud Dominicum ſubmiſſa voce confitetur, & ipſum ſubmiſſè loquentem perſpicaci ſenſu audit. Dominus Achilles Vinereus Agens congregationis de propaganda fide pomum habens acceptum à Dominico, mittit illud ad Catharinam neptem ſuam febre laborantem, indicat cuius fuerit, iubet cum deuotione comedere; tribus continuis diebus comedit, & perfectè ſanatur. Et ipſe fatetur Achilles, ſe multis in occaſionibus mira patraſſe, vel cruce, vel roſario, vel aliis Dominici reliquiis.

Indefeſſus erat tunc ſeptuagenarius Dominicus in iuuandis animabus, licet admodum debilis: ſæpe confeſſiones audiebat, & tam diſtinctè peccata eorumque circunſtantias percipiebat, vt ad hoc miniſterium vti luce ſuperiori manifeſtè videretur.

Sic rigidus erat in ſeipſo mortificationis & obſeruantiæ Zelator, quòd eas pœnitentias ſupererogationis fideliter impleret, quæ ſolum à nouitiis aut iunioribus religioſis exigi ſolent. Eſt mos laudabilis in noſtra Religione quòd cuiuſlibet menſis initio, Sancti illius ſorte Religioſis diſtribuantur, vt ſub illorum protectione fœliciter procedant: cuilibet ſchedulæ peculiaris aliqua virtus, cum tot actibus eius eliciendis aſſignatur: apponitur etiam aliqua pœnitentia, in eorum honorem exercenda: & tandem aliqua vel publica, vel particularis neceſſitas proponitur; pro qua orandum eſt. Contigerat Dominico pro pœnitentia velamen oculorum ex panni particula: aſſumit illud Dominicus, velat oculos, ad veſperas pergit; & opus fuit authoritate Superioris, vt ab illa mortificatione deſiſteret.

Hoc tempore fulmen in cellam Dominici magno frago-

re decidet : ſed tamen Deo protegente,fideli ſeruo Dei non nocet , exteriorem tantum cellæ partem deformat. Non poſſumus aliud coniicere, quàm iratum Romæ cœlum velle Dominici mortem citò futuram indicare , & longiùs ab Vrbe ; tunc enim Dominicus ad finem vitæ perueniens in Germaniam deſtinabatur.

CAPVT XIV.

Aſſiſium Dominicus piæ peregrinationis cauſa proficiſcitur, & mira facit.

SEntiens Dominicus vires corporis deficere, iudicabat ſe iam reſolui , & finem exilij vitæ mortalis imminere : Voluit igitur ſe pia peregrinatione versùs Aſſiſium ad mortem diſponere , ſancta viſitans ibi loca , quæ ſanctus Franciſcus & S. Clara ſuis prodigiis conſecrauerant, quòd iam à multo tempore deſiderabat.

Facultatem obtinet à Summo Pontifice , qui ſimul præcipit vt non aliter aggrediatur iter quàm lectica vectus. Diſcedit Româ præſentibus ſeminarij noſtri Religioſis, ac fœlicem reditum exoptantibus ; inter præſentes ipſe aderam. Venit Interamnem , vbi per duos dies ad noſtrorum ſolatium commoratur : perfectam à Domino præparationem petiit , ſicut & ab ipſa Angelorum Regina , vt hæc ſancta loca dignè viſitaret.

Spoletum accedenti demonſtrantur deſertæ piorum eremitarum cellæ ; tunc ſolitudinis deſiderio ſuccenſus manſit velut in ecſtaſim raptus , & inde vſque Aſſiſium viſibilem ſuorum tutelarium Angelorum conuerſationem habuit. Vbi peruenit Aſſiſium , ſe magna luce circumfuſum intuetur, & obuiam habet Angelorum Reginam ; obuios etiam habuit S.Franciſcum , & S.Claram,cum eodem habitu ac forma , quibus in hac mortali vita conuerſati ſunt : ab illis ſingulari lætitia Dominicus excipitur, &

ad

ad proprias ipſorum Eccleſias, cæteraque deuotionis loca cum cœleſtibus collòquiis deducitur.

Aduentantem Dominicum hoſpitio ſui Palatij recipit D. Marcellus Creſcentius ciuitatis Epiſcopus, præmium hoſpitalitatis etiam in hac vita breui recepturus. Ad eum venit poſtridie P. Bartholomæus Fratrum Minorum Superior (quem poſt aliquot menſes in noſtro ſeminario Romæ Dominicus hoſpitem habuit:) Ipſum ad omnia deuotionis loca deducit, ſacros reliquiarum theſauros demonſtrat, & vbique comitatur, ſimulque perſeuerant cœleſtes comites.

Miſſam in Altari majore celebrat Dominicus: poſt communionem, occluſum aliis ſacellum illud ſubterranneum, in quo ſtat Venerabile corpus S. Franciſci, mentis acie penetrat, & cuncta in eo tam claré videt, vt aliis poſtea potuerit enarrare: eſt, inquit, fortis & paruus locus, ſacello potiùs quàm Eccleſiæ ſimilis, diues ſanctiſſimi Patriarchæ corpore, in quo nullum eſt corruptionis veſtigium, ſed recentia extant ſtigmata. Hac viſione mirabili ſic mouetur Dominicus, vt magnam ſanguinis copiam emiſerit ab ore: creditur ſacrum non poſſe perficere; perficit tamen, & multos communicat. Deinde in eodem altari concionem habuit, & duas à dæmonibus obſeſſas liberauit.

Poſtquam in his ſacris ſtationibus Aſſiſij per diem cum dimidio ſuam exercuit deuotionem, ad ciuitatem Peruſinam tranſit, vbi inter alias Sanctorum reliquias, ſacrum vidit Beatiſſimæ Virginis annulum, quo cum ſancto Ioſeph ſponſalia celebrauit: & ad completum Dominici ſolatium, eadem puriſſima Virgo ſimul cum ſancto Ioſeph ſponſo, ſe in imaginaria viſione manifeſtauit.

Diuerſis in locis concionatus eſt cum admirabili audientium vtilitate; & inter alios conuertit duos peccatores admodum obſtinatos in malo: ſequebatur ipſum infinitus populus; ſed cùm indiſcreta deuotione habitum ipſius ſcin-

deret, tanto mœrore premitur, quòd ſtatim inde voluerit diſcedere. Diſceſſum autem accelerauit adueniens nuntius Aſſiſio, referens qualiter Epiſcopus illius ciuitatis ad initium miſſæ deliquium paſſus velut mortus remanſerat, ac ſimul ſe commendans Patris orationibus. Dominicus breui ſpatio temporis intra ſe collectus Deum conſulit, & ſtatim nuntio reſpondens ait: *Euge fili, reuertere ad illuſtriſſimum Dominum, & dic ei meo nomine, quòd bono ſit animo, quia hoc nihil erit; cras ad veſperam ipſum videbo, & interim Deo meis precibus commendabo.* Medicis de ſalute Epiſcopis deſperantibus, redit nuntius eadem die, ipſique Epiſcopo & aliis domeſticis reſponſum Dominici refert, cujus veritatem exitus demonſtrauit: nam mane ſequenti reperitur à Medicis, abſque vllo morbi veſtigio, vt ipſi ſuo probarunt teſtimonio. Adueniens poſtea Dominicus ſumma cum lætitia ſuſcipitur ab Epiſcopo, qui Patrem amplexatus agit gratias quòd ipſum de morte ad vitam reduxerit; & coram aliis ſubjunxit, qualiter infirmus Romæ ejuſdem Patris viſitatione fuerit ſanatus.

Nocte illa in ſuo receſſu præparat ſe miſſæ, quam in Eccleſia Beatæ Mariæ de Angelis, ſiue de Portiuncula celebrare decreuerat: accedens illuc, cœleſtes ſuos comites videt, miſſam celebrat, concionatur, mulierem aliam à dæmonibus obſeſſam liberat, & Anum ſeptuagenariam ætate ac morbo proſtratam tactu ſui baculi priſtinæ ſaluti reſtituit.

Duo nobiles pij & ſeniores conueniunt Dominicum, & orant vt ſicut Romæ domum fœminarum pœnitentium inſtituerat, ſic & Aſſiſij procuraret inſtitui, ad ſalutem plurium animarum: agit Dominicus cum Epiſcopo & aliquot nobilibus, & negotium illud ad bonum ſtatum perducit.

Tandem Romam rediturus Aſſiſio diſcedit, & delicioſa cœleſtium comitum viſio diſparuit in eodem prorſùs loco, vbi venienti primùm apparuerat. Romam peruenit Dominicus, ſed fama volans eò præuenit, ſcriptis multorum

epiſtolis,

epiſtolis, qui facta per ipſum in illa peregrinatione prodigia referebant. Vnde nouo venerationis motiuo, tam à noſtris Religioſis, quàm ab aliis vniuerſaliter laudatus excipitur.

CAPVT XV.

Reuerſus Romam Dominicus in ſanctis operibus perſeuerat.

OPtauerat ſemper Dominicus, & præſertim in vltimis vitæ annis, ad eremiticum aliquem Conuentum recedere, vbi Deo ſibique totaliter vacans ſe morti præparare poſſet: ſed cum Deus illum elegiſſet tanquam inſtrumentum ſuæ dexteræ ad patranda multipliciter prodigia, ſe diuinæ conformat eius voluntati, ſuam ſatisfactionem Dei beneplacito poſtponit. Maximè poſtquam Summus Pontifex Vrbanus VIII. petenti facultatem eundi ad noſtram Genuenſem Eremum negauit, reſpondens ipſi: *Non volumus vt Genuam eat, ipſum Romæ volumus; quid faceret in eius abſentia Congregatio de propaganda fide? Quid domus pœnitentiæ? Quid pauperes iſtius ciuitatis?* Multa ſiquidem in elargiendis eleemoſynis fuit Dominici liberalitas prodigiis plena; tum quia plurimos Principes Chriſtianos in hac parte ſibi fecerat tributarios, vt pauperum neceſſitatibus ſuccurrere poſſet; Tum quia plus dediſſe quàm recepiſſe reperiebatur in computis, iuxta illud ſancti Patris dictum; *Semper habet vnde det, cui plenum eſt pectus charitate.*

Sub hoc tempus accidit, quòd domus pœnitentiæ à Dominico fundata periclitaretur; ſed ei ſuccurrit Dominicus. Eius inſtitutum eſt, vt lapſæ mulieres illùc pœnitentiæ cauſa recedentes, in vita ſæculari pia & honeſta, Domino deſeruiant: plures erant inter ipſas quæ maioris perfectionis deſiderio, & Confeſſariorum conſilio motæ, talem domum pœnitentium in conuentum conuerſarum Monia-

lium mutari procurabant. Pœnitentes ad Dominicum ſuum patrem recurrunt : Ipſe ad ſummum Pontificem accedit, cui tam efficaciter ac dilucide conuenientiam domus pœnitentiæ proponit; oſtendens multa Romæ Monialium eſſe Monaſteria, quibus poſſent attribui pœnitentes illæ, quæ vellent fieri religioſæ; & non eſſe aliam domum idoneam, in qua poſſint recipi pœnitentes, quibus Diuina vocatio ad ſtatum Religionis non ſuppetit; vnde hac domo in Monaſterium conuerſa remedium omne reſipiſcendi ab illis tolleretur. Suis rationibus Pontificem conuicit, qui non ſolùm illam domum intactam reliquit, ſed etiam ad inſtantiam Dominici Cardinalem Sancti Sixti Protectorem ei præfecit, expedito Breui, menſe Septembri huius anni.

Menſe Octobri in feſto S. M. N. Thereſiæ Dominicus raptum patitur, cuius ego fui teſtis oculatus. Solent noſtri Patres ad maiorem feſti celebritatem hac ſolum die Muſicos cum inſtrumentis vocare ad Miſſam & Veſperas ſolemniter decantandas. Poſt prandium plures conuenerant Religioſi tam conuentus noſtri Beatæ Mariæ de Scala : quàm Seminarii (feſtum enim cum hac ſolemnitate in primo ſolùm celebratur) in cubiculum ſatis amplum, conuenerant & aliqui ſæculares amici, & aderat Dominicus. Rogatur Pſaltes, vt canticum ſpirituale ſuo moduletur inſtrumento: cantat vnum pœnitentis animæ, in cuius repetitione Deum alloquens ait; *Licet ſim peior, ſerpente, ſed tu negare non potes, quin pretio tui ſanguinis ſim redempta*: ad hæc verba rapitur Dominicus in ecſtaſim, & per dimidiam circiter horam coram omnibus in ſede manet immobilis, ac vſu ſenſuum carens; elapſo hoc temporis ſpatio redit ad ſeipſum, & magnam ſanguinis copiam emittit ab ore, ac inde ſublatus ad cellam defertur.

In die Conceptionis immaculatæ Beatiſſimæ Virginis, dum eam in cella contemplatur, nubeculam rotundam ad ſe venientem intuetur; quæ paulatim expanſa contentam eandem Beatiſſimam Virginem exhibet, eiuſque viſione

ſua

ſuauiſſima fruitur Dominicus. Hanc apparitionem didici à Fratre Anaſtaſio à S. Franciſco, Dominici Comite indiuiduo, ac proinde ſecretorum ipſius participe.

Sub initium anni 1629. viſitans Eccleſiam S. Petri Apoſtoli in monte aureo, qui quondam Ianiculus dicebatur, & eſt pars Vaticani; & ſubterraneum eius martyrij locum ingreſſus, videt admodum pauperem, incultum & incommodum: condolet temporum malignitati, & vt erat Apoſtolorum Principi deuotus, decreuit ſua diligentia venerabilem locum marmore aliiſque lapidibus pretioſis exornare, ſicut priùs Eccleſiam ipſam exornauerat. Suum Cardinali Borgiæ decretum exponit, qui approbans expenſas promittit: ad Pontificem accedit, qui facultatem exornandi libenter concedens, Superiori conuentus illius Minoritarum præcepit, vt ſineret Dominicum hoc opus aggredi & perficere. Doctos adhibet Architectos, quibus ad huius operis maieſtatem apta dedit conſilia: duplices erigit gradus idoneos peregrinorum commoditati, nam alij deſcendentibus, aſcendentibus alij deſeruiunt: magnas aperit feneſtras, pauimenti lapides marmoreos tabulis cupreſſinis tegi curat, vt ipſis maior exhibeatur reuerentia cum traditione miraculis confirmata certum habentur, cruci S. Petri dum crucifigeretur ſuffuiſſe, eiuſque ſanguine pretioſo tinctos fuiſſe. Dum murus rumperetur ad ampliandam loci portam, inuentus eſt lapis marmoreus, pede craſſus, tribus longus, duobus latus cum hac inſcripſione.

Lapidem Apoſtolorum Principis Martyrio ſacrum,
Ferdinandus Hiſpaniarum Rex
& Iſabella Regina Catholica,
poſt erectam ab eis Sedem, poſuerunt;
Anno Salutis Chriſtianæ M. D. II.

Totum illud opus breui Dominicus perfecit, ſacellum incruſtans marmore candido, Agathis aliiſque verſicoloribus

ribus petris; Altare verò colomnis, coronide, & aliis ornamentis magnificum reliquiis eiuſdem S. Petri ditauit; quas Bruxellis à Principiſſa Belgij receperat.

Hac lapidum varietate martyrium S. Petri repræſentari curauit, hac inſcripſione ſuperaddita.

Hic mundus antiquiſſima traditione, & magno fidelium deuotorum concurſu, Principis Apoſtolorum martyrij locum veneratur.

Renouatus eſt anno Domini M. D C. X X I X.

Quandiu neceſſarius fuit operi Dominicus, benè habuit, poſtmodum in morbum incidit, quo decumbens viſitatur & à cœleſtibus, & à terrenis Principibus: inter alios acceſſit Dominus Cardinalis Barberinus nomine Pontificis.

Hoc anno 1629. ſub initium menſis Februarij profecturus ego in Perſidem, ad noſtrum acceſſi Dominicum, eius benedictionem petiturus, & auxilium impetraturus: Promiſit, vt iam ſupra dixi; quòd me adiuuaret in vita, in morte, & poſt mortem.

LIBER

LIBER SEPTIMVS VITÆ V.P. DOMINICI A IESV MARIA IN GERMANIA MORIENTIS.

PROLOGVS.

IAM cælo maturus erat Dominicus, illum cælites deſiderabant, quem mortalibus diu reliquerant. Bonum certamen certauit, curſum ſeptuaginta annorum conſummauit, fidem ſeruauit: in reliquo repoſita erat illi corona iuſtitiæ, quam voluit illi pretioſiſſimam reddere iuſtus iudex & miſericors pater. Plurimum Terra perdidit, cum Dominicum amiſit, ſed inſignem Paradiſus ciuem acquiſiuit: alios mortalibus prouiſit benefactores Dominus, dum vult Dominicum eripere, ac in cælis coronare. Liber hic iterum in Germaniam deducet Dominicum, pro gloria Dei & Eccleſiæ pace proficiſcentem, aut potiùs à Summo Pontifice Vrbano VIII. Legatum ad Imperatorem Ferdinandum, pro rebus Italiæ componendis; ipſum deſcribet laborantem ſtrenuè vſque ad mortem; vt legatio-

nis ſuæ finem obtineret, dimiſſis aliàs rationibus ſtatus, quæ alium à Dominico poterant in contrarium mouere. Tandem adducet ad lectum mortis, & in Cæſaris palatio, ipſo cum tota curia ſpectante morientem, aut potiùs ad meliorem vitam tranſeuntem exponet; cum pretioſa ſit mors Sanctorum, pretioſa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conſummatio, tanquam vitæ æternæ ianua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus; bona propter requiem, melior propter gloriæ nouitatem, optima propter beatitudinis ſecuritatem.

CAPVT I.

Imperator & Imperatrix aduentum Dominici in Germaniam procurant.

PRædixerat Dominicus ſe rediturum in Germaniam, & Viennæ moriturum: id audiuerant plures è noſtris Religioſis, audiuerant & alij, maximè Princeps ab Eggenberg: hæc Dominici prædictio reſonabat vbique, quam ipſæ Romæ didici priúſquam in Germaniam rediret. Verùm cum ex pluribus conjecturis breui moriturus crederetur, de veritate illius dubitabatur. Sed fidelis eſt Dominus, fidelis eſt Dominicus: complebit ille quod ſuo fideli ſeruo reuelauit, complebit iſte quod Germanis promiſit.

Accedebat tempus Capituli Generalis hoc anno 1629. poſt Paſcha celebrandi, quod ſummis expectabat votis. Diuina reuelatione didicerat vltimum fore, cui intereſſet. Illud Domino & Beatiſſimæ Virgini Reginæ Carmeli commendat; in illo namque plura ad bonum religionis ſtabilienda erant, quæ ipſe ante ſuam mortem ſtabilita videre

dere deſiderabat. Reſpondit aliquando ei oranti Beata Virgo: *Adero generali Capitulo, ſingulorum Patrum ſpiritum & piam deuotionem mea præſentia intendam, fouebo, illuſtrabo: Quoniam in Domino congregantur, non vt politica tractent, aut honores acquirant; ſed vt obſeruantiam Ordinis firment, ac leges ferant perfectiori obſequio Dei neceſſarias.*

Celebratur Capitulum Generale, & fuit nonum Congregationis.In ipſo jam tertiò eligitur Præpoſitus Generalis V. P.Ferdinandus à Sancta Maria, de quo ſupra: noſter Dominicus eligitur Primus Definitor;quamvis enim officia & dignitates refugeret, ſemper tamen ob eximiam ſanctitatem cum ſingulari prudentia & doctrina conjunctam,ad majores eligebatur; cum omnes crederent ipſum ſuperiori luce procedentem cunctos Religionis cœtus ſilluſtrare;acſua præſentia conſecrare.

Iam ab anno præterito propter mortem Ducis Mantuani, & circunſtantias occurrentes, de quibus ſequenti capite diſſeretur; Imperator bellum contra nouum Ducem mouerat, & Mons-ferratus Hiſpanicis cohortibus vexabatur. Noſter Dominicus, qui nullam nouerat rationem ſtatus, & illud ſolum approbabat, quod ad majorem Dei gloriam & Eccleſiæ exaltationem conducebat; ſcriptis efficacibus litteris ad Imperatorem, ipſum ab hoc bello remouere tentauit, vt certa relatione didici: cui inter alia dicebat, ſe in nomine Domini victoriam ſuæ majeſtati promiſiſſe quoties contra inimicos Eccleſiæ decertaret; nunc è contra in nomine Domini minabatur infortunia, ſi Principibus Catholicis bellum moueret:Et ipſe vidi,quantum hoc bellum Mantuanum illi diſpliceret.

Dominicum exoptabat Imperator, exoptabat Imperatrix Eleonora ad ſolatium animæ, & ad conſcientiæ directionem. Scriptis ad ipſum & ad Summum Pontificem epiſtolis, & adhibita Principis Sabellij Oratoris ſui negotiatione aduentum eius procurant. Et quia tam epiſtolæ, quàm

quàm Pontificis reſponſiones ſunt Dominico plurimùm honorificæ, hic apponentur.

Epiſtola Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris ad Vrbanum VIII. Summum Pontificem.

EAm modeſtiam, eamque integritatem, ac boni publici promouendi zelum in Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Patre honorabili, deuoto, nobis dilecto Fratre Dominico à Ieſu Maria, dum apud nos verſabatur, experti ſumus; vt nobis frequentior cum illo conuerſatio non minùs ſanè grata, quàm periucunda ſemper fuerit. Ipſius igitur mentem memoria habentes, cum intellexiſſemus viro, per aliquod tempus debiliorem valetudinem perpeſſo, ſuas corporis vires ad præſens ita reſtitutas eſſe, vt nihil periculi ſuperſit, quò minùs is longiori ſe itineri committere poſſit, ſingulare nobis ſubortum eſt deſiderium illius perſonæ iterum coram videndæ; tum vt nobis ipſiſmet veteris conuerſationis delectatione fruendi occaſio pateat; tum vt eiuſdem Religio hiſce in partibus haud exiguos progreſſus nacta, ex eiuſdem præſentia maiora incrementa & fortitudinis ſolatia ſumat. Hiſce itaque Sanctitatem veſtram quàm ſtudioſè rogatam volumus, vt cum ipſius ad nos redeundi facultatem à Sanctitatis veſtræ nutu dependeat, eam ipſi ſaltem ad certum tempus noſtri gratia paternè impertiri dignetur, prout Cæſareus noſter Orator ore tenus quoque hoc noſtrum Sanctitati veſtræ explicabit deſiderium, quibus interim eidem Sanctitati veſtræ filialis gratitudinis obſequia offerentes, vt à Diuino Numine in multos annos ſeruetur incolumis, flagitamus. Datum in Arce Walterſdorf die 25. Auguſti Anno 1629.

Sanctitatis Veſtræ

Obſequentiſſimus Filius

FERDINANDVS.

Epiſtola

Epiſtola Eleonoræ Imperatricis ad eundem Summum Pontificem.

NOn minùs eſt noſtrum, quàm ſacræ Cæſareæ Majeſtatis, Chariſſimi Domini & Coniugis noſtri deſiderium, vt ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Patrem honorabilem, deuotum, nobis dilectum Fratrem Dominicum à Ieſu Maria iterum coram videre: adeoque cum nos ipſa Religioſa & virtutum plena illius conuerſatione frui; tum etiam ſacer eiuſdem ordo præſentis viri inſignia integritatis & zeli exempla intuens & contemplans, tãto maiora de inſtituto ſuo proſequendo ſolatia haurire poſſit. Noſtras itaque p erenixas ad Sanctitatem veſtram ſubiungimus preces, dignetur nos hac quoque occaſione ſolita ſua paterna beneficentia proſequi, atque in deſideratam rogatamque dicti Patris Dominici huc veniendi licentiam benignè conſentire. Experietur Sanctitas veſtra continua pro collato gratiſſimo beneficio promerendo ſtudia, quæ numquam non diligentiſſimè teſtaturæ ſumus. Datum in Arce Walterſdorf die 25. Auguſti anno 1629.

Sanctitatis veſtræ

Obſequens Filia

ELEONORA.

Reſponſio Vrbani VIII. Summi Pontificis ad Ferdinandum II. Romanorum Imperatorem.

VRBANVS PAPA VIII.

Chariſſime in Chriſto Fili, Salutem.

RVdibus ornata veſtibus, nudiſque decora pedibus videtur religioſa paupertas in Cæſareis litteris triumphare, quo tanto ſtudio aduentum flagitant Dilecti Filij Dominici

à IESV

à IESV MARIA *Carmelitæ Diſcalceati: probè autem ſe noſſe declarat Majeſtas ſua, quibus excubiis munienda ſit, ac Imperij ſecuritas, & Imperatoris ſalus; dum eôs milites ad Aulam vocat: quos armet probata Chriſtianæ fidei lorica, atque anceps Diuini Verbi gladius: iis armis inſtructus cum eſſe dicatur Religioſus ille ſacerdos, libenter illum in Germaniam properare patimur, ſtatim ac tam longum iter ingredi ei valetudo permittet. Interim Majeſtati tuæ amantiſſimè benedicimus, atque illud Omnipotentis patrocinium noſtris quoque precibus tibi conciliare ſtudebimus, quod accuratè quærere videris; cum, quos ſacerdotes æterno Imperatori gratos eſſe credis, eos adeò arcta beneuolentia complecteris. Datum die 6. Octobris, Anno Domini 1629. Pontificatus noſtri ſeptimo.*

Reſponſio eiuſdem Summi Pontificis ad Eleonoram Imperatricem.

VRBANVS PAPA VIII.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtra, Salutem.

L*Audamus Sacræ Maieſtatis tuæ auaritiam, quæ per floridas Carmeli rupes tam accuratè quærit gemmas Sanctimoniæ ſplendoribus claras, & cœleſti virtute ſalutares. Dilecto Filio Dominico à Ieſu Maria Carmelitæ Diſcalceato, qui amplo deſiderabilis illius theſauri commeatu inſtructus eſſe dicitur, per nos in Germaniam reuerti licebit, vt primùm tam longo itineri ſe poterit committere. Vos autem ritè doceri videmini, quibus obſequiis colenda ſit grata cœleſtibus religioſa paupertas, cuius nudis pedibus ad Auguſtum Cæſareæ Maieſtatis Solium adeò humaniter aditum vltrò patefacitis. Cæterum ſperamus fore, vt exoptatus illius inſignis Sacerdotis aduentus, non minùs in Germania animarum ſalutem muniat quam ſolatia augeat Majeſtatis tuæ, cui amantiſſimè benedicimus. Datum Romæ die 6. Octobris, Anno Domini 1629. Pontificatus noſtri ſeptimo.*

CAPVT

CAPVT II.

Tandem Summus Pontifex concedit Imperatori Dominicum.

NOluiſſet Summus Pontifex dilecto priuari Dominico, tum propter ſingulare ſolatium animæ ſuæ, tum propter bonum commune Ciuitatis Romanæ;cum vix ad paucos dies eum ex vrbe diſcedere permitteret, vt ſupra dictum eſt.Nunc tandem victus Imperatoris pluribus inſtantiis, & pacis Italiæ ac totius orbis Chriſtiani tranquillitatis motiuo compulſus, non ſolùm in Germaniam ire ſinit Dominicum,ſed etiam vt Legatum Apoſtolicum mittit,ipſique ſuadet libenter illuç proficiſci; cum & gloriæ Dei, & Eccleſiæ vtilitati acceſſus eius ad Curiam Imperatoris plurimùm conduceret, ad terminandas ipſius Imperatoris ac Ducis Mantuæ difficiles admodum diſcordias.

Poſt mortem Ducis Mantuani remanet vnica filia Ducatus illius hæres. Ad conſeruationem familiæ nobilis Gonzagæ in illo Statu,quæritur ei maritus eiuſdem ſanguinis & nominis,& vocatur Dux Rethelenſis filius Ducis Niuernenſis:conſentientibus partibus,& obtenta Summi Pontificis diſpenſatione, matrimonium celebratur, & ratione illius nouus Dux tam Ducatus Mantuæ, quàm Montisferrati poſſeſſionem capit.

Non ita gratum Imperatori ac Regi Hiſpaniæ fuit matrimonium: cum enim nouus Dux eſſet natiuitate Gallus, ibique plures habens Ducatus,vt Niuernenſem, Rethelenſem,& Carolopolis; timuit Rex Hiſpaniæ,ne fortè aliquãdo occaſione illius infeſtaretur. Antiqua ſiquidem ineſt Gallis recuperandi Ducatus Mediolanenſis prætenſio; qui ex vtraque parte ſtatibus Mantuanis coarctatur,Ducatu ſcilicet Mantuæ versùs Cremonam, & Monteferrato versùs Valentiam: Et ex hac maximè parte timebat, quæ reſpicit Galliam, & in qua Caſalenſis arx fortiſſima poterat Gallis

ſemel Alpes ſuperantibus ſecuram præbere ſtationem. Hæc publicè dicebantur Romæ, dum anno præterito bellum Montisferrati cœpit.

Et quia ſtatus Mantuanus eſt feudum Imperiale, conqueritur Imperator de facta ſibi injuria, quod ſcilicet abſque inueſtitura ſacri Imperij nouus ille Dux talem ſtatum poſſideat. Rex Hiſpaniæ, cuius magis intereſſe videbatur, exercitum in Ducatu Mediolanenſi congregat, & anno præterito ſcilicet 1628. Caſalenſem Montisferrati Ciuitatem obſidet, cui fauet vnitus Dux Sabaudiæ: ſpes aderat fortiſſimam Arcem illam capiendi; quia Rex Galliæ, qui ſolus Duci Mantuano ſuccurrere poterat, in obſidione rebellis Rupellæ detinebatur, & priùs hyems ventura, quam Rupella capienda credebatur. Dux Niuernenſis Pater Ducis Mantuani, qui propter immaturam filij ætatem curam rerum ſumpſerat, poſt imploratam Regis Chriſtianiſſimi opem, quaſi cliens ipſius, acquiſitos ſtatus nouos munit, & aduersùs Hiſpanos defendit.

In principio menſis Nouembris Romæ reſonat capta Rupella; & paulò poſt Rex Galliæ triumphantem exercitum media hyeme tranſmittens in Italiam, & Alpium præſidiis Sabaudiæ munitarum difficultates ac niues ſuperans, obſidionem ſoluit Caſalenſem, & incruenta parcè vſus victoria, quietum relinquens Ducem Mantuanum, rediit in Galliam hæreticas ciuitates expugnaturus. Verum maius poſtea bellum exurgit, cum exercitus Imperialis Mantuam cœpit, & Hiſpanus Arcem Caſalenſem iterum obſidens ad extremitatem reduxit.

Voluerat à principio Pontifex Dominicum, ad componendum Imperatorem cum Duce Mantuano, Legatum Apoſtolicum mittere; ſed cadens Dominicus, & reincidens in morbum tunc ire non potuit: mittitur alius à Pontifice Legatus extraordinarius, qui re infecta redire cogitur. Captans igitur nunc Summus Pontifex occaſionem, mittit in Germaniam Dominicum, velut Angelum pacis, vt

arduum

arduum hoc negotium componat, & pacem Italiæ reſtituat.

Quamuis Summi Pontificis mandatum, vel etiam deſiderium Dominico ſufficeret, vt obediens alas optaret quò poſſet in Germaniam volare; licet aliud ſuaderent & ætas ſenilis, & debilitas corporis: ſubuenit tamen in mentem magnum quoddam prodigium quod annis præteritis in ditione Mantuana circa præſens bellum, quaſi præſagium illius ei acciderat, ſtatim enarrandum: hoc tanquam Dominicum aliàs volentem animat, & totaliter inducit vt in Germaniam pergat, mortem ibi reperturus, ſicut Diuina reuelatione didicerat, & ſæpius jam multis Religioſis prædixerat.

Prodigium illud ſic ab eius Confeſſario refertur. Dum ob negotia Ordinis, Prouinciam illam perluſtraret, in ecſtaſim abiit longiſſimam; & veſpere deductus in hoſpitium, cum appoſita cœnæ vidiſſet groſſiora quædam ceraſa, pallida quidem, ſed rubris inſperſa maculis, vehementer fleuit: cumque repentini fletus cauſam interrogatur, aliquandiu tacuit; ſociorum tamen coactus precibus, profundè ſuſpirat, & ait; ah, Fratres mei, hæc ceraſa nunc in memoriam reducta viuidè repræſentant ea, quæ aliàs in iſto itinere vidi; nam toto tempore, quo iuxta lacum ſpatioſum inceſſimus, indeſinenter ſuper me cœlitùs ſanguis decidit, cuius guttæ horum ceraſorum maculis ſimiles erant: pluuius ille ſanguis præfigurat crudelem huius patriæ deuaſtationem annis ſequentibus futuram, per Imperiales ac Gallos milites; & peſtem belli comitem quæ plurima conſumet hominum millia; cuius prædictionis veritatem exitus poſtmodùm demonſtrauit.

CAPVT III.

Dominicus Roma diſcedit, vt in Germaniam properet.

BOno ſtat animo Dominicus, & itineri ſe accingit factus obediens vſque ad mortem, Chriſtum imitatns: nec ætatis prouectæ debilitatem, nec imminentis moleſtias hyemis, nec prolixi labores itineris, nec tandem frequentia, quæ peregrinantibus occurrere ſolent, pericula formidat: in Domino confidens, ſe committit eius prouidentiæ, ac ſortes ſuas in manibus Dei ſui collocat.

Verum antequam Roma Dominicũ extrahamus, opus eſt enarrare quaſdam cœleſtium communicationes ipſi factas, & vt præſumitur hoc anno. Iam ſupra dictum eſt, qualiter in præcipuis anni ſolemnitatibus ipſa myſteria in illis celebrata repræſentabantur: ſuperius Dominicum reliquimus infirmum, at cæleſtibus conſolatum viſionibus. Dum orat in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, tres vidit fulgidiſſimas & pulcherrimas nubes in vnam ineffabili modo conuenientes; & audit cœlitùs his ſanctiſſimam Trinitatem repræſentari.

In die Sanctæ Mariæ Magdalenæ iacens præ infirmitate Dominicus, cœpit Domini clementiam erga peccatricem hanc contemplari; ipſius conuerſionem, lachrymas, merita & gloriam: Rapitur in ecſtaſim, ſe in cœlum efferri videt, occurrentem aſpicit Magdalenam cœleſtium laudibus exaltatam, & audit dicentem ſibi: *Scito, quòd in Empireo per totius anni curriculum Sanctorum omnium natalia, cum maxima ſolemnitate celebratur; & quòd Sancti ſinguli diebus ſibi dicatis Deum exorant, vt peccatoribus lethalis culpæ reis efficaciter auxiliari dignetur: ſed quia Deus peccatis Sacerdotum magis offenditur, me ſpecialiter pro conuerſione eorum oraturum fore promitto.*

Die ſeptima Auguſti S. Alberto noſtri ordinis dedicata, dum orat noctu, Beatiſſimam Virginem Angelorum &

Sanctorum,

Sanctorum, præſertim ipſius Alberti comitatu decoratam ad ſe venientem intuetur, & raptus in ecſtaſim diutiùs hac beatitudine frui potuit: ad ſe reuerſus, & de viſis interrogatus, quædam tantùm generalia dicere potuit; materialem ſcilicet iſtum Solem minimo Sancto collatum, videri caliginem obſcuram; Cœlites habere prærogatiuas & dotes nobis ignotas, noſtriſque vocibus inexplicabiles.

In Aſſumptione Beatiſſimæ Virginis, dum matutinis laudibus aſſiſteret, aduertit ipſam Virginem Deiparam ineffabili gloria fulgidam, & Cœlitum legionibus ſtipatam choro præſidere: & ad Religioſos canentes diuertens oculos, aduertit ſingulos ab Angelis cuſtodibus adiuuari, vt digniùs ac deuotiùs officio Diuino ſatisfacerent, & ipſorum communem Reginam laudarent.

Dum quadam die preſſus infirmitate de lecto ſurgere non poſſet, vt officio ſatisfaciat, Breuiarium aſſumit priuatim recitaturus; tunc videt Angelos ad ſe miſſos, vt in recitando adiuuarent. Voluit Dominicus ſe ad eorum pedes prouoluere, ſed in lectulo permanere iuſſus debuit alternatim cũ illis recitare. Cumque voluiſſet illis in munere digniori recitando deferre: reſponderunt ei, Sacerdotalem dignitatem Angelica maiorem eſſe. Tanta verò reuerentia recitabant Angeli, quòd de illis poſtea loquens Dominicus di-dixerit: Heu me Deus meus! Ecquis explicare valeat reuerentiam, deuotionem, & attentionem Angelorum laudes Diuinas canentium? Eſt mihi ſummæ confuſioni, & etiam inſtructioni illorum pietas, profundæ inclinationes, modeſtia & grauitas: loquimur enim Deo cum oramus, & illi magna cum reuerentia loqui debemus. Poſt abſolutum officium ſuos Dominicus alloquitur hoſpites, & interrogat quid debeant homines facere vt Deo maximè placeant? reſpondent nihil eſſe Deo gratius, quàm ſi ſemper in corde & in ore habeant hæc orationis Dominicæ verba; *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.*

Puellus quidam pulcherrimus delirio laborabat, &

dum compatiens Dominicus eius ſanitatem vult à Domino deprecari, videt Angelos & ſanctos puelli Patronos reſiſtentes, ac ſimul dicentes; *Non expedit animæ huius pueri, quòd ſanetur; permittitur hic morbus, ne malitia mutet intellectum eius, & ne fictio decipiat animam illius: ſi ſanetur, arbitrij libertate abutetur & damnabitur; ſufficit illi, quòd Angeli ſui Cuſtodis patrocinio commendetur.*

Quadam die tempeſtas horribilis accidit, tempore namque meridiano tam obſcuris nubibus cœlum erat obductum, quòd adveſperaſcere videretur: tunc crebris ignibus fulgurat aër, & continuo penè fragore tonat; & quod formidabilius erat, plura cadere fulmina audiebantur: ipſe qui cum aliis aderam in refectorio, nihil vnquam tale audiui. Dominicus exorciſmis adiurat dæmones tempeſtatis authores, ipſos videt furibundos, & tandem recedere coëgit.

Inſtabat Dominico tempus diſcedendi determinatum: cœpit non ſolùm itineri neceſſaria prouidere, ſed etiam de ſuis rebus diſponere, quod aliàs nunquam fecerat; at tunc diſcedebat non rediturus: multa præ manibus habebat pietatis negotia, multas conſeruabat pecunias pauperibus erogandas, & ſimilia tractabat quæ ante diſceſſum ſuum debuit componere.

Antequam itineri ſe committeret, Apoſtolica voluit benedictione muniri: vnde accedit ad Summum Pontificem, cui poſt pedum oſcula, Vale dicit, ſtatim Româ diſceſſurus. Illum Pontifex & multis beneuolentiæ ſignis excipit; & fœlicibus votis tandem dimittit in nomine Domini, quem proficiſcentem his litteris honorauit ad Imperatorem.

VRBANVS PAPA VIII.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ARma lucis ad profligandos dæmones, & muniendam Religionem deferet in præſentia ad triumphalem Imperatorem dilectus Filius religioſus ſacerdos Dominicus à IESV MARIA *Diſcalceatus, quem in Germaniam proficiſci ſinimus, coronatum ſcuto bonæ voluntatis. Non eget ſanè aliena commendatione apud Majeſtatem tuam Vir tibi gratiſſimus, cuius aduentum tam accuratis precibus Cæſarea pietas à Nobis impetrauit. Quare orabimus potiùs Omnipotentem, vt optata Regnorum tuorum fœlicitate, doceat Principes vniuerſos ſapienter publicis rationibus conſulere Regnatores, in quorum anima atque aula colitur ſanctitas mundi contemptrix, & voluntaria paupertate diues. Ab eo noua & luculenta accipies teſtimonia paternæ illius voluntatis, qua potiorem in nullo vnquam Pontifice deſiderare poteris, Princeps cœli patrocinio & terrarum plauſu triumphans, quem inter ornamenta Europæ, & fidei propugnaculagatus poſteritatis amor commemorabit. Datum in Caſtro Gandulphi Anno Domini 1629. Pontificatus noſtri ſeptimo.*

Præter has commendatitias litteras, inſtructionem à Pontifice Dominicus habuit de agendis apud Imperatorem. In his autem litteris dicit Pontifex Dominicum ire permiſſum in Germaniam,potiùs quàm à ſe Legatum;Tum complacentiæ titulo erga Imperatorem, cuius precibus conceſſum indicat Dominicum; Tum ſecretioris, ac proinde fœlicioris negotiationis motiuo, quæ ab his qui oderant pacem poterat impediri, ſi legatio Dominici fuiſſet publica. Imperator tamen ipſum excepit vt Legatum Pontificis, & hoc ſolo titulo voluit in ſuo Imperiali palatio ſemper hoſpitari, & moribundum retinere.

Iter ſuum Dominicus commendabat Domino, præſertim in Miſſæ ſacrificio, vbi aliquando coruſcabat tanto ſplendore vultus eius, vt ipſi reuerentiam & maieſtatem adderet, quaſi Solis iuſtitiæ claritatem, & aliqualiter eius gloriã participans, radios illius claritatis emitteret. Expeditis omnibus Roma diſcedit Anno 1629. die 22. menſis Octobris quæ eſt Octaua S. M. N. Thereſiæ.

CAPVT IV.

In Germaniam peruenit Dominicus, & vbique honorificentiſſimè ſuſcipitur.

TAnta celeritate progredientem inuenimus Dominicum, quòd ad inſtar Angelorum de extremo ad extremum Roma Viennam tranſiſſe videatur abſque eo quòd medium percurrerit. Vix ſcimus quà tranſierit, & paucis generalibus verbis magnum vbique eius applauſum, multa quæ patrauit prodigia, plurium actus virtutum quos exercuit, comites itineris indicant: hoc ideò, vel quia talia ſemper Dominico fuerunt ordinaria, vel quia plura deſcribere non potuerunt, vel quia nimium feſtinantes examinandi tempus non habuerunt; iuſſio enim Summi Pontificis vrgebat, quam verus obediens Dominicus tam promptè exequebatur, quòd vix ad comedendum vellet conſiſtere. Ni cæcus obedientiæ feruore fuiſſet, mentem Pontificis penetraſſet; qui ei diſcedenti (quamuis iniunxiſſet, vt cum omni diligentia Viennam perueniret) ſtrictiùs tamen præceperat, vt talem ſui curam in itinere haberet, qualem habiturus eſſet Perſonæ ſuæ Sanctitatis, ſi comitem viæ ſuſcepiſſet: cum in eius negotiatione concluſionem pacis Italiæ collocaſſet; vnde poſtremum Vale dicens, ait ei, *Speramus media tua prudentia & Sanctitate pacem obtinere*. Cum poſtea Dominicus ſe grauiter infirmum & moribundum vidit, ſcrupulis cœpit agitari, quòd prætermiſſo

termiſſo Pontificis mandato ſuam negligens ſanitatem, nimia fatigatione ventiſque frigidis alteratus ad hoc mortis periculum incidiſſet.

Cum in ſcriptis relationibus hæc pauca reperiſſem, quod ſcilicet in toto itinere non ſolùm magnus, ſed etiam prodigioſus fuit populorum concurſus, qui Dominicum de vno loco in alium progredientem comitabatur, & vbique reſonabant diuerſæ gratiæ quas eius interceſſione Dominus plurimis communicabat. His generalibus tantum & paucis verbis non contentus, ad R. P. Alexandrum à IESV MARIA, V. P. Dominici in hoc itinere comitem, & ad R. P. Paulum huius hiſtoriæ peritiſſimum in Germania commorantes ſcripſi, à quibus ſpeciales multas relationes obtinui; quas ſuis inſerui locis.

Vt igitur ab ipſis didici, Noſter Dominicus Roma diſcedens, prima die venit Braccianum, vbi Duciſſam de morte primogeniti plurimum afflictam conſolatus eſt. Secunda die venit Viterbum, quò accedens obuium habuit Nobilem à Gubernatore ciuitatis miſſum, ibique ſuſcipitur applauſu ſingulari: Die ſequenti in Eccleſia Cathedrali concionatur, vt ciuium precibus & populi ſatisfaceret deuotioni, cuius tam magnus fuit concurſus, vt vix Canonicorum opera V. Pater potuerit incolumis à turba præſeruari, comiteſque Religioſi penè ſuffocati extra Eccleſiam fuerint repulſi: cui in noſtrum Conuentum redeunti deuotionis cauſa multi partes habitus & cappæ tanquam pretioſas reliquias abſciderunt, vt talem deuoti populi concurſum vitaret, prima noctis hora Viterbo diſcedens ad Montem Faliſcum perrexit, & inde ad Aquam Caſcanam, vulgò Aquam-Pendentem, vbi à deuota ipſique piè affecta Domina nomine Damiana multiplici charitatis ſignificatione receptus, in hoſpitalitatis præmium ſanauit eius filium, qui maligna febre laborans deciderat in phrænesim, ita vt ligatus teneretur: vt illuc aduenit Dominicus, rogatur laboranti ſuccurrere, qui manus imponens capiti ſom-

num ſuauem & profundum ei conciliauit de quo poſtmodum æger excitatus, & ab illa phræneſi, & ab omni malo liber extitit. Cum aſcendit Radicofanium didicit defunctum hoſpitem, à quo fuerat aliàs liberaliter exceptus, propterea in ſignum grati animi tribus ante lucem horis voluit diſcedere, vt maturè perueniens ad hoſpitium Miſſam pro defuncti anima celebraret, quam deuotè celebrauit.

Senas ingreſſus, à Sereniſſimo Principe Matthia ſummo cum honore ſuſcipitur in palatium. Inde diſcedens Florentiam venit, vbi ſepulchrum Coſmæ magni Ducis viſitans Miſſam pro anima ipſius celebrauit: Deinde ad Curiam Principum veniens, maximo cum affectu ab ipſis excipitur, & præſertim à magna Duciſſa Imperatoris Sorore; veſpere Principem Franciſcum febre valida laborantem ſanauit. Florentiam relinquens, & Appenninos montes ſuperans petiit Bononiam, vbi ab Eminentiſſimo Cardinale Legato ad prandium inuitatur. Bononiâ petiit Ferrariam, vbi pari honore ab alio Eminentiſſimo Cardinale Legato Spada ſuſcipitur hoſpitio: ſed ſtatim poſt prandium iter accelerans Tridentum versùs perrexit. In hoc tractu plurima itineris incommoda paſſus eſt V. Pater admodùm ſenex in media hyeme, & in Regionibus plurimùm frigidis, quibus cooperabantur dæmones, qui lecticam qua vehebatur Pater, impingebant in arbores & ſaxa, præcipitabant in deuia, & in foſſas aquis plenas cadentibus mulis ac penè ſubmerſis coniiciebant, non ſine magno Dominici damno & periculo; vnde comitum auxilio liberatus, etſi cum omni ſupellectili totus madidus, dicebat, *Deo ſæpe gratias agamus*: cumque nimiùm afflicti aurigæ clamarent ſe centies illud iter abſque tot infortuniis egiſſe; placido vultu reſpondit illis Dominicus, *Nec mirum, quia nunquam tam inutile & malum pondus portaſtis.*

Cum dictis ſucceſſibus Tridentum adueniens, à Principe Madrucio Ciuitatis Epiſcopo, honorifico colligitur hoſpitio,

hoſpitio, & ſub veſperum ſacras ſancti Simeonis pueri à Iudæis occiſi reliquias viſitauit. Tridento perrexit Œnipontum, vbi magno populi concurſu & beneuolentia recipitur, quamuis Archidux abeſſet tunc in Alſatia reſidens. Huiuſmodi concurſus populi fuit ordinarius quacumque tranſibat Dominicus, ſiue per ciuitates, ſiue per oppida etiam exigua: ſed extraordinarius fuit Œniponti, vbi non ſolùm Venerabilis Patris, ſed etiam ſocij cappam abſcindens reliquias ſubripiebat; quibus reuerentiæ ſignis non extollebatur Dominicus, ſed humilior effectus excitabatur ad laudandum Dominum, & ſimilia dicebat eſſe ſignum fidei. Non tantùm morbis corporalibus, ſed etiam ſpiritualibus iter agens remedium attulit: multi namque peccatores eius Sanctitatis fama commoti ad eum currebant quacumque tranſibat, & apud eum confeſſione expiati ſalutis æternæ cupidi reuertebantur. De quatuor fit ſpecialis mentio, qui jam à quindecim annis & ampliùs in ſtatu peccati mortalis detinebantur, quorum duo ſeipſos dæmoni expreſſo tradiderant pacto; horum conuerſione lætus Pater ſociis dicebat, *Licet non ad aliud quàm ad huiuſmodi conuerſionem in noſtrum deſeruiret, adhuc eſſet vtile ac bene impenſum.*

In die Præſentationis Beatiſſimæ Virginis OEniponti ſecundo flumine viam proſequuntur: cumque veſpere ſocius eius dubium propoſuiſſet ſupra libellum de amore Dei diſſerentem, ſtatim rapitur in ecſtaſim, quæ duabus horis perdurauit admodum ipſi moleſta, propter nimium frigoris rigorem. Nec mirum, ſi data occaſione raptus fuerit: cum totus eſſet Seraphicus, & in continuo præſentiæ Dei actu interius ſic occuparetur, quòd licet aliquandò procuraret, non poſſet à dilecto Deo etiam ad momentum diſtrahi, cui habitualiter eius ſpiritus adhærebar.

Superatis tandem multis laboribus & periculis, cum nobili illo quem Imperator miſerat ad ipſum honorificè ac prouidè deducendum, Viennam Auſtriæ peruenit ad vltimum

mum ſuæ legationis & mortalis peregrinationis termi-num.

Ruri erant venationi vacantes Cæſarei Principes, ad-moniti poſtridie aduentum Dominici, ſcriptis ſtatim propria manu litteris congaudent & congratulantur. Imperatrix Dominicum videre deſiderans ſubitò Viennam rediit, & priùs ad noſtrum Conuentum quàm ad ſuum palatium venit: Imperatorem jamjam venturum aſſerit, ſéque quaſi filiam amantiſſimam & moræ impatientem præueniſſe.

Paulò poſt venit Imperator & Rex Hungariæ, qui Dominicum accurrentem in ipſa platea coram populo, velut immemores Cæſareæ majeſtatis, trino amplexu ſalutantes honorant, vt verificetur illud Pſalmiſtæ dictum; *Honorati ſunt amici tui Deus.* Aſcendunt ad Patris cellam, vbi magnis beneuolentiæ ſignis ipſum de itineris caſibus interrogant, laboribus eius & incommodis compatiuntur.

Volens Imperator continua Dominici præſentia frui ad ſolatium animæ & conſcientiæ directionem: & aliàs videns noſtrum Conuentum à ſuo diſtare palatio, rogat, aut potiùs compellit Dominicum vt ſecum habitet in palatio, & reſiſtenti ſignificat ibi liberiùs, ſecuriùs & quietiùs poſſe de negotiis agere, ad quæ pertractanda fuerat à Pontifice legatus, & vt talem apud ſe volebat hoſpitari: quamuis in noſtro Conuentu libentiùs remanſiſſet Dominicus, rationibus tamen Imperatoris conuictus, & à noſtris Patribus ſuaſus, voluit ei complacere, quo ſolùm indigebat ad obtinendam Italiæ pacem, quæ finis erat ſuæ legationis.

Die 22. Nouembris Dominicus Viennam attigerat, qua feſtum S. Cæciliæ celebratur, & die 6. Decembris S. Nicolao ſacra, ad palatium Imperiale tranſiit, vbi loco plurimùm honeſto & commodo receptus eſt; ipſum quotidie Imperator, Imperatrix, Rex Hungariæ, aliique Principes viſitabant, & mira perfundebantur verborum ipſius dulcedine, quæ vitam æternam ſapiebant.

Imperatrix ipſa tantum eſſe bonum judicat habere Do-

minicum

minicum, & tam eximium ſibi collatum fuiſſe beneficium, quòd maximas Summo Pontifici ſuo benefactori gratias ſcriptis literis agere voluerit, in quibus ſic ait,

Beatiſſime Pater. Poſt pedum oſcula &c.

SEcundùm cor noſtrum tributa nobis agnoſcimus Pontificia benficia, quibus Viri piiſſimi Sacerdotis Diſcalceati Dominici à Ieſu Maria præſentia perjucundè nos frui, & ſimul Apoſtolica, quã ipſe adfert & aſſerit, benedictionis dulcedine vberrimè beari concedit Sanctitas Veſtra. Sanè non optatiora nobis exiſtere potuiſſent deſideriorum noſtrorum ſolatia. Dignas itaque dum Sanctitati Veſtræ quàm diligentiſſimè agimus pro gratiſſimis donis gratias, eam certam eſſe cupimus, nullum nos prætermiſſuros tempus vel occaſionem, quibus hæc benefici in nos animi monimenta pro viribus promereri poſſimus. De cæterò autem, vt Venerabilem hunc Sacerdotem meritis ſinceri amoris, & beneuolentiæ noſtræ documentis proſequamur, veluti vnicæ ſemper curæ habebimus; ita paternam Sanctitatis Veſtræ voluntatem ſincero ejuſdem Sacerdotis de filiali noſtra deuotione teſtimonio vbique conſeruatum iri confidimus, quæ Sanctitati Veſtræ, vt in multos annos pro Eccleſiæ Catholicæ emolumento incolumis conſeruetur, ex animo cupimus. Datum Viennæ die 20. Decembris Anno 1629.

Sanctitatis Veſtræ

Obſequens Filia

ELEONORA.

CAPVT

CAPVT V.

Incipit Dominicus ſuam legationem, & pietatis vacat exercitiis.

QVamvis Dominicus jam lenta febri laboraret, quam ex incommodis viæ contraxerat, illam tamen omninò diſſimulabat; tum vt potiùs Imperatori conſolando, quàm ſibi curando vacaret; tum vt legationi ſuæ ſatisfaciens, ne momentum quidem temporis præteriret, quin bonum pacis Italiæ promoueret.

Vt diximus, Imperator quotidie Dominicum viſitabat, longos cum eo miſcebat ſermones de ſalute animæ ſuæ, de Imperio, de Catholica Religione, & de mediis ineundæ pacis in Italia, quam maximè deſiderabat Dominicus, & ad ipſam procurandam cum tot laboribus & difficultatibus venerat.

Iam vidimus, quomodo ſcriptis Romæ Imperatori litteris etiam minacibus in nomine Domini, pacem Italiæ cum Duce Mantuano ſollicitauerat: nunc præſens vehementiùs vrget, inſtat feruentiùs, & ſcriptam illam comminationem ex parte Dei confirmat verbis; quòd ſcilicet ipſum multa ſequerentur infortunia, ſi Principibus Catholicis bellum moueret; ſicut è contra fore cuncta ipſi proſpera ſi rebellibus hæreticis debellandis vacaret.

Omnes ad ſuadendum aptas rationes Imperatori magno ſpiritus feruore proponit; non tantùm Diuinas Religionis ſed etiam humanas quas vocant *Status*: dicit Mantuæ Ducem ſub Chriſtianiſſimi Galliæ Regis eſſe protectione, qui potens viribus, & in ſuo Regno pacificus hæreticis majori jam ex parte ſubjectis, clientem ſuum & amicum fideliter ſemper adjuuabit, cuius potentiam & fœlicitatem in ſoluenda Caſalenſis ciuitatis obſidione viderat Italia: ſubjungit melius eſſe nunc quieſcere, ne forſan hujus belli occaſione

quàm

quàmprimùm aliud ſuccedat, quod aliquando ſucceſſurum timetur, ſi bellum hoc ceſſet.

Motus Imperator tam rationibus Dominici, quàm deſiderio ſatisfaciendi piis ejus votis, *Et hoc maximè* (reſpondet triſtis) *vellem ipſe, ſed nolunt alÿ* (nominans eos, per quos ſtabat ne pax fieret:) non deſpondet tamen Dominicus animo, continuat principaliter apud Deum, deinde etiam apud alios hoc negotium promouere, quod ad majorem Dei gloriam ceſſurum fore judicabat, ſi poſſet tandem concludi.

Dum Miſſam celebraret Dominicus, Imperator, Imperatrix, totáque Curia cum ſumma deuotione aſſiſtebant. In die Conceptionis B. Virginis Mariæ communicauit Imperatricem, duas Principiſſas Imperatoris filias, & Dominas Curiæ, & poſt deuotum ac feruidum ſermonem, ſacrum B. Virginis de Monte Carmelo Scapulare tradidit iterum Imperatori, Imperatrici, Regi Hungariæ, aliiſque Principibus, qui illud tanquam ab Angelo receperunt.

Feſta Natiuitatis Domini cum ſpeciali ſenſu deuotionis celebrauit, & dulces cœlitum communicationes habuit, ac multos participauit fauores, vt in his diebus ſanctis ſolebat: Nec indiſpoſitio, nec continui dolores, qui perſeuerantes vſque ad mortem, ipſum vexabant, ejus ſpiritum debilitare potuerunt, qui duorum menſium ſpatio ſuſtentauit ipſum, & in reconciliandis Deo ac inſtruendis animabus, tam publicis quàm priuatis exhortationibus, in miniſtrandis ſacramentis, & in aliis operibus charitatis totaliter occupatum tenuit.

Ipſa die Natiuitatis, dum coram Auguſtis deuotè concionatur de ſacro illo myſterio, exponens verba Euangeliſtæ dicentis in perſona Angeli ad Paſtores; *Inuenietis Infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio:* rapitur in ecſtaſim, mirantur omnes & ædificantur, vocatur Confeſſarius qui ſuccurrat; is timens ne diuturnior raptus ſua violentia debilitatæ ſanitati noceat, authoritate ſibi commiſſa

præcipit

præcipit Dominico ad ſe redire, qui ſtatim obediens copiam ſanguinis ab ore dimittit, vt ſolebat: ac ſæpiùs repetit; *ô bonitas infinita! ô amor Dei infinitus!* Imperator autem videns mirabilem Dominici obedientiam exclamat; *ô virtus Obedientiæ, ô Obedientiæ meritum.*

Sub hoc tempus multa fecit prodigia: refertur duos homines à grauibus morbis liberaſſe: Hi cum ſuis debilitati morbis decumberent, nec ad Dominicum accedere poſſent; mittunt ad ipſum qui petens morbis remedium eius interceſſionem imploret. Dominicus incedere non valens, illos Deo commendat, & cum viſitare non poſſet, cuilibet ceram benedictam, vulgo *Agnum Dei* mittit. Vix miſſa per Dominicum hæc pietatis munera receperunt, & ſibi deuotè applicant, cum ſtatim ſe meliùs habere teſtantur, & breui temporis ſpatio penitùs ſanantur interceſſione Dominici, dum ipſe properat ad mortem.

CAPVT VI.

Infirmus ad mortem Dominicus, cupit diſſolui & eſſe cum Chriſto.

IAm, vt vidimus, à multo tempore Dominicus lenta febre laborabat, quam tamen ob adductas rationes contempſerat: nunc ingraueſcente morbo, ac penè exhauſtis viribus corporis, cogitur eius violentiæ cedere; cum hactenus reſtitiſſet, ne ab operibus pietatis & à celebrando abſtraheretur.

In die Purificationis Beatiſſimæ Virginis ægrè ad Altare procedens, ad honorem ipſius Deiparæ, qua ſolebat deuotione, celebrat: vix Miſſam finit, cum deliquium paſſus ac ſenſibus deſtitutus refertur ad lectum. Hoc repentino caſu ſummopere affligitur Imperator, qui Dominicum tenerè ac reuerenter diligebat, & vocatis ſtatim ſuis Medicis imperat, vt ſingularem Patri curam gerant, ac omnem diligen

diligentiam poſſibilem adhibeant, vt ei ſanitatem reſtituant.

Hæc audiens Dominicus apertè dixit infirmitatem ſuam à terrenis Medicis curari non poſſe; quamvis ipſe, vt Cæſareæ Majeſtati obediret, medicamentis locum daret, certus tamen quòd ipſi nullo modo prodeſſent: Et ita ſucceſſit; nam vſu medicamentorum nihil vtilitatis omninò, ſed magnum potiùs virium ſuarum detrimentum accepit. Vnde Medici mortalem pronuntiant ex tunc ejus infirmitatem.

Licet infirmitas eſſet grauiſſima, nunquam tamen de doloribus ejus conqueſtus eſt Dominicus: Dicere ſolebat; *Suntne hæc omnia mala neceſſaria, vt rem tam malam, qualis ego ſum, ex hoc mundo auferant?* Deinde conuerſus ad Medicum ait; *Ne timeas Domine, cum omni veritate mihi dicere periculoſum infirmitatis meæ ſtatum; quia non potes nuntium tantæ lætitiæ mihi dare, quàm meipſum certificare, quòd jam vicinus ſum accedere ad Dominum meum, ſpero enim per Chriſti merita ſaluari. Animam meam offero Creatori ſuo, corpus in terra remaneat: & quia pejus eſt carne coruorum, vnde ipſum non tangerent; illud lupis relinquo, qui ſub feneſtris huius cubiculi nutriuntur. Quòd ſi miſericordiam erga me velint exercere, deponant me in aliquo angulo; vt fideles illac tranſeuntes aſpergant aqua luſtrali. Noſtris filiis* (Imperatorem, Imperatricem, ac Cæſaream ſobolem intelligens,) *meam relinquo benedictionem. Hoc meum eſt teſtamentum. Suam ſupplico Cæſaream Majeſtatem, vt cum in extremis conſtitutus animam meo Creatori redditurus ero, muſicam cantari præcipiat, vt ipſe cum Angelis & Seraphinis cantans vadam ad laudandam ſemper Dominum, remoto jam omni periculo perdendi tantum bonum æternum. O bonitas Dei mei, pœnitet me vſque ad animam, quòd tam ingratus fuerim tuis miſericordiis.* Similia pietatis & humilitatis verba per aliquod temporis ſpatium Deo dicere continuauit, flens ipſe, & à circumſtantibus lachrymas deuotionis & teneritudinis exprimens.

Audiuerat hæc quidã è cubiculariis,& iam abibat ad Cæſarem audita relaturus: Cum R. P. Alexander à Ieſu Maria, qui propter eximia merita ſæpè poſtea fuit Prouinciæ Germanicæ Prouincialis,ad V. Patrem acceſſit, & interrogat; an ſeriò illa dixiſſet, & verè morti proximus eſſet: cui V. Pater reſpondet *Ne ſollicitus ſis, ſi moriturus fuero, præmonebo tempori.* Cui replicat ſocius: *Ego itaque huic V. R. promiſſio acquieſcam, ſecurus nequaquam me immonito moriturum*: ſubiungit Pater; *Omninò præmonebo.*

Ipſamet die Purificationis ſub veſperum cum Medicus mortem imminere crederet, nec illum in manè ſuperfuturum, admonet ipſum vt ſanctiſſimum corporis Chriſti viaticum ſumeret: Reſpondit Pater horam nondum adeſſe, ſuadentibus tamen acquieſcit. De hoc monitus Imperator, qui in mediis Imperij curis omnia quæ Dominicum concernebant, ſollicitè diſponebat, ſuis præcipit Ephœbis vt Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum facibus accenſis præirent & comitarentur: Ipſe verò cum Imperatrice, Rege Hungariæ, cæteriſque Principibus Cæſareis, in cubiculum Patris venerat illud expectaturus, ac deuotæ illi ceremoniæ adſtiturus.

Vt peruenit Sanctiſſimum Sacramentum, ſeruus Dei Dominicus eius præſentia commotus,libenter è lecto decidiſſet, vt illud proſtratus in terram adoraret, ni ſumma corporis infirmitas obſtitiſſet. Tunc poſt receptam Sacerdotis abſolutionem,ipſoque nonnihil ab altari iuſſo ſecedere, conuerſus ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, magna voce ac feruore mirabili exclamauit: *O Creatoris in creaturam charitas, qui mei tam ingrati reminiſcitur; eſto Domine benedictus in æternum: miſericordias Domini in æternum cantabo: miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.* Et adhuc vocem eleuans, non ſine adſtantium tremore ſubiunxit: *O amorem infinitum, qui in meorum vulnerum remedium tantum ſanguinis effudiſti! Eſto benedictus in æternum.* Deinde conuerſus ad Sanctiſſimam

Virginem,

Virginem, ei multa dixit affectus exceſſiui verba, ter replicans; *Virgo fidelis.* Denique poſt repetitos plures actus fidei, ſpei, contritionis, & ſimiles cum tanto humilitatis ſenſu, quòd circunſtântium corda emollierit, Euchariſtiam in viaticum excepit.

Sua Majeſtas Cæſarea, vt mundo daret humilitatis exemplum,& creditæ ſanctitatis ſerui Dei teſtimonium præberet,ereptum è ſocij manibus ablutionis vaſculum,ipſe ſua manu voluit genuflexus offerre Dominico renitenti. Recepto cœleſti viatico, cum affectu gratitudinis Cæſareas Majeſtates dimiſit, ſignificans eis nondum ſuæ mortis horam aduenisſe, ſuo tempore reuocandas: & ita ſolus remanſit, vt liberiùs Deo gratias ageret, quòd ſe moriturum viſitaſſet; ac ſe totum effudit in gratias, in vota, in ſuſpiria.

CAPVT VII.

Piè ac confidenter in Domino moritur Dominicus.

MAgis ac magis in dies, imò & in horas Dominici morbus ingraueſcebat,& mors maioribus,vt dicitur paſſibus accedebat. Vnde pius Imperator citò moriturum ſciens Dominicum, vt breui conceſſa ſibi frueretur ejus præſentia, ſi non ſemper ad lectum aſſiſtebat, frequenter tamen ipſum viſitabat. Die 3. Februarij,quæ fuit Dominica,præſentibus Imperatore,Imperatrice, ac filiis, V. Pater acceptam ab Illuſtriſſimo Comite Tillio reſignauit epiſtolam, indicem miſeriarum, quibus Catholici premebantur ab hoſte; referentem qualiter belli perſeuerantia vaſtaretur Italia; hiſque omnibus vnicum eſſe remedium ipſam pacem. Hac occaſione negotium ſuæ legationis vrgens, mouet Imperatorem, qui lecta epiſtola reſpondit,in eadem ſe eſſe opinione: ac ni miniſtri ſui viam compoſitioni aperirent, daturum ſe operam, vt ipſe quampiam inueniret.

Suæ Majeſtati gratias agit Pater de tam bona voluntate: poſtea ſubjungit; *Quem cenſet V. M. Illuſtriſſimum hunc Comitem? mihi certè charus eſt, non tam quia militiæ præclarus, quàm quod ſe Sanctiſſimæ Virginis clientem profitetur.* Ipſum ad imitationem Dominici laudauit Imperator. Tandem ad primorum Patrum noſtrorum encomia ſermonem diuerterunt, referente Dominico, quàm auidè mortem deſiderarent, & quàm inuitè vel minimam eius dilationem ferrent.

Die 4. cum pejus ſe haberet Dominicus, & exhauſtis jam viribus breui moriturus appareret, ſocius eum interrogat, an hæc eſſet ejus hora? Reſpondit, nondum adueniſſe, & ſuo tempore moniturum repromiſit. Cumque Medici judicaſſent conferendum eſſe ſacramentum Extremæ-vnctionis, vt ad ſupremum agonem præungeretur: & ſocius inquiſiuiſſet, an illud Sacramentum vellet recipere? Licet ipſe ſciret tempus nondum aduenïſſe, Medicis tamen obtemperandum dixit; & dimiſſis aliis remanens ſolus cum Confeſſore, ſe receptioni ejus præparat. Monitus Imperator huic ſacræ voluit aſſiſtere cæremoniæ: accurrit Ipſe, accurrunt Domini Cardinales Pallatus & Harrachius, accurrunt alij plures aulæ Principes. Cumque Domini Cardinales ſe libenter ad hanc functionem obtuliſſent: conſultiùs fore judicat Imperator, ſi juxta morem ac ritum Ordinis à P. Prouinciali ſacramentaliter inungeretur. Cum parata eſſent omnia, & ſuperueniſſet Imperatrix cum Rege Hungariæ cæteriſque Principibus ſanguinis; Dominicus ab illis omnibus cum multa ſubmiſſione veniam petit mali exempli, quod in his regionibus commoratus dederat: & idem fecit erga Superiores noſtræ Religionis. Vt ſacram Vnctionem recepit, hilari vultu circumſtantes dimittit, & intra ſe collectus gratias Deo reddit pro nouo hoc beneficio. Cum per ciuitatem rumor percrebuiſſet mori Dominicum, infinitus penè populus Nobilium, & Ciuium accurrit, vt poſſet eius morituri benedictione frui: Vnde toto

illo

illo veſpere debuit ianua cubiculi patere, & admiſſis præcipuis, voce debili benedixit Pater : nec aliud auditum eſt quàm *Deus benedicat*, *Deus benedicat*. Suauiùs Domino gratias agebat cum eum magis dolores affligerent, quos è manibus Domini miſericorditer datos agnoſcebat : In maiori ipſorum vehementia cum multa tranquillitate dicebat; *O qualiter Deus meus nouos cruciatuum modos nouit inuenire, vt ſuos exerceat ſeruos !*

Die 5. Februarij vix loqui poterat. Die 6, & 7. omninò voce aſtinuit : ſic erat tranquillus, ac ſi foret in ecſtaſim raptus: non loquebatur, nec videbat, nec ordinariè reſpirabat, ita quod inſenſibilis appareret; ſed vultum habebat ſpecioſum, & ad inſtar Seraphini accenſum.

Die 8. menſis quæ fuit Veneris, velut excitatus à graui ſomno, ſocium beneuolè ſalutat, eique dicit; *Pater mi, etiamnum viuo* : Videns cubicularium ibi præſentem, ait illi : *Velim Imperatorem adeat, eique debita reuerentia ſalutem à me deferat.* Nuntium tam jucundum audiens Imperator, maximè lætatur, & ſubitò cum Imperatrice ac Rege Hungariæ ad cubiculum Patris deſcendit, ipſum viſitaturus: Summam ex eius verbis capiunt omnes conſolationem, quæ ſpiritu pleno proferebat, non tanquam infirmus tot malis circumdatus, ſed velut homo cœleſtis è paradiſo reuerſus. Notatum eſt tunc & aliàs, quòd Imperator ſemper detecto capite Dominicum decumbentem alloquebatur: qui Dominici verbis aliquãdiù recreatus cum aliis receſſit.

Poſt aliquot horarum internam recollectionem, ſic Dominicus ſocium alloquitur : *Pater mi, ego iam vado, cras me ad cœlum dirigam*; volens his verbis ſignificare, vt ipſemet eidem poſtea indicauit, quòd ipſum Regina Angelorum eſſet die ſequenti viſitatura, quæ erat Sabbathum; & quòd non ampliùs cum vllo mortali, nec de aliqua re mortalis huius vitæ foret ipſe acturus. Propterea miſit ad Imperatorem, qui ſuo nomine Cæſaream ejus Majeſtatem ſuppliciter exoraret; vt pro hac vice dignaretur adhuc ſer-

 uum

uum ſuum pauperem infirmum viſitare, ac ſua honorare præſentia, cui vltimum Vale dicere volebat.

Condixerant ſuæ Majeſtates ad prandium in monaſterium, vulgò *Reginæ* dictum, & illuc iuerant: dumque miſſus ad eos feſtinat, V. Pater cœpit grauiùs laborare, & putatus eſt mori. Tunc P. Prouincialis ipſum interrogat, num ex hoc morbo foret moriturus? affirmauit, & ex tunc obligatam aliàs fidem de præmonendo liberauit. Deinde toti Religioni ſingulis ejus alumnis, & ſpecialiter Monaſteriis Prouinciæ Germanicæ, tam erectis quàm erigendis ſupremum bonum deprecatus eſt: nominatim etiam Archiduci Leopoldo fratri Imperatoris, Duci Bauariæ, Cardinali Borgiæ, Principi Maſſæ, Duci Auriaco, & pluribus aliis ſibi chariſſimis; quibus vltimum Vale dicens, vtramque ſalutem deprecatur.

Monitus Imperator ſtatim accurrit cum aliis Principibus, quos vt vidit Dominicus, ſic alloquitur: *Deo meo gratias ago cuius beneficio veſtro rurſus conſpectu potior: iam Domini mei, tam deſiderata venit hora diſcedendi ex hac vita: relinquendi mihi ſunt Filij mei chariſſimi, quos amaui ſemper plurimùm, & in æternum amabo; ſed migrandum eſt, & quò Deo placet eundum. Oportet igitur me ſeparari à meo Imperatore amantiſſimo, ſemper illius meminero; in æternum non obliuiſcar: ſed tamen cum ſic Deo placeat, libenter diſcedo. Pax ergo vobiſcum, Deus vos benedicat, eſtote ſemper benedicti.* Inter hæc verba ſæpiùs Imperatorem, & duos ejus filios amplectebatur. Tum ad filios verba conuertens ait; *O boni filij primum eſtote à Domino benedicti, deinde etiam morem gerite Patri veſtro, Deus vos cuſtodiat, vos autem optimum Patrem veſtrum.* Cuncti flebant præ teneritudine, & etiam Imperator quòd ſibi tam citò Dominicus eriperetur. Tandem moribundus ad Imperatorem conuerſus dixit: *Pro hoc ſtatu, in quo nunc ſum, peto & ſupplicor quantum poſſum ab ipſo rem quam ſummoperè deſidero, ſcilicet pacem Italiæ:*

cujus

cujus vel minima apparentia recreabatur; adeò vt Imperatrix diceret, pacem tantum eſſe conſtituendam, ſi ſanum P. Dominicum Cæſar vellet. Tunc Imperator benigno vultu ſe pacem facturum promiſit: ac dimidia circiter hora ſolus cum Patre contulit: & Dominicus plurimùm lætabatur, adinſtar S. M. N. Thereſiæ, quòd filius Eccleſiæ moretur, & in procuranda ejus pace.

Eadem die Veneris ſub veſperam petiit Dominicus, vt ſibi fieret commendatio animæ, quam fecit P. Prouincialis præſentibus Imperatore, Rege Hungariæ, prædictis Cardinalibus, multiſque Principibus; & ad ſingulas Dominicus orationes reſpondit. Deinde in gratiam ſpecialem à ſua Majeſtate petiit vt caneretur muſica. Reuerſus Imperator antequam cubitum iret, Dominico ait: *quomodo valet V. R.* cui ille, *jam bene me habet Deus meus, nouos mihi modos patiendi prouidit.* Replicat Imperator, *Ecquid præcipuè dolet.* Reſpondet Dominicus, *Totum corpus, luctari habeo ſicut Patriarcha Iacob, ſed benè vt ſpero luctabimur.* Quærenti Imperatori, quid hæc ſibi vellent, ſubjunxit: *videbitis; Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, erunt omnia ad Dei gloriam nondum ſumus mortui, patiemur equidem, verum miſericordias Domini in æternum cantabo.* Veritus Imperator, ne grauaretur infirmus, receſſit, & tunicam laneam induſio lineo præcepit Dominico mutari, qui ei Pontificis authoritate ſubdebatur, numquam verò linteamina admiſit. Illa nocte, ſicut & mane diei ſequentis, cum maxima tam mentis quàm corporis pace remanſit, non ſecus ac ſi dormiret ſuauiter.

Ipſa die 9. Februarij, quæ erat Sabbathum & octaua Purificationis, vix loqui poterat. Circa ſeptimam interrogatus ab Imperatore, quomodo valeret: reſpondit; *benè accinctus ad Domini voluntatem.* Solebat Crucifixum habere prope ſe, vt frequenter oſcularetur; cumque fuiſſet caſu repoſitus ad menſam, & P. Prouincialis quæſiiſſet de illo, vbinam haberet; *habeo*, inquit, *licet indignus, in medio*

centro cordis mei : cumque redditus decidiſſet, ait, *Ne meo me Chriſto ſpolietis.* Voluit tunc ſolus manere; vnde diſceſſit Imperator cum reliquis, & feneſtræ cubiculi velis obducuntur, ne luce ſolis incommodum patiatur infirmus.

Poſt prandium à meridie rediit Imperator ad Dominicum, quem in affectu & memoria continuò conſeruabat; vnde quandiu poterat cum ipſo morabatur: & videns candelam in loco ipſi oppoſito, quærit ab ipſo, num offenderetur eius lumine? cui Dominicus : *Minimè : hoc ego lumine non offendor, qui lumen illuſtrius vidi, quo mirè delectatus ſum : lumen cœleſte, lumen nobiliſſimum, lumen glorioſum; tantum ſplendorem, tantam lucem, tantam conſolationem.* Cum Imperator ſciret Dominicum Beatiſſimæ Virgini Mariæ valde deuotum, & cœleſtem audiſſet ab eo communicationem ſibi factam, confidenter ſubjunxit, *Fortaſſe vidit Sanctiſſimam Virginem? Omninò vidi*, ait infirmus; *eamque paruulum Ieſum brachiis complexam, vnde maximè recreatus ſum : glorificetur Dominus Deus ſemper, in ſæculum & in ſæculum ſæculi. O quales ſplendores, qualis decor! vnde hoc mihi peccatori, vt veniat mater Domini mei ad me? O fœlix nuntium, fœlix hora! ô dies dierum! quando ô Domina, quando aderit dies illa? Contentus ſum. O fœlix nuntium!* Acceſſit ſocius, & coram omnibus interrogat, quodnam ſit illud tam fœlix nuntium? Tunc Dominicus exclamat: *O Virgo fidelis; vnde hoc mihi! ô fœlix nuntium! vado Dominam meam viſurus. Ibimus; videbimus, videbimus; glorificetur Deus in æternum.* In his exclamationibus ſuauiſſimis reliquum diei ſabbathi inſumpſit, abſorptus omninò dulcedine cœleſtis apparitionis Beatiſſimæ Virginis. Interrogatus an Epiſcopo Viennenſi D. Cardinali Kleſelio ſalutem mitteret, & ab eo benedictionem cum indulgentiis peteret. Annuit: duo ex noſtris deputantur, quibus auditis Epiſcopus ſalutem Dominico reddit; fatetur ſe potiùs egere eius benedictione, quam tamen pro ſuo mu-

nere

nere mittit. In crepuſculo paululum vocem eleuans dixit circunſtantibus; *Tandem valete*:& quaſi mirabundus quòd cum tot doloribus non moreretur ſubjunxit; *nondum vado, nondum vado*; *nondum oculos clauſi*: & in latus ſe conuertens nihil amplius vſque ad mortem locutus eſt.

Per octo dies continuos manſit velut in ſomno valde placido: per totum hoc ſpatium nihil aliud agere viſus eſt, quam identidem oculos aperire, & aliquando gemitus ac ſuſpiria plurimum affectuoſa edere, tanto feruore ac charitatis incendio cum manifeſta vultus lætitia, quòd & religioſis, & ſæcularibus omnis generis, qui ſemper aderant plurimi, videretur non cum morte luctari, ſed cum Deo ſuo, vt prædixerat, eumque fortiter amplecti vt æterna benedictione bearetur.

Elapſis octo diebus Dominicus oculos ſuauiter aperiens, gyrauit eos in circunſtantes, & firmans præſertim ſupra Cæſareas Majeſtates, quaſi Valedicens & benedicens, ac poſtmodum eleuans in cœlum, ibique fixus fœliciter ſpiritum ſuo reddidit Creatori die 16. Februarij, ſabbatho, duabus horis ante mediam noctem, anno Domini 1630. ætatis ſuæ 71. cum admiratione Diuini Conſilij, quòd pauperem Carmelitam Diſcalceatum coram tot Principibus in mortem conduxerit, & cum æquali glorioſarum ejus virtutum præconio, quæ ipſum non ſolùm pedibus nudis, ſed etiam affectibus puris & immaculato ſpiritu inter coronas Cæſarum ad coronam gloriæ in Paradiſum tranſmiſerunt.

CAPVT VIII.

Dominicus poſt mortem apparuit, & honorificentiſſimè ſepelitur.

EO prorſus tempore quo Dominicus noſter Viennæ in Auſtria moritur, apparuit Romæ P. Petro à Matre Dei Senenſi, qui multis ipſum annis multiplici titulo fuerat comitatus, & vt comes peregrinationum indiuiduus, & vt ſe-

cretarius, & vt Confeſſor ordinarius, vt ſupra diximus. Hic propter infirmitatem Romæ manſerat, & in Germaniam proficiſcentem Dominicum ſequi non potuerat.

Cum igitur in noſtro ſeminario Beatæ Mariæ de Victoria jaceret infirmus, & ſe precibus N. Dominici (quem maximè diligebat velut authorem ſuæ conuerſionis ad ſtatum religioſum) inſtantiùs commendaret, vt ſibi peccatorum ſuorum contritionem & ſalutem æternam impetraret à Deo; ſciebat enim Dominicum adhuc viuentem ſpeciali priuilegio ſuccurrere iis qui ipſum inuocabant in ſpiritu: vidit glorioſam V. Patris animam, ſub ſpecie candidæ ac ſpecioſæ columbæ ter ſupra pectus ſuum volitãtem, & poſtmodum à pectore ad faciem ſuam aſcendentem, ac mirabiliter alis ſeipſum recreantem: audit ſibi dicentem, ne dubitaret quòd citiùs ſaluaretur. Tentauit infirmus columbam apprehendere, ſed fruſtra laborauit. In ipſo tamen remanſerunt effectus hujus claræ apparitionis, magna ſcilicet certitudo quòd quàmprimum ſequeretur Dominicum ad gloriam, & lætitia ac extraordinaria tranquillitas ſpiritus, cum qua poſt paucos dies moritur, directos ac fixos habens oculos ad imaginem noſtri Dominici, quam Superiorum mandato conſeruabat in cella.

Aliæ referuntur Dominici poſt mortem apparitiones; ſed hic omittuntur, quia non ſic accuratæ fuerunt examinatæ: Prior illa fuit ab ipſomet infirmo P. Petro coram P.N. Ferdinando à Sancta Maria Præpoſito Generali, & R. P. Aloyſio à S. Ioſeph tunc Priore conuentus Sanctæ Mariæ de Victoria cum debitis circunſtantiis confirmata.

Remanſit corpus V. P. Dominici cum tanta pulchritudine ac compoſitione quòd magam intuentibus conſolationem afferret: & ſua Majeſtas Cæſarea deuotionis cauſa baculo Patris aſſumpto cum ſenſu doloris ex illa morte prouenientis, æquali maximo amori, quo ipſum proſequebatur: afflixit enim ea mors Imperatorem non minus, vt ipſemet affirmauit, ac ſuorum parentum occaſus.

Paratur

Paratur corpus illud venerabile ad ſepulturam, & nouo Religionis induitur habitu, cum Imperator ſuæ Majeſtati antiquum quaſi pretioſas conſeruari reliquias præcepiſſet. Imperauit etiam per nobiliſſimum Pictorem ipſius Imaginem depingi, ad perpetuam tanti Viri memoriam.

Dominica manè juſſit Imperator corpus venerabile ad Imperiale Sacellum deferri, vt ibi decenter expoſitum, ac per feneſtras valdè latas inſpectum publico videndi deſiderio & deuotioni ſatisfaceret. Sed propter vniuerſalem ſanctitatis ipſius opinionem, & propter miraculoſam vt credebatur illius pulchritudinem, tanto populus irruit impetu, quod oſtio Sacelli confracto, fruſtra reſiſtente cuſtodia Imperiali confluxerit intus pia multitudo velut torrens inundás, vt corpus illud oſcularetur, & ſuis tangeret roſariis.

Iterum deſcendit Imperator cum Rege Hungariæ, multiſque Principibus Curiæ, quò venerabile corpus venerarentur, & tantam Majeſtatem inclinans ac prope defunctum genuflexus, cum humilitate manus eius ac pedes oſculatur, & exemplo tam efficaci reliquos Principes in idem obſequium pietatis induxit.

Poſt prandium, cum ſua Majeſtas Cæſarea ſimilem venerationem Defuncto exhibuiſſet, ad eius cubiculum ingreditur & aſſumptum eius habitum ac ſandalia, velut reliquias oſculatur dicens ſe vt tales velle ſuæ deuotioni reſeruare. Cappa Sereniſſimæ Belgij Principiſſæ deſtinatur: reliqua verò quouis modo ad eum attinentia rapiuntur à Curiæ Principibus. Reſiduum diei Dominicæ populi conceditur deuotioni, qui genuflexus manus, pedeſque Patris oſculabatur; nec tantum Catholici, verùm etiam Hæretici deuotionis obſequium erga Dominicum exhibebant, tanta fuit Sanctitatis eius efficacia.

Die Lunæ copioſæ pro defuncto celebrantur Miſſæ, & duæ maiores decantatæ; vna pro Defunctis, cui interfuit Imperatrix cum Archiducibus; altera de Beatiſſima Virgine, vt moris eſt in Germania & ſub vſperum venerabile corpus

pus ad noſtrum Carmelitarum Diſcalceatorum Conuentum generali proceſſione ſtatim deſcribenda portatur. Imperator ipſe, Rex Hungariæ, cæterique Principes ſanguinis curru vecti præueniunt in Conuentum, vt honorificè corpus in Eccleſiâ noſtra reciperent, eodem volentes honore mortuum proſequi, quo viuentem fuerant proſequuti.

In hac generali proceſſione cœperunt ſingulæ Religiones longo ac deuoto ordine, juxta propriam antiquitatem incedere: Deinde totus ac copioſus Clerus in varias ſeries diſtinctus ſequebatur: Succedebat Imperialis Sacelli muſica, canens triſtiùs ad mortem Patris: ſpeciali Imperatoris præcepto noſtri Diſcalceati procedebant immediatè, ex quibus octo venerabile Corpus deferebant, Ephœbis ſuæ Majeſtatis numero duodecim circundatum, qui præclaris facibus inſtructi reuerenter illuſtrabant: Exinde ſatellites Cæſarei, Conſiliarij ſecreti, ac præcipui Nobiles comitabantur: ac tandem immenſus penè populus vtriuſque ſexus proceſſionem terminabat, præter eos qui è domorum feneſtris aſpiciebant; & omnes nudato capite corpus Dominici venerabantur, & ipſum Sanctum Carmelitam Diſcalceatum aſſiduè proclamabant: interim omnes ciuitatis campanæ ſonantes lugubre, mortuum deflebant.

Denique tanta fuit funebris ſolemnitas, quòd Dominus Kleſelius Epiſcop. Viennenſis, ac S. R. E. Cardinalis diceret, non fuiſſe inferiorē ea, qua Matthias Imperator fuit ſepultus.

Vt Corpus venerabile fuit illatum Eccleſiæ, Reſponſorium vnum Imperialis Muſica decantauit: Noſtri poſtea totum officium Defunctorum cecinerunt, aſſiſtente ſua Majeſtate Cæſarea.

Die Martis 19. Februarij duæ Miſſæ rurſus cantatæ fuerunt, vna à Reuerendiſſimo Viennenſi Epiſcopo, altera à Cancellario Hungariæ: & quidam Pater Societatis orationem funebrem habuit. Locus ſepulturæ ad dexteram Sacelli Sanctiſſimæ Virginis deſignatus eſt, cui ſub veſperam à Noſtris inferendus erat Dominicus: vnde completum eſt,

quod

quod ante plures annos ipſe Principi ab Eggenberg prædixerat, Oſſa nimirum ſua in Germania quietura. Finito officio, juſſit Imperator Corpus venerabile Patris in capſa recluſum, velut theſaurum æſtimationis maximæ, in manibus Noſtrorum conſignari, cuius tamen penes ſe clauem retinuit; deinde Patribus noſtris de Dominici morte condoluit benigna commiſeratione, & transfixus dolore in ſuum rediit palatium.

Reuerendi Patres Sancti Dominici ſolemnium exequiarum officium noſtro Dominico ſpecialiter celebrarunt, cum vniuerſali totius Ciuitatis concurſu, quæ neſciebat finem imponere oſtenſioni affectus deuotiſſimi erga Patrem, nec deſinebat illum oſtendere, continuò ſepulchrum eius frequentando: cui licet à prima die fuerint oblata, & nunc etiam multa vota, & lampades offerantur; nunquam tamen ſimilia recipiuntur, nec affigi permittuntur, aut exponi; donec à Vicario Chriſti Sanctitas eius mundo melius proponatur: hoc tamen oblationes votiuæ demonſtrant, quòd ſicut ipſius vita fuit mirabilium operum fœcundiſſima, ſic mors eius non eſt hactenus ſterilis ſignorum mirabiliũ eius meritorũ ſublimium, & gloriæ cœleſtis qua in Deo fruitur.

CAPVT IX.

Dominicus poſt mortem multis claret miraculis.

SIcut in vita, ſic poſt mortem Dominicus multis claret miraculis. Si cuncta, quæ poſt mortem operatus eſt, referenda forent, opus eſſet longiore diſcurſu: vnde nunc aliqua ſolũ magis examinata in diuerſo genere proponemus.

Dum venerabile corpus Dominici de palatio Imperiali deferretur in ſolemni illa proceſſione ſepeliendum ad noſtram Eccleſiam, inter concurrentes fuit quidam leproſus, qui fide plenus ſe cõmendat Dominico, & ſubitò mundatur.

Quædam mulier partui vicina, ſpatio duorum menſium remanſit cæca, ſurda & muta, & humorum fluxu

brachium habebat immobile ac inſuper inappetentiam aliaque mala patiebatur accidentia ; ita vt Medici penitùs incurabilem & mortalem iudicarent : ad ſereniſſimam recurrit Imperatricem , vt aliquas Dominici reliquias obtineret , mittitur ei ſcapulare ; & ſtatim ac ſuis admouit oculis , vidit , audiuit , & locuta eſt , parùm mouit brachium , ab aliis infirmitatibus cœpit conualeſcere , & poſtea ſine damno peperit. Cum viſum recepit, circumſtantibus apparuit lætabunda directos in vnam partem oculos habens : interrogatur , an fortè videret Dominum ? reſpondet ſe non videre ; ſubiungitur an videret ſanctum illum Patrem , cuius erat ſcapulare ; Reſpondet hilaris ſe eum videre, Hanc curationem tot malcrum Medici pronuntiarunt ſupernaturalem & miraculoſam.

Eodem anno Ferdinandus I I. Imperator febri maligna & pertinaci laborans , dum ſanitatem à Medicis non impetrat , Imperatricis conſilio Dominicum inuocat, & ipſamet die cum Medicorum admiratione ſanatur.

Princeps Leopoldus Guillelmus filius Imperatoris incurabili morbo debilitatus, votum emiſit ſe lampadem argenteā ſepulchro Dominici conſecraturum,ſi precibus eius euaderet ; ſanitatem optatam impetrat , & votum implens,lampadem multi pretij ac artificij obtulit.

In domo Medici Cæſarei nomine Deſtorch , filia Comitis de Altheimb febri maligna & plurimùm accenſa laborabat , inſuper dolores in parte peſtis ſuſpecta patiebatur. Dum puella morbo magis premitur , habitus Dominici particula deuotè tangitur , & vix elapſo temporis ſpatio, quo recitaretur Oratio Dominica, perfectè ſanatur, eodem die ſurgit è lecto ; quam curationem miraculo idem Medicus attribuit.

Comitis Kyſelij coniux infirma , à Medicis derelicta , mortique proxima;Patris Dominici interceſſione ſubito ſanatur. Cum enim Imperatricis pediſſequa eius cognata votum emiſiſſet ſe Patris ſepulchrum ad obtinendam ſanitatem

tatem viſitaturum, ipſamet die cœpit infirma conualeſcere.

Quidam puer periculoſè laborabat,& iam moribundus erat.Parentes eius ad ſepulchrũ Dominici lachrymas& cãdelas offerunt,domumq; redeuntes filium iam ſanũ inueniunt.

Puer alius penè cæcus, particula panni, qui corpus Dominici contigerat, oculis admota perfectè illuminatur. Et mulier podagra laborãs interceſſione Patris omninò ſanatur.

Nec ſolùm Chatholicis, ſed etiam hæreticis interceſſio Dominici profuit. Nam quædam mulier hæretica laborans ardentiſſima & periculoſa febri, per inuocationem Dominici ſanatur : cumque ſua incuria, vel diuina potius prouidentia reincidiſſet in morbum, apparet ei Dominicus; jubens hæreſim abiurare; obedit ipſa, & ſalutem tam animæ quàm corporis perfectè conſequitur

Sicut hæreticis ſeipſum inuocantibus profuit Dominicus : ſic inſultantes Catholicæ fidei in ſua perſona puniuit. Erat Viennæ quidam præpotens nobilis hæreticus, vxorem habens Catholicam, noſtriſque Carmelitis plurimùm affectam. Hæc pia mulier dum quadam die Dominici ſepulchrum inuiſura ad noſtrumConuentum deuotionis cauſa pergit, ſuum habet maritum viæ comitem, ſed non ſuæ pietatis æmulum, imò garrulum & impium, ac ſibi dicentem; Ad tuum igitur Magum eamus : eo vocàbat nomine Dominicum, quod illi à Victoria Pragenſi impoſuerant hæretici. Res mira! Vir impius & pia Mulier currum aſcendunt,ad Conuentum feſtinant; & ecce rotæ labuntur in foueam luto & ſordibus plenam, quæ nec equorum vi, nec ſeruorum induſtria potuerunt extrahi; ſed impatiens ille, dum admota tabula vult exire, illâ licet noua & valida per medium fractâ,cadit in lutum,& cœno os blaſphemum obſtruit, ac ſtatim equi currum impulſu leui extrahunt.

Imperatrix & Archiduciſſæ lauabant in aqua pura interiorem Dominici tunicam,in qua deceſſerat,vt aliquas ſanguinis maculas eruerent : Verùm iudicantes, quòd ſine ſapone non poterant benè mundare, ſaponem petunt, dum expectant,

expectant, ex improuiſo vident aquam illam ſapone plenam, non ſine admiratione ac læta deuotione erga Dominicum, cuius intuitu hoc mirandum ſucceſſerat.

Eadem Sereniſſima Imperatrix Eleonora ter miraculoſam à grauibus periculoſiſque morbis ſanitatem interceſſione noſtri Dominici obtinuit, & ſingulis vicibus recuperata ſanitate, cum tota venit Curia ad V. Patris ſepulchrum, & ſolemniſſimum Imperiali muſica Sacrum de B. Virgine in gratiarum actionem decantari voluit, & argentea obtulit vota: vna quidem vice, caput ſatis magnum, alia vice tibias competentes, tertia vice quid aliud ſimile.

Princeps Lotharingiæ Franciſcus, eiuſque coniux Claudia, iam aliquot annis in matrimonio ſine liberis vixerant, nec certas ob cauſas humanitùs ſpes vlla affulgebat illos obtinendi: quare Claudia ad Deum conuerſa V. P. Dominici vouit ſepulchrum inuiſere, & alia pietatis opera in Dei eiuſdemque Dominici honorem peragere; quæ ſtatim fidei ac deuotionis ſuæ fructum conſecuta eſt filium primogenitum nomine Ferdinandum Philippum. Beneficium hoc miraculoſum aliud prodigium eiuſdem Viri ſancti ope ſubſequutum eſt: Cum enim iam partui foret vicina, in periculoſam incidit febrem, quæ Medicorum iudicio, ſi non matri, ſaltem infanti manifeſtiſſimum vitæ periculum inducere credebatur. Piiſſima Princeps V. P. patrocinium jam ſemel experta, nouem-dialem ſepulchri Viri Dei viſitationem vouit, ſi tam ipſa quàm proles manifeſto periculo eriperetur: quo facto ſanitatem conſecuta, ſuo tempore fœliciter peperit, ac votum fideliter impleuit. Et ſic Princeps hic Lotharingus duplici titulo vitam noſtro debet Dominico.

Nonnullis aliis illuſtribus Perſonis etiam prole carentibus Dominicus ſuis impetrauit meritis à Deo, poſt votum in ſui honorem factum, liberos quos deſiderabant. Pluribus quoque fœminis in partu periclitantibus & grauiſſimè laborantibus ſua profuit interceſſione, vt fœliciter parerent, vt multi tam nobiles quàm ignobiles teſtantur.

Longum

Longum foret omnes recenſere, qui vel tactu reliquiarum V. P. vel precibus ad eum factis ſanitatem receperunt. Nonnullis etiam viſibiliter apparuit tam Viennæ quàm alibi. Gratias per eum receptas confirmant vota plura & pretioſa, ac innumeri cerei ad eius ſepulchrum oblati, quorum aliqui ſunt centum librarum.

CAPVT X.

Incorruptum perſeuerat Dominici corpus.

QVamuis incorruptio corporis demortui non ſit infallibile ſignum ſanctitatis; nec omnes Sancti etiam maximi, ſint incorrupti, vt longa poſſet inductione probari; multis tamen Sanctis hoc incorruptionis priuilegium, vel in totum vel in partem concedit Dominus, ad demonſtrandam euidenter eorum ſanctitatem.

Totum Dominici corpus hactenus perſeuerat incorruptum, vt nuper certa relatione didici; exceptis manibus, pedibus, & capite, quæ carne carent. Venter integerrimus eſt, cum tamen ante omnia debuiſſet corrumpi: Tum quia V. P. obiit hydropiſi, quæ propter exceſſum humorum facilè corpora diſſoluit: Tum quia locus ſepulturæ eius ſub terra electus inundante Danubio (in cuius inſula noſter eſt Conuentus) fuit aliquoties aqua repletus; vnde remanente incorrupto corpore modo dicto, habitus eius, totaque tumba penitùs computruerunt.

Cum Venerabile corpus ſic fuit repertum, & in noſtra Eccleſia expoſitum: ad illud accurrit, non ſolùm totus Vienneſis populus; ſed etiam Proceres ac Magnates, Imperator ipſe cum Coniuge, filiis ac filiabus; alijque Duces ac Principes maximi, qui tunc Viennæ aderant; plures etiam aliorum ordinum Religioſi, Epiſcopi; Legati quoque Regum, Principum, & Rerum publicarum; Ac tandem Nuncius Apoſtolicus, qui tunc aſſeruit Corpus Sancti Philippi Nerij ad eundem modum eſſe incorruptum.

Si circa hanc Dominici incorruptionem eſſet naturali via diſſerendum, ratio deficeret: Cum ex vna parte manus, pedes,& caput, vtpote magis oſſea ac minùs carnea, non ita videantur obnoxia corruptioni, ac reliquæ corporis partes: Et ex alia parte, nec venerabile caput Dominici, quod aſſiduè Deum contemplabatur; nec ſacræ eius manus, quæ tot mirabilia propter Deum operabantur; nec ſpecioſi pedes vbique euangelizantes pacem, debuerint incorruptionis præmio carere. Sed mirabilis Deus in Sanctis ſuis, voluit incorruptionem Dominici hac via penitùs ſupernaturalem oſtendere, dum partes corporis eius corruptioni naturaliter minùs obnoxias permittit corrumpi, vt alias corruptioni magis obnoxias mirabilius conſeruet incorruptas.

Sed inter alias partes corporis incorruptas, voluit Deus incorruptum Dominici tam pectus quàm cor ſpecialiter conſeruare, vt oſtenderet pectus illud generoſum,& cor feruidum non debere corrumpi, quæ continuo amore Ieſu & Mariæ mirabiliter arſerant. De quo Ferdinandus III. Imperator Italicis verſibus à ſe deuotionis cauſa compoſitis ad ipſum Dominicum ſic ait.

Incorrotto li mane, il petto, e il cuore,
Ne marauiglia ſia;
Montre con mente pia
Stampi en entrambi tu con gran amore
Il dolce nome di Gieſu è Maria.

Ex adductis tam in hoc capite quàm in præcedente ſucceſſibus miraculoſis, & ex pluribus aliis quæ poſſent adduci, ſed breuitatis cauſa nunc intermittuntur, manifeſtè conſtat, quòd V.P.N. Dominicus claruit miraculis etiam poſt mortem, qui tot & tam inſignia patrauerat in vita.

CAPVT XI.

Germaniæ Principes Dominici canonizationem promouent.

TAnta fuit, & adhuc perſeuerat, plurium Germaniæ Principum erga Dominicum pietas, vt priuato cultu

celebrare

celebrare nō contenti, velint publico ipſum vt Sanctum honorari. Vnde pro eius canonizatione diligentiis quammaximis, mediiſque efficaciſſimis apud Summos Pontifices egerunt. Ad hoc pietatis officium mouentur, & quaſi compelluntur; Tum maxima, quam conceperunt, opinione ſanctitatis eximiæ; Tum animo gratitudinis erga virum aliàs ſanctū, propter multa & maxima, quæ perceperunt ab eo viuente ac mortuo, tam ſpiritualia quam temporalia beneficia.

Ferdinandus II. Imperator procurauit iuridicam de vita & moribus Dominici informationem fieri, per P. Hieronymum Domin Sacræ Theologiæ Doctorem Ordinis Carmelitarum regularis obſeruantiæ per Germaniam Generalē Commiſſarium, & electum Epiſcopū Catharienſem. Ipſum ad hunc finem in Hiſpaniam & in Bauariam proficiſcentem commendatitiis ad Hiſpaniæ Regem & ad Bauariæ Ducem epiſtolis comitatur, ipſos enixè rogans vt tam pium negotium promoueant. In his epiſtolis multa dicit ad laudem Dominici. In illa quam ad Hiſpaniæ Regem ſcribit, poſtquam retulit virtutes ac præclaras actiones Dominici, & maximè illam qua miraculoſam Pragenſem Victoriam reportauit, quam vocat *ſcaturiginem omnium proſperorum ſucceſſuum Religionis Catholicæ & Auſtriacæ Domus in Germania*, hæc addit: Ita vt eum, de cuius cœleſti gloria non dubitamus, merito inter humanos ſanctitatis honore & ornamento minimè relinquendum iudicemus: Cur autem maximè noſtra cura hunc honorem Viri ad Sanctorum cathalogum adſcriptione, à Beatitudine Summi Pontificis, proceſſibus ſolemni more inſtituendis obtinere ſtudeamus! inſtigant animum, tum impenſa gratitudo, quam à Nobis multifariis beneficiis ab ipſo acceptis deberi agnoſcimus; Tum firmiſſima ſpes, qua Reipublicæ Chriſtianæ ex ipſius interceſſione, cum eam hiſce officiis noſtris promeriti fuerimus, vberrima contra hæreticas machinationes protectionis ſubſidia promittimus, &c. Similes epiſtolas eodem anno 1631. dedit ipſemet Imperator ad Regem Galliæ, ad

Principiſſam Belgij, ad Ducem Lotharingiæ; ad Magnum Ducem Hetruriæ, ad Electorem Colonienſem, alioſque Principes, apud quos commoratus fuerat Dominicus.

Ferdinandus III. Imperator piiſſimi Parentis inſiſtens veſtigiis negotium hoc promouit, tres ideo ſcribens efficaces epiſtolas. Primam ad Decanum ſacri Collegij Cardinalium: Secundam ad Cardinalem Franciſcum Barberinum nepotem Summi Pontificis: Tertiam Gaſpari Gorezzuto Procuratorem huius negotij eodem anno 1639. in quibus mira dicit in laudem Dominici: ſed hæc pauca tantùm accipe, quæ ſcribit in harum epiſtolarum prima: Cum itaque ſacra ſua Majeſtas & dilectio (loquitur de ſuo Patre Ferdinando II.) proceſſus ſuper vita ac moribus V.P. Dominici à Ieſu Maria Carmelitarum Diſcalceatorum quondam Præpoſiti Generalis, viri ſanctitate & præſtantiſſimarum virtutum gloria ad miraculum inſignis, per plenipotentiarium ſuum Procuratorem, coram Epiſcopis Viennæ in Auſtria, Friſingenſi in Bauaria, Mechlinienſi in Brabantia, in futuræ canonizationis finem inſtituendos curarit: certo quippe præſagientis animi augurio tam inſignem Viri ſanctimoniam, ſacris S.Eccleſiæ ab eiuſdem ſupremo Capite honoribus conſecrandam. Nos quoque paternæ pietatis veſtigiis inhærere volentes, &c.

Maria Imperatrix Ferdinandi III. coniux infans Hiſpaniarum duas in laudem Dominici ſcribit epiſtolas eodem anno 1639. vnam Vrbano VIII. Summo Pontifici, alteram Cardinali Barberino nepoti: in quibus ſpecialiter petit à Summo Pontifice concedi facultatem typis mandandi Vitam mirabilem V.P. Dominici.

Maximilianus Dux Bauariæ ſcribit ad eundem effectum epiſtolam Vrbano VIII. Summo Pontifici, in qua velut teſtis oculatus virtutes & mirabilem Dominici vitam laudat, ac inter magna Dei beneficia numerat, quòd eius conuerſatione ac familiaribus colloquiis frui potuerit, ex quibus ſe magnum percepiſſe fructum fatetur, & ſic concludit:

Quocirca ſi quis humillimæ meæ ſupplicationi apud Sanctitatem Veſtram eſt locus, ſi quid calentiſſimæ meæ preces valent (quas ſæpe ſæpiùs multum valuiſſe gratiſſimi animi mei ſenſu recolo) Sanctitatem Veſtram deuotiſſimè oro obſecroque, vt iuxta ſacrorum Decretorum rationes, authoritate Apoſtolica dignetur ſancire, & facere poteſtatem, eius Sepulchrum lampadibus ardentibus honorandi, votiuis etiam tabularum mnemoſynis eius ſanctitatem celebrandi. Id ſi benignè conceſſerit Veſtra Sanctitas, rem cum ſuo in Deum ipſamque virtutem ſanctiſſimo ac perpetuo affectu, tum ipſa etiam Cœlitum mortaliumque voce & approbatione mirè conſpirantem, mihi verò ſummè gratam præſtabit, & augebit in immenſum cumulum beneficiorum, quibus profiteor, me à Veſtra Sanctitate eſſe affectum: Si quid vnquam erit quod in vicem tantæ beneficentiæ eidem poſſim reponere, faciam id obſequentiſſimè ac deuotiſſimè, &c. Fuit ſcripta Monachij 19. Ianuarij an. 1640.

Eadem die Duciſſa Bauariæ Coniux Maximiliani, deuotam etiam & efficacem epiſtolam ad idem intentum Vrbano VIII. ſcripſit, in qua plura dicit de ſanctitate Dominici, & exponit piam intentionem parentis ſui Ferdinandi II. Imperatoris, quem dicit legitimè pro diuerſorum Epiſcoporum tribunalibus curaſſe inquiri de vita ac ſanctitate P. Dominici à Ieſu Maria, Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum olim Generalis, Viri virtutibus ac miraculis clariſſimi, formarique eos proceſſus, qui ad ſuam ſanctitatem tranſmittebantur, vt ex ſanctæ Congregationis ſacrorum Rituum norma atque inſtituto probati, vſui ſint aliquando ad religioſiſſimi dicti Patris canonizationem. Quibus ſubiungit: Vt verò interim eiuſdem meritis veneratio habeatur, ſupplex Sanctitatem Veſtram precor, rogoque quàm poſſum contentiſſimè, vt pro ea, qua eſt in augenda Dei gloria, honoranda Dei famulorum dignitate, excitanda piorum æmulatione ad conſectanda ipſorũ veſtigia, & religione, ex Apoſtolica qua valet auctoritate, velit benigniſſimè decer-

nere, vt ad P.Dominici cultum ac memoriam, eius effigiem publicè palamque in locis ſacris habere, ſepulchrum quoque accenſa lampade exornare liceat. Iſtud eſt quod magnopere faciet, ad conciliandum Sanctitati Veſtræ totique orbi Chriſtiano Cœlitum fauorem ac patrocinium, quodque populorum ardentiſſima vota à Veſtra Sanctitate efflagitant: ea gratia eſt, quam ſi à Sanctitate Veſtra impetraro, exiſtimabo me aptiorem impetrare non potuiſſe. Eam dum auidiſſimè expecto (concludit) Deum optimum maximum pro fœliciſſima ac diutiſſima Sanctitatis Veſtræ incolumitate orare non deſinam, cui me demiſſiſſimè commendo.

Non poteſt exprimi maior affectus iſtorum Principum erga Dominicum, in procuranda ipſius canonizatione, quã aliquando futuram multa & mira prodigia, quibus illum Deus in Eccleſia voluit honorare, ſatis euidenter promittunt. Et cum iam legitimi proceſſus vitæ, morum, ac miraculorum ad hunc effectum ſint authoritate Apoſtolica formati, & ad ſacram Congregationem de Ritibus remiſſi, nihil amplius deſideratur quàm voluntas Summi Pontificis, quam ſolum retardare poteſt Conſtitutio Summi Pontificis Vrbani VIII. qua decernitur inter alia, *Ne quis numero Sanctorum adſcribatur, niſi tranſactis ab eius morte quinquaginta annis.* Cuius conſtitutionis cauſa eſt, quia nullus tam purè ac ſanctè viuit, quin aliquando cadat, iuxta illud; *Septies in die cadit iuſtus*: Huiuſmodi verò defectus, quamuis minimi, & ſæpiùs tantùm imaginarij, poſſent deuotionem minuere, vel etiam omninò tollere, ſi proponerentur vt Sancti colendi ij, in quibus aliqui defectus apparuiſſent; Cum fideles vulgò credant Sanctos fuiſſe penitùs irreprehenſibiles, ac Angelicam potiùs quàm humanam duxiſſe vitam. Et certè talis fuit Dominicus, vt conſtat ex eius hiſtoria; Et apparuit talis omnibus, qui ſinceris ipſum affectibus conſiderabant, & candidis intuebantur oculis.

LIBER

LIBER OCTAVVS VITÆ V.P. DOMINICI A IESV MARIA VIRTVTIBVS CONSPICVI.

PROLOGVS.

VITAM Dominici deſcribentes, nihil aliud fecimus quam Virtutis imaginem delineare; quot eius operationes retulimus, tot virtutum & heroïcarum actus adumbrauimus. Quia verò præcedentibus libris geſta Dominici referentes, & hiſtoriam vitæ texentes, eximias eius virtutes clarè noluimus expendere, iuſta ipſarum ponderatione; nec proinde in perſona Dominici pretioſam Virtutis imaginem viuis depingere coloribus; hoc enim Lectoris animum hiſtoriæ attentum diuertere poterat, & properantem retardare. Nunc finita tam vitæ quàm mortis hiſtoria, ad eiuſdem Lectoris vtilitatem virtutes eius, non quidem omnes (cum hoc intentæ breuitati repugnet) ſed aliquas tantùm magis elucentes expreſſiùs deſcribemus, vt hîc in loco proprio clariùs reſplendeant quas ſuperiùs in ſerie totius vitæ vix percurrente,

 indicauimus,

indicauimus. Vnde non tam dicta repetimus, quàm tunc ſolùm indicata nunc ponderamus: Quod neceſſarium omninò iudicaui, cum mirabilem ſcribens Dominici noſtri vitam, non tantùm velim Lectorem miris enarrationibus demulcere; ſed etiam & maximè, ad eius imitationem excitare procurem.

CAPVT I.

De virtute Fidei Diuinæ.

FIdes Diuina, quæ via generationis eſt prima Virtus Theologica, definitur ab Apoſtolo Hebræorum 11. *Quòd ſit ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*: Siue eſt habitus ſupernaturalis, quo illuſtratus intellectus creatus aſſentitur iis, quæ diuinitùs reuelata ſunt, ita vt ratio talibus aſſentiendi ſit ſola Diuina reuelatio obſcura, nobis authenticè per infallibilem Eccleſiæ propoſitionem intimata. Objectum igitur fidei eſt veritas obſcurè à Deo reuelata; Prima quidem Veritas Deus ipſe eſt objectum principale, alia verò quæcumque objectum minùs principale.

Quamvis virtus fidei, ſicut & aliæ Theologicæ virtutes, imò & omnes infuſæ in quolibet homine juſto reperiantur: non tamen in illo ſemper ſunt in gradu heroico, quales in Dominico fuiſſe deſcribemus. Fides autem heroica eſt Fides viua, quæ tantum inuenitur in iis qui ad ſtatum intimæ vnionis peruenientes, Deo ſolent adhærere: qui proterea ab Iſaia càp. 54. dicuntur *Docibiles Dei*; cum enim talium animæ ſint ſpeculum perlucidum & ſine macula, Diuino Soli conuenienter objectum ac ſuppoſitum, ipſius Solis juſtitiæ radios ſuſcipiunt, & infuſæ ſapientiæ fulgoribus ſic illuſtrantur, quod fides ipſa plurimum roborata non tam credere Diuinas veritates & reuelata myſteria,

myſteria, quàm velut intueri videatur; ſic enim Deus in intima vnione præſertim fruitiua ſe illis manifeſtat, & cœleſtia reuelat arcana, vt experimentalem quodammodo de illis ſcientiam habeant, vt multorum poſſet inductione probari.

Hæc viua fides ſic mentem Deo conjungit, vt de aliis quàm de Diuinis rebus vix cogitare valeat: & ſi quid aliud in mentem venit, ſtatim ad ipſum Deum dirigit. Hæc cauſat continuam illam Dei præſentiam, quæ ſic aliquando mentem abſorbet & vnit Deo præſenti, quòd ejus memoria nunquam excidat.

Hæc fides eſt, quam Chriſtus Dominus ſuis optabat Diſcipulis: quæ mira quotidie per Viros ſanctos patrat in Eccleſia: quæ mortuos ſuſcitat, cæcos illuminat, infirmos ſanat, dæmones de poſſeſſis expellit corporibus: Hæc tandem eſt, quæ totam poteſt innouare ac velut inuertere naturam, dum montes transfert, flumina diuertit, maria ſiccat, terram mouet, Solem ſiſtit, & quodammodo imperat Deo.

Hanc fidem viuam & heroïcam habuit Dominicus, cum effectus illius in ipſo videamus. Nam primò ſic erat vnitus Deo, quòd die ac nocte Deum contemplaretur, & perexiguis tantùm interuallis dormitaret. Sic in Diuina contemplatione abſorbebatur, quòd ordinariè in ecſtaſes, & ſæpiùs in aëra corpus eleuaretur.

Media fide tot fecit miracula, quòd ei Dominus ſuam omnipotentiam commiſiſſe videretur. Conſtat enim ex dictis, eum cæcos illuminaſſe, infirmos ſanaſſe, dæmones expuliſſe; & valde probabile eſt mortuos ſuſcitaſſe. Plures alias in natura miraculoſas fecit mutationes.

Tanta firmitate rebus fidei credebat, quòd ſpecialem omnibus illis reuerentiam exhiberet; & Deus in præmium ipſius, omnium penè Sanctarum ſolemnitatum eum participem efficiebat, dum cœleſtes ipſarum repræſentationes ipſi manifeſtabat.

Fides viua Dominici fidem aliorum viuificauit, imò mortuam & extinctam miraculosè reparauit. Vidimus ipſum plures infideles, vt Hæreticos & Mahometanos ad fidem Catholicam conuertiſſe. Vidimus ipſum etiam ab Angelis raptum moribundis ſuccurriſſe, qui dæmonum arte circa myſteria fidei fuerant decepti: docuit illos non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.

Vidimus tandem, quanta reuerentia ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum adorabat; & maxime in articulo mortis, dum ſacrum ſumpſit viaticum, in quo præſertim fides exercetur: vnde non mirum, quòd toties ſub Euchariſticis velaminibus Dominum IESVM CHRISTVM latentem viderit. Moriturus gratias Deo maximas egit, quòd ipſum Eccleſiæ filium fecerat, ac in fide Chriſtiana vſque ad mortem conſeruauerat.

Tanto flagrabat exaltandi fidem Catholicam zelo, quòd ſecluſis quibuſcumque aliis rationibus in contrarium, ſummopere lætabatur, cũ debellabantur Hæretici, cum ciuitates eorum capiebantur. Vidimus, quanto feruore Duces animabat ad conflictum Pragenſem, quando fides Catholica in illis regionibus penè vacillabat. Iam dixi, qualiter poſt expugnatam Rupellam lætabundus mihi dixerit; *Capta eſt rebellis illa.*

Vt fidem dilataret, voluit ad miſſiones ire longinquas Perſidis ac totius Orientis: Verum cum facultas ipſi fuiſſet negata, procurauit alio efficaciori medio fidem dilatare; dum ſuis conſiliis ac precibus Gregorium XV. Summum Pontificem perſuaſit vt Congregationem de Propaganda fide ſtabiliret; cujus officium eſſet, miſſis per totum orbem Miſſionariis fidem vbique prædicare, Euangelium diſſeminare, ac Infideles ad Chriſtum conuertere: ad quam ſtabiliendam multa aureorum millia eleemoſynis acquiſita contulit.

Sed cum ex Propheta Iſaia & experientia teſte didiciſſet, quod non omnes obediunt fidei, Principes Catholicos ſcriptis

ptis epiſtolis ad debellandos excitauit hæreticos, vt factum vidimus erga Imperatorem & Chriſtianiſſimum Regem Galliæ. Contra Principes autem infideles,& maximè Turcam, porrecto ad Summum Pontificem ſupplici libello, voluit ſacrum bellum, vulgò *Cruciatam*, mouere.

CAPVT II.

De Virtute Spei Theologicæ.

SPes, ſecunda virtus Theologica, eſt habitus ſupernaturalis, quo voluntàs hominis firmata tendit in Deum vt in ſummum ſuum bonum, ſeu objectum ſuæ beatitudinis; arduum quidem, ſed tamen poſſibile conſequi per auxilia Diuinæ gratiæ. Homo igitur fide inſtructus ſcit hoc ſummum bonum acquiri non poſſe viribus naturæ, ſed tantùm auxiliis Diuinæ gratiæ,quibus tale bonum quaſi coronam Iuſtitiæ meretur.

Firmitas Spei Theologicæ fundatur tam in Diuina promiſſione,quàm in efficacibus auxiliis Diuinæ gratiæ: Deus namque fidelis eſt, & abundantia pietatis ſuæ ſupplicum merita excedit,& vota, ac mediis infallibilibus ad gloriam electos perducit, quos meritis effecit eius participatione dignos.Spes gratiæ ſanctificanti & charitati coniuncta, dicitur viua, formata,& perfecta; ſeparata verò à gratia & charitate, dicitur mortua, informis & imperfecta, quia charitas eſt vita, forma,& perfectio cunctarum virtutum.

Quamuis autem bonum Diuinum, vt ſubiectum beatitudinis ſupernaturalis, ſit objectum Spei Theologicæ primarium & principale: alia tamen bona, quæ cadunt ſub ordine gratiæ, ſunt obiectum ſecundarium & minùs principale; quia ſunt bona ardua, nec acquiri poſſunt niſi per auxilia ſupernaturalia.

Spes Theologica, quæ in omnibus fidelibus reperitur, in ſolis eſt perfectis ſecundùm gradum heroïcum: cum enim

enim in aliis ſit ſpes tantùm ordinaria, ac plerumque fluctuans & inſtabilis,in iſtis tamen admodum ſublimis & firma perſiſtit; ſic enim Diuinę promiſſioni firmiter adhærent, & tàm perſeueranter confidunt, vt quamuis humanæ rationes & apparentiæ contrarium ſuadeant, his tamen neglectis & deſpectis conſtanter in Domino ſperant.

Qui Spem Theologicam in heroïco gradu poſſidet,ſic in omnibus de propria infirmitate diffidit; quod tamen de bonitate ac omnipotentia Dei ſemper confidat, qui voluntatem timentium ſe facit, dum aliquid ad maiorem Dei gloriam aggrediuntur. Vnde videmus quod fideles ſerui Domini ſic in ipſo confidunt, vt Diuina eius omnipotentia, dum operantur, ad libitum vti videantur; & fiducialiter dicunt, *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.*

Quàm ſublimis, quàm firma fuerit Spes Dominici, poteſt ex multis colligi: Et primò conſideremus ipſum in bello Pragenſi,quo feruore Duces ad conflictum animauerit,qua certitudine victoriam in nomine Domini promiſerit, quam intrepidus in omnibus eius periculis,& quam ſecurus perſtiterit, etiam dum plures ex Catholicis de pugna fugerent, & hoſtes hæretici victoriam inclamarent.

Conſideremus Dominicum toties hominum calumniis oppreſſum,& ad ſanctum inquiſitionisTribunal accuſatum; & tamen in Domino confidens liberatur ab omnibus. Vidimus ipſum ſæpiſſimè à dæmonibus vexatum, variis ac horridis apparentibus ſpectris obuium nihil omninò formidaſſe, quinimò ſemper in nomine Domini triumphaſſe.

Audiuimus,quot & quàm mirabilia fecerit prodigia confidens in Domino,non ſolùm precibus,ſed etiam imperio, quaſi de ſucceſſu ſecurus, & velut ad libitum Diuina vſus omnipotentia. Quæ Dominici fiducia in patrandis miraculis tanta fuit, vt nonnulli ſpiritus infirmi ſcandalum inde paterentur.

Eadem in Domino ſpe firma Dominicus res admodum difficiles

difficiles eſt aggreſſus, & omnes fœliciter concluſit. Quàm magnas pauperibus, aliiſque rebus piis impendendas inuenit eleemoſynas; quæ ſæpius multiplicatione penitùs miraculoſa, radicem ſuam potiùs eſſe cœleſtem quàm terrenam, Diuinam quàm humanam teſtabantur.

Tandem conſideremus Dominicum in lectulo mortis; non trepidantem aut formidantem Diuina judicia (quamuis plures Sancti tunc formidauerint) ſed ipſum ſpe firmum ad beatitudinem anhelare. Audiamus ad Beatiſſimam Virginem Deiparam clamantem: *O fœlix nuntium, fœlix hora! ô dies dierum! Quandò ô Domina, quando aderit dies illa! contentus, contentus ſum. O fœlix nuntium! O Virgo fidelis! vnde hoc mihi! O fœlix nuntium! Vado Dominam meam viſurus. Ibimus, ibimus; videbimus, videbimus; glorificetur Deus in æternum.*

Ex his manifeſtè patet, quàm ſublimis & firma fuerit in Dominico ſpes Theologica: & ex pluribus aliis poſſet confirmari, quæ paſſim in eius hiſtoria reperiuntur; ſed leuiter aliqua tantùm indicare decreuimus, ne Lectorem ex repetitione dictorum, tàm in hac materia quàm in cæteris virtutibus offendamus.

CAPVT III.

De Virtute Charitatis erga Deum.

CHaritas, tertia ordine generationis, ſed prima ordine dignitatis virtus Theologica, eſt habitus ſupernaturalis inclinans ad amandum amore amicitiæ Deum ſuper omnia propter ſeipſum, & proximum propter ipſum Deum. Obiectum Charitatis eſt bonum Diuinum, vel in ſeipſo conſideratum, vel vt ab aliis participatum: bonum Diuinum in ſeipſo conſideratum eſt objectum primarium; vt autem à creatura capace fruitionis ipſius Dei participatum, eſt obiectum charitatis ſecundarium. Vnde idem eſt

objectum

obiectum primarium & vltimus finis in charitate, quæ proinde ex ſua ratione habet omnes alias virtutes dirigere; quia dum eas dirigit in vltimum earum finem, dirigit in ſuum obiectum. Quia Dominicus fuit in charitate perfectus, tam erga Deum, quàm erga proximum; ideò iuxta duplex charitatis obiectum, in duplici de ea capite diſſeremus; in præſenti quidem de charitate eius erga proximum.

Quia Dominicus in charitate erga Deum fuit perfectiſſimus, ideò per omnes gradus diſcurremus, & per illos aſcendentem Dominicum deducemus. Huiuſmodi gradus ex S. Bernardo referens D. Thomas opuſculo 61. & diſtinguens ſic ait: *Magna res eſt amor*, Sed ſunt in eo gradus; loquendo ergo aliquantulum magis moraliter quàm realiter, decem amoris gradus diſtinguere poſſumus, per quos contingit à ſummo hoc ſtatu viæ ad ſtatū patriæ ſcandere ordinatè; quos gradus cognoſcas per actus. Primus, in quo facit languere vtiliter: Secundus, in quo quærere inceſſanter: Tertius, in quo operari indeſinenter: Quartus, in quo ſuſtinere infatigabiliter: Quintus, in quo appetere impatienter: Sextus, in quo currere velociter: Septimus in quo audere vehementer: Octauus, in quo ſtringere inamiſſibiliter: Nonus, in quo ardere ſuauiter: Decimus, in quo aſſimilari totaliter.

Nullus eſt amoris huius perfecti gradus, quem non aſcendiſſe Dominicum in eius hiſtoria videamus. Nunquid amore languebat vtiliter, qui eius impetu raptus ſic infirmabatur, vt poſt magnam & ordinariam ſanguinis emiſſionem omninò languidus in lecto iaceret, & tunc ſecundum mentem abſorptus in Deo vix terrena perciperet? Ipſum Dominicum ſæpiùs ſic vtiliter languentem vidimus.

Quia centrum & naturalis locus huius amoris eſt Deus, & amor inclinat amantem ad rem amatam, iuxta illud Auguſtini 13. Confeſſionum; *Ponderibus ſuis aguntur omnia, & loca ſua petunt; pondus meum, amor meus, illo feror quocumque feror.* Magnus ille amor charitatis, quo

Dominicus

Dominicus ſemper Deum dilexit, facit vt illum quæreret inceſſanter; adhuc infantulus aſſiduè erat in Eccleſia, vt Deum quæreret; paruulus Carmelum ingreditur, vt diligentiùs quæreret; poſtea ad renouatum tranſit Carmelum; vt ſecuriùs inueniat; in renouato Carmelo conuentus eremiticos appetit habitare, vt populorum tumultus fugiens in ſolitudine reperiat quem diligit anima ipſius; *in pace namque locus eius.*

Conſtat, quanta fecit Dominicus ad maiorem Dei gloriam, nunquam quieſcebat, nec adhuc infirmus & ſenex: nunc concionabatur, nunc confeſſiones audiebat, vocatus inuiſebat infirmos, nunc in Xenodóchiis miniſtrabat, nunc opera pia ad ſalutem animarum componebat, nunc perditas in Monaſterio colligebat mulieres, nunc aduersùs hæreticos procedebat, nunc ad pacem procurandam feſtinabat; vnde nunquam erat otioſus, quia charitatis amor faciebat eum operari indeſinenter.

Quanta ſuſtinuit Dominicus propter Deum, vix exprimi poteſt: ſiue conſideremus æmulorum perſecutiones, quibus pluries ad Tribunal ſanctæ inquiſitionis delatus eſt: ſiue manifeſtas dæmonum impugnationes, quibus ſæpè fuit vexatus: ſiue voluntarias mortificationes, quas deſcripſimus fuiſſe maximas: quia charitatis amor faciebat eum ſuſtinere infatigabiliter.

Vidimus in ejus morte, quàm impatienter appetebat Deum videre, præ magnitudine dilectionis: vnde dixit ad Medicum; *Ne timeas mihi meum periculum indicare, certus eſto non aliud nuntium æquè mihi acceptum eſſe, ac imminentis reſolutionis meæ, temporiſque illius, quo ad Deum videndum iturus ſum.*

Quam velóciter Dominicus ad Deũ curreret præ amoris violentia, patet ex eo quòd non ſolùm rapiebatur mente, ſed etiam corpore, dum Diuina contemplabatur myſteria: ſæpiſſimè namque, quaſi viſibilia faſtidiens anima, rapiebatur, velociterque currebat, vt ſe Deo conjungeret; & ali-

quando

corporis immutationem; nam vt vidimus, poſt celebratam miſſam aliquando viſus eſt ſplendidos è vultu radios emittere, tanquam filius cœleſti Patri luminum ſimilis, qui lucem inhabitat inacceſſibilem. Ita vt Dominicus aliquam ſimilitudinis Beatorum ad Deum participationem habuerit, & quantùm ad vniformitatem voluntatis, & quantùm ad agilitatem ac claritatem corporis glorioſi; paſſibilitas autem ac mortalitas ad augmentum meritorum in hoc vitæ currentis exilio remanſerunt.

CAPVT IV.

De virtute charitatis erga proximum.

MAxima fuit Dominici charitas erga proximum, vt conſtat ex dictis in toto diſcurſu vitæ ipſius. Fuit plurimùm intenſa & extenſa & extenſa: intenſa quidem, quia proximum ſummè ac omni via poſſibili diligebat; mente ſcilicet, ore & opere: Fuit autem extenſa, quia ſingula hominum genera complectebatur.

Diligebat mente proximum, de ipſo benè judicans, in bonam partem opera interpretatus, ipſum apud ſe ſemper excuſans, pro ipſo Deum exorans. Diligebat ore, de ipſo benè locutus, ipſum laudans, apud alios excuſans, blandè alloquens. Diligebat opere, ipſum opera & conſilio juuans, concionando, confeſſiones audiendo, corripiendo, & aliis ſimilibus modis.

Ad omnia hominum genera Dominici charitas, ſe dilatabat: Summos Pontifices, Imperatores, Reges, Cardinales, Principes, Prælatos Eccleſiæ, Magnates, Religioſos, Clericos, & homines ordinarios complectebatur in viſceribus IESV CHRISTI. Quos externa non poterat opera juuare, ſaltem precibus adjuuabat: ſatis ex ejus conſtat hiſtoria, quæ charitatis opera circa ſingulos exercuerit; nec opus eſt inductione generali, cum hujuſmodi

 opera

opera lectori paſſim occurrant : ſufficit aliquos caſus particulares nunc indicare.

Vidimus, qualiter infirmo Gregorio XV. Summo Pontifice, cuius vitam Eccleſiæ neceſſariam judicabat, ſe Dominicus obtulit, vt infirmitatis labores ac dolores accerrimos pro dilecto Pontifice toleraret.

Vidimus, quo affectu Ferdinandum II. Imperatorem, ejuſque filium Ferdinandum III. & Auguſtam Eleonoram dilexerit; quam dilectionem maximè moriturus exteriùs confirmauit, ipſos vocans *dilectos filios*.

Audiuimus, qualiter Dominicus Philippum II. à violenta morte liberauit, conuerſis ad fidem duobus hæreticis, qui ad eum occidendum in Hiſpaniam venerant: & qualiter ſuis precibus ac pœnitentiis cooperatus fuerit ad ejus liberationem è Purgatorio. Qualiter Philippum III. ejuſque conjugem tenerè dilexerit, ac ſæpe monitis cœleſtibus inſtruxerit. Audiuimus, qualiter Reginam Galliæ in minoritate Regis, de hæreticorum inſidiis ſibi Diuinitùs reuelatis monuerit; ipſique Regi poſtea humaniſſimam epiſtolam affectu charitatis & zelo gloriæ Dei plenam ſcripſerit.

Specialem charitatis affectum multis aliis Principibus tam Eccleſiaſticis quàm Secularibus oſtendit, quos etiam tantùm indicare longum eſſet. Sed hos præcipuè videtur in Domino dilexiſſe, quibus etiam abſentibus ſupremum Vale dixit: videlicet Sereniſſimum Archiducem Leopoldum fratrem Imperatoris, Ducem Bauariæ, Principem Maſſæ, Ducem Auriacum, & Cardinalem Borgiam: Et inter fœminas Principiſſam Belgij.

Sed ſuos fratres religioſos inſigni charitate diligebat, quibus ſub variis miniſteriis omnia pietatis exhibuit officia, præſertim dum eſſet infirmis præpoſitus: Tunc enim nihil intentatum relinquebat, vt ipſis ſolatium & recreationem afferret; vnde nec die, nec nocte quieſcebat, vt illis prodeſſet.

Fuit

Fuit affectus infirmis peſte laborantibus: vnde vidimus quàm libenter ac inſtanter ſe Superioribus obtulit dum Compluti ſacræ Theologiæ vacaret, vt Barcinonem mitteretur ad illis inſeruiendum; & quàm lætus ad illam ciuitatem miſſus properauerit, vt vitam ſuam in eorum obſequium exponeret.

Fuit plurimùm etiam affectus Animabus purgatorij, pro quibus tot pœnitentias ſubiuit, ac toties ſacrificium Miſſæ obtulit in ſatisfactionem pœnæ:ad hunc finem vigilare voluit Valentiæ in domo illa ſpectris obnoxia:propterea diſpenſatione Diuina plures apparebant ei,vt pro eximia charitate ſibi ipſis ſuccurreret: & poſtquam ipſius interceſſione fuerant liberatæ, vt ipſi gratias agerent.

Tenera charitate diligebat peccatores. Vnde confeſſiones audiens miſericorditer ſolabatur;inſtruebat ad ſalutem, & Domino commendabat. Imò Romæ procurauit publicas peccatrices ad viam pœnitentiæ reducere: fundata ad hunc effectum domo Beatæ Mariæ Magdalenæ, quam & redditibus & vnius Cardinalis protectione firmauit.

Fuit fidelibus Chriſtianis affectus, ad quorum inſtructionem pium Librum Theologiæ myſticæ compoſuit, vt animas eorum dirigeret ad finem vitæ æternæ in triplici perfectionis via,Purgatiua ſcilicet, Illuminatiua,& Vnitiua. Cui ſpirituale fœdus inſeruit, quod ipſe formauit, vt fideles poſſent ex amore charitatis ſibi mutuò ſuccurrere.

Infidelibus etiam fuit affectus ex charitate: nam vt capite primo dicebamus, voluit ſeipſum eorum conuerſioni deuouere; ſed cum ad ipſorum terras ire non liceret, adhuc efficaciori medio pro ipſis laborauit, procurans apud Summum Pontificem, Congregationis de propaganda fide inſtitutionem, quam & opera ſua, & collecta multorum millium aureorum eleemoſyna ſtabilitam vidit, & inter Prælatos ipſius quandiù vixit computabatur.

Oblata occaſione maiorum ſolemnitatum, dum ad eum

pro fœlicibus votis accederemus, nos eximiæ charitatis affectu velut filios excipiebat, de ſolemnitate tunc occurrento miro feruore diſſerebat, & omni modo poſſibili in via perfectionis promouebat, & ad ſolum Deum quærendum excitabat. Contigit quadam die, quòd poſt abſentiam aliquorum dierum redierit in Conuentum: ipſum aliquantò præcedebat F. Anaſtaſius à S. Franciſco, qui curam ipſius agebat; vt illum habuit obuium quidam Religioſus valdè familiaris, ſic ait, *Vbi fuiſti bonum meum? Tanto tempore non te vidi.* Quod audiens Dominicus, & hæc familiaritatis verba ſancto zelo faſtidiens dixit: *Quid, quid? Bonum meum, bonum meum? Bonum meum eſt in cœlo.*

Hic poſſent opera miſericordiæ plura & mirabilia recenſeri motiuo charitatis facta, ſed aptiùs ſub propria virtute referentur.

CAPVT V.

De Virtute Religionis.

VIrtus Religionis poſt Theologicas eſt aliarum excellentiſſima, quæ Deo cultum tam internum quàm externum exhibet, cum maxima colentis ipſum ſubmiſſione. Reſpicit enim ipſum Deum, tanquam ſubiectum excellentiſſimum, primum & vniuerſaliſſimum totius eſſe ac boni principium, ac ſupremum tam ordinis naturalis quàm ordinis ſupernaturalis Dominum, à quo cuncta creata ſimpliciter & abſolutè dependent.

Virtus igitur Religionis principaliùs in ordine ad Deum exercetur, minus tamẽ principaliter in ordine ad alia quouis modo ad Deum attinentia: ita tamen quòd iuxta maiorẽ acceſſum & vnionem ad ipſum Deum, maior eis cultus exhibeatur: vnde ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento cultus latriæ, ſicut Deo, debetur, cum verè ac realiter ſit ibi per tranſſubſtantiationem corpus & ſanguis Chriſti Domini cum

Diuinitate coniuncti: deinde ſimili cultu latriæ Crux Dominica, cætera Paſſionis inſtrumenta, ac veſtes Chriſti Domini, propter contactum ad Sacratiſſimam eius humanitatem. Sancti verò, & principaliùs Sanctiſſima Virgo MARIA, tanquam Diuinam participantes excellentiam, cultu Duliæ coluntur, quia talis excellentia ſic participata conſideratur vt ipſorum propria; vnde cultu minori colitur.

Agemus in præſenti capite de virtute Religionis generaliter ſumpta, prout ſcilicet ad Deum, Sanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum, Beatiſſimam Virginem Mariam, & alios Sanctos ſe extendit. Quamuis enim de ſingulis plura dici poſſent, breuiter tamen hic omnia congerentur, ne dicta repetantur, & nimia vitetur prolixitas.

Maxima fuit Dominici Religio erga Deum, quæ tam in verbis quam in factis eius apparebat. Quandò de Deo loquebatur, ſummam in verbis reuerentiæ ſubmiſſionem exhibebat, & ſæpiùs in ecſtaſim rapiebatur: quandò Diuinis intererat officiis, tanta modeſtia, tantaque deuotione recitabat, vt intuentes ædificaret. Ad exhibendum Deo cultum debitum, Eccleſias & choros conſtruxit, & maximè Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Victoria cum tot ornamentis, vt ingredientibus deuotionem excitet. Denique ad Dei cultum ordinatur, quicquid deuotionis erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, erga Beatiſſimam Virginem Mariam, & erga Sanctos alios exhibuit.

Erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum maximam habebat deuotionem; vidimus quàm longam & exactam ad eius ſumptionem præmittebat diſpoſitionem, quàm feruidam & prolixam ſubiiciebat gratiarum actionem, & quandiu poterat coram Sanctiſſimo illo Sacramento contemplationi vacabat. Hæc deuotio cœpit & creuit cum ipſo: dum adhuc eſſet puerulus, tam deuotè ſacrificio Miſſæ intererat, quod in præmium deuotionis ſæpè paruulum Ieſum ſub ſpeciebus Euchariſti-

cis viderit: Dum in Carmelo mitigato Sacriſtæ fungeretur officio, mira faciebat in hac deuotione, pernoctans ordinariè in Eccleſia: In Carmelo renouato mirabilia fecit, bis vomitum Sacerdotis è luto collegit,& ſumpſit,ne Sacramento ſuccederet irreuerentia: ad ejus honorem choros & Eccleſias ædificauit aut exornauit, dicens quòd ſi templum Salomonis imperio Diuino conſtructum erat tam magnificum, in quo tantùm huius erat Sacramenti figura, quàm magnificæ deberent eſſe Eccleſiæ, in quibus veritas ipſa continetur. Ex eodem principio, quamuis in omnibus aliis eſſet pauperrimus, dum Miſſam celebrabat pulchra deſiderabat ornamenta; tunc autem ſic deuotè ad huius Sacramenti conſiderationem attentus erat, quòd identidem tuſſiendo vel ſpuendo ſeipſum excitare deberet, ne raperetur in ecſtaſim. Quid igitur mirum eſt, ſi propter tam eximiam deuotionem, tot diuinos fauores in huius ſumptione Sacramenti perceperit? Emittebat aliquandò radios è vultu;ſæpiùs ſplendores;& non raro paruulum IESVM ſub ſacris vidit ſpeciebus:frequenter ab Angelis,dū eſſet infirmus, communionem recepit, & etiam ab Angelorum Domino; coram cœleſti Curia Miſſam canere iuſſus eſt; ac tandem nouum ad ſuam cuſtodiam recepit Angelum, quem *Præcurſorem* nominabat.

Erga Sanctiſſimam Virginem Mariam ſpecialem conſeruabat deuotionem ab ipſis pene incunabulis:nam paruulus ipſi roſarium quotidiè recitabat,Eccleſias eius frequentabat; Religionem Carmelitanam ingredi voluit, quia ſpecialiter ipſi conſecratam nouerat: Quid non fecit,vt ipſam ſub ejus Imagine miraculoſa de Victoria coleret? ſufficit dixiſſe, quod votum emiſerit procurandi cultum ipſius omni via poſſibili, quod fideliter adimpleuit. In præmium huius deuotionis toties illi Beatiſſima Virgo Dei Genitrix apparuit, illumque miris protexit modis: Dum eſſet paruulus, illi ſæpiùs aſtitit apparens mirabili dignatione: in mitigato Carmelo ſub peregrinæ forma ſpecioſiſſimæ apparens
inſidias

inſidias cujuſdam Nobilis ipsũ rapere volentis manifeſtauit: In Carmelo renouato, ferè in ſingulis feſtiuitatibus ſuis apparens, ipſum recreabat: tandem fidelis Virgo moribundũ viſitauit, & cœleſti replẽs gloria ad Paradiſi delicias inuitauit.

Fuit Dominicus Angelis deuotus: maximè ſancto Michaëlí, quia contra Luciferum rebellem Dei gloriam zelauit: Item ſancto Gabrieli, propter Beatiſſimam Virginem, quam Matris Dei nomine inſigniuit, myſterium Incarnationis annuntians. Sed ſuos præſertim tutelares colebat Angelos, Cuſtodem videlicet ac Præcurſorem, quorum frequenti familiaritate fruebatur; quorum aſſidua protectione muniebatur, quorum miniſterio ſæpe communicabat, quorum denique adjutorio Diuinum perſoluebat officium.

Fuit tandem Sanctis deuotus, & iis maximè qui ſpeciali affectu Beatiſſimam Virginem coluerant: quales ſunt Ioſeph, Ioannes Euangeliſta, Lucas, Bernardus, Thomas Aquinas, & alij ſupra citati. Suo etiam Protectori Dominico, Franciſco Aſſiſinati, Noſtræ Fundatrici Thereſiæ, Peccatrici Magdalenæ, pluribuſque aliis, quos in præmium hujuſmodi deuotionis, in ſerie hujus hiſtoriæ frequenter audiuimus ipſi apparuiſſe. Hæc pauca ex multis indicaſſe ſufficiat.

CAPVT VI.

De Virtute Reſignationis.

VIrtus Reſignationis in hoc ſuum habet exercitium quòd creatam voluntatem Diuinæ conformet. Ad hanc amplectendam Viri ſancti excitantur ex hoc, quod certiſſimè credunt aut ſciunt, nihil poſſe in mundo ſuccedere; niſi Deo volente fieri, ſi bonum fuerit; vel permittente quòd fiat, ſi malum ſit morale. Vnde quicquid accidit, tanquam è manu Domini ſuſcipiunt, quem ſciunt experiẽtia docti ſeipſos ſnmmopere diligere, euidenter noſ-

ce quæ congruant ipſis, & omnia poſſe quæ judicauerit ipſis expedire. Ex hoc principio manifeſtè concludunt, quicquid eis à Deo accidit, in bonum ipſorum eſſe, quia Deus amat ipſos, & amare eſt velle bonū: Deinde eſſe conueniens, quia Deus in ſua electione falli non poteſt: Denique ſuccedere ſecundū Dei beneplacitum, cuius volūtati ac omnipotentiæ cuncta creata cum omnibus ſuis circunſtantiis ſubjiciuntur.

In hac reſignatione & omnimoda conformitate voluntatis noſtræ cum Diuina, fœlicitas hujus vitæ, & inchoata beatitudo conſiſtit: cum per hanc conformitatem intacta ſeruetur pax animæ, quia non contriſtabit Iuſtum ei acciderit; vult enim per hanc conformitatem perfectam ſimul cum Deo ſibi accidere quod accidit; vnde nihil contra ejus volūtatem accidit, ac proinde de nullo ſucceſſu turbatur, ſed in omni euentu ſemper idem Diuinam participat immutabilitatem ac beatitudinem.

Conſideremus, quàm eximia fuerit in Dominico virtus Reſignationis: Certè tanta fuit conformitas voluntatis eius cum Diuina, quòd quicquid accideret, ſemper idem erat immutabilis, & quodammodo beatus, illa ſolùm poterant ipsū affligere, quæ Diuinæ gloriæ vel perfectioni contraria videbantur; & tunc ſancto zelo conabatur auertere, ſi poſſet; quòd ſi non poſſet, plurimùm triſtabatur.

In aliis quibuſcumque, licet grauiſſimis, quæ conſtantes & ſanctos Viros terrere poterant, ipſe penitùs immutabilis perſiſtebat, quamuis totus mundas, & totus infernus in eum coniuraſſe viderentur, & quaſi Deus ad tempus dereliquiſſe appareret. Videamus varios caſus, ſed in communi, in quibus Dominicus eximia virtutis huius exēpla dedit.

Sæpiùs contra Dominicum homines maligni inſurrexerunt, ipſum multis onerantes calumniis, hypocritam & impoſtoré appellantes, & adeò furor eorū exarſit, quod quaſi peſſimum, ac de fide ſuſpectum, ad Tribunal S. Inquiſitionis aliquoties accuſauerint, non tamen turbatur ipſe, nec in accuſantes iraſcitur, ſed humiliter de ſeipſo ſentiens

tiens accuſantes excuſat, & ſe in manus Domini totaliter ipſi reſignatus committit.

In Carmelo mitigato contrarios ſibique offenſos experitur aliquandò ſuos fratres, imò etiam Superiores; ipſum accuſant, contemnunt, vexant, velut eſſet imperfectus & malus: non triſtatur, ſolùm in ſe humiliatur, credit ſe iuſtè accuſatum, & condolentibus reſpondet, *Debent me reprehenſibilem cum fundamento iudicare, qui ſic me reprehendunt.*

Vidimus Dominicum in publico congreſſu ſic ab Epiſcopo reprehenſnm, quòd diceretur blaſphemaſſe contra Eccleſiam Dei: Remanet immobilis, abſque vllo vel triſtitiæ vel iracundiæ ſenſu, ita quòd ſuum etiam reprehenſorem compunxerit, & in admirationem ſuæ perfectionis conuerterit, eique multa bona pro malo deinceps retribuerit.

Conſpirant dæmones, vt Dominicum perturbent, horridis ſæpè vexāt apparitionibus, inflictis torquent vulneribus, eiectum de lecto pedibuſque inter tabulas captum capite deorſum tota nocte pendulum relinquent: ipſe in hoc tormento manens immobilis & patiens cum ſumma reſignatione Dominum benedicit. Imò videns aliquandò dirutum cellæ tectum ab aëre pendere, non turbatur, ſed ſortes ſuas in manibus Domini collocat, certus de Diuina contra dæmones protectione.

Audiuimus, quàm immobilis ex virtute reſignationis fuerit Dominicus, cum petulans ille dæmon, qui ſe comitem itineris ei coniunxerat, horribili ſpectaculo ſe pelle exuerit, oculos eruerit, dentes euulſerit, & ſic ad lectum acceſſerit, vbi iacebat Dominicus, non timore, ſed fiducia in Deum plenus, ab eo expectans quicquid Diuina voluntas eius diſpoſuiſſet; manet intrepidus; vbi quilibet alius trepidaſſet.

Aliud occurrit exemplum maioris in Diuinam voluntatem reſignationis, cum rogatus ad illam acceſſit

domum ſpectris obnoxiam : ſpectra tam horrida per noctem apparent quòd ſocius eius hæc videns deliquium paſſus fuerit ; intrepidus ipſe ſpectrum alloquitur, crudelis cauſam vexationis inquirit, & vſque ad lucem ibi ſecurus perſeuerat.

Vidimus Dominicum toties infirmitatibus laborantem, iiſque ſæpiùs grauiſſimis decumbere ; ac ſimul audiuimus benedicere Dominum in omni tempore : quaſi cum Sancto Iob diceret, *Si bona ſuſcepimus de manu Domini in tot Diuinis communicationibus, mala quare non ſuſtineamus in infirmitatibus ?* Et tunc erat iuxta Dei beneplacitum reſignatus, & ad vtrumque paratus, vel ad mortem quam vehementer optabat, vel ad vitam quam patienter tolerabat.

Tandem vidimus Dominicum ſic Dei beneplacito reſignatum, quòd itinera varia pro Deimet gloria ſuſceperit, longa & ardua, & præſertim vltimum in ipſa præceptum hyeme. Cum Deus imperabat, promptus ac reſignatus erat Dominicus : nec vnquam in contrarium obiecit aut prouectam ætatem, aut dubiam ſanitatem, aut temporum moleſtias, aut itinerum difficultates; quia conformis ſemper erat Diuinæ voluntati, factus obediens vſque ad mortem.

CAPVT VII.

De virtute Obedientiæ.

OBedientia virtus eſt ſpecialis, cuius obiectum eſt Superioris præceptum tacitum vel expreſſum, vt docet D.Thom. 2.2. quæſt.104.art.2. Voluntas autem Superioris quocumque modo innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum : Et tantò videtur obedientia promptior, quantò expreſſum præceptum obediendo præuenit, voluntate Superioris intellecta. Neceſſaria eſt viuentibus in communitate virtus Obedientiæ:nam ſicut in naturalibus inferiora ſuperiorum

tiorum motioni ſubiiciuntur, ſic in humanis ex ordine naturalis ac Diuini iuris inferiores ſuis Superioribus obedire tenentur. Maximè verò neceſſaria eſt Religioſo obedientia, cum ordo Religionis ſit perfectiſſimus, & eius minimo defectu violari poſſit: Propterea primum & principale votũ Religionis eſt de Obedientia;Et quia Dominicus fuit perfectiſſimus religioſus, incipimus hic agere de virtute Obediẽtiæ, & proſequemur in ſequentibus agere de Caſtitate, de Paupertate, ac de Humilitate, quas in profeſſione religioſa vouemus.

Octo reperimus obedientiæ gradus, quos omnes debet perſectus obediens conſcendere. Primus obedientiæ gradus eſt promptitudo obediendi. Secundus eſt totalis conformitas inferioris cum Superiore,ita quòd inferior velit id quod vult Superior,& nolit quod non vult Superior.Tertius eſt conformitas eiuſdem inferioris cum Superiore,non tantùm in voluntate, ſed etiam in intellectu; ita quòd non ſolùm inferior exequatur promptè Superioris præceptum,ſed etiam illud approbet. Quartus eſt,nihil omninò facere inconſulto Superiore,quamvis aliàs bonum eſſet.Quintus eſt, obedire cuicumque Superiori, etiam imprudenti & inepto ad regimen animarum.Sextus eſt,obedire Superiori parùm affecto, vel etiam maleuolo. Septimus eſt,obedire etiam ſeu acquieſcere voluntati & deſiderio æqualium,imò & inferiorum. Octauus tandem eſt, præcipienti Superiori non replicare.

Hos omnes Obedientiæ gradus percurrit Dominicus, & facilè eſſet per ſingulos deducere, & multis eius exemplis confirmare: Sed hæc leuiter percurremus, vt aſcendamus ad altiora & Dominico ſingularia. Vidimus,quanta promptitudine præcepta nonnunquam ardua Dominicus exequebatur.Vidimus quàm conformis fuit Superioris voluntati in officiorum miniſterio, quæ iuxta Superioris ordinationem retinebat aut mutabat. Sic per intellectum approbabat Superioris præcepta,quòd nunquam auditus fuerit de illis

illis conqueri, ſed clauſis oculis obediebat. Tam ſubordinatus fuit ſemper ſuis Superioribus,quòd nihil,etiam bonum, illis inconſultis aggrederetur. Non defuerunt aliquando Dominico Superiores imprudentes & inepti ad regimen animarum, quos Deus permittit nonnunquam ad exercitiũ ſubditorum:quibus tamen obediebat exactè.Fideliter etiam obediuit illi Vicario Prouinciali,cæteriſq; Superioribus,qui ſe malè affectos,imò maleuolos ſuis perſecutionibus iniuſtis teſtabantur. Non ſolùm autem Superioribus,ſed etiam aliis obediuit Dominicus, etiam dum eſſet Superior & iam ſenex, vt fratri Anaſtaſio à Sancto Franciſco , qui curam habebat ei miniſtrandi , cui tamen in omnibus acquieſcebat. Nec Superioribus aliquid præcipientibus replicabat, quod in fine comprobauit : nam præcipienti Summo Pontifici profectionem Germanicam, non replicauit obiiciens ſuam debilitatem & ſenectam, nec difficultates itineris tam prolixi,& moleſtias hyemis ; ſed promptus obediuit vſque ad mortem, & maluit mori quàm obedientiam non implere.

Tria reperio valde ſingularia in obedientia Dominici,& quæ manifeſtè demonſtrant quàm affectus huic virtuti fuerit iſte ſeruus Dei, & quòd ad inſtar Angelorum conceptus ſpirituales potiùs quàm voces Superioris præcipientis,ad ſe directos perceperit , quaſi foret omninò ſpiritualis , & ſola mente non ſenſibus in hac parte vteretur. Primum eſt iam indicatum : Præcepta Superioris purè mentalia Dominicus audiebat, & ſtatim faciebat : cuius rei multiplex experientia facta eſt, maximè dum ipſe raptus eſſet in ecſtaſim;nam ſi tunc Superior voce,non autem mente præciperet vt rediret, immobilis ibi perſeuerabat ; ſin autem mente præciperet, licet voce contrarium diceret , ſtatim ad ſeipſum redibat,ſeu foret ſuperior ordinarius, ſeu quis ab illo delegatus.

Secundum eſt, quòd præceptum Superioris ſiue vocale, ſiue mẽtale tantùm,ipſe plurimùm ab illo diſtans audiebat, vt manifeſtam huius rei vidimus experientiam , dum quadam die Complutum ex agro rediret ; nam.P. Prior conuentus

uentus Complutenſis,qui eum deducebat,longo poſt ipſum interuallo ſequens cum aliis,cum ad illorum ædificationem præcedenti Dominico præcepiſſet, vt ſe proiiceret in flu-uium, ad cuius ripam incedebat, ſtatim obediit in re tam difficili,ſimul ſuæ promptitudinem obedientiæ, & prodi-gium indicatum manifeſtans.

Tertium tandem eſt, quòd præceptum Superioris, ſiue mentale ſiue vocale percipiebat raptus in ecſtaſim, dum & ſenſibus omninò priuatus, & intellectu penitùs in Deo fo-ret abſorptus: Et tunc licet incapax eſſet ad quæuis alia per-tractanda, contemplatione ac Dei fruitiua dilectione tota-liter occupatus; ad obediendum tamen erat paratiſſimus, & ad minimum Superioris nutum relinquebat Deum & deli-tias ſpirituales, vt Dei Vicario in arduis etiam obediret.

Si vir obediens loquitur victorias,vt ſacra docet Scriptu-ra, non mirum ſi Dominicus tam perfectus obediens tot de dæmone,tot de mundo,tot de carne victorias reportauerit, & tam magna in exercitio obedientiæ prodigia fecerit; maximè dum Cæſar-auguſtæ primùm, deinde Valentiæ præfectus eſſet infirmorum curæ; cadens enim de alto non lædebatur, nec cadentia de manibus eius vitrea vel fictilia vaſa frangebantur, & his ſimilia.

CAPVT VIII.

De virtute Caſtitatis.

CAſtitas eſt virtus,per quam Concupiſcentiam caſtiga-mus quodam rationis moderamine in materia dele-ctationum venerearum, vt docet D.Thom. 2.2. quæſt.101. art. 1. Caſtitas autem perfecta & heroica conſiſtit in Virgi-nitate, quæ non ſolùm importat carnis integritatem, ſed etiam & magis perpetuum propoſitum abſtinendi ſe à qua-cumque venereorum delectatione. Hæc virtus puriſſima carnales homines Angelis ſpiritualibus ſimiles facit; imò & ad Agnum ſine macula cultores ipſius propiùs adducit,

vt

vt conſtat ex illo Apocalypſis 14. *Vidi ſupra montem Sion Agnum ſtantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, & cantabant quaſi Canticum nouum, & nemo poterat dicere Canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra: Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt, hi ſequuntur Agnum quocumque ierit.*

Septem Caſſianus collatione 12. Caſtitatis gradus aſſignat. Primus & infimus eſt, ne vigilans impugnatione carnali quis vincatur. Secundus eſt, ne mens voluptariis cogitationibus immoretur. Tertius eſt, ne fœmineo vel tenuiter ad concupiſcentiam moueatur aſpectu. Quartus, ne vigilans vel ſimplicem carnis perferat motum. Quintus, ne cum memoriam generationis humanæ, vel tractatus ratio, vel neceſſitas lectionis ingeſſerit, ſubtiliſſimus mentem voluptariæ actionis perſtringat aſſenſus. Sextus, ne illecebroſis phantaſmatibus fœminarum vel dormiens illudatur. Septimus gradus, qui pauciſſimorum eſt, & ſpecialiter Diuini muneris largitate collatus, vt eò vſque mens noſtra caſtitatis ipſius puritate formetur, vt etiam ipſo naturali motu carnis emortuo, illum obſcænum liquorem omninò non perferat.

Quàm pura & penitùs Angelica fuerit Dominici caſtitas, ex adductis ſupra, præſertim in ſecundo lib. cap. 3. & 11. manifeſtè conſtat. Capite 3. Vidimus ipſum à nobili quadam ſpecioſa raptum, clauſum in cubiculo, precibus, lachrymis & minis ſollicitatum permanſiſſe immobilem, in medio illæſum igne, potiùs violentam & præſentem elegiſſe mortem, quàm vel minimùm in hac parte contra caſtitatem committere. Quod eius exemplum ita fuit efficax, vt impudicam etiam illam mulierem ad pœnitentiam conuerterit.

Vidimus etiam Capite 11. cum admiratione, ipſum ſollicitanti alteri ſpecioſæ mulieri reſtitiſſe, de cella repuliſſe, cum aſſumpto viri habitu irrepſiſſet: Cuius poſtea furorem

extremum

extremum in oblato veneno Diuina reuelatione, tam in ſua perſona, quàm in tota communitate religioſa vitauit:illamque miſeram ſic ad Deum conuertit bono illo caſtitatis odore,quòd reliquo vitæ ſuæ tempore pœnitens pietatis operibus vacauerit, ac ſanctè ſiue plena meritis in Domino quieuerit.

In eodem Capite vidimus Dominicum pulchram iuuenem ab obſeſſione dæmonum liberaſſe, quæ impuro erga ſuum liberatorem amore poſſeſſa, pium Patrem ſollicitat, ab illo repulſa progredientem foras ſequitur ſub aſſumpta viri veſte, ſed illo tunc præcurrente deluſa rediit: & iterum occaſione captata Dominicum inſequitur, & ad arcem ruſticanam conueniens, noctu Dominici cubiculum ingreditur; ſed tunc pugnis per Dominicum excepta cum verba non prodeſſent, aufugit,& à laſciua prætenſione ſua deſtitit.

Quia Dominicus erat perfectus cultor caſtitatis, ſic eam ipſe cuſtodiebat, vt aliis etiam inſpirare vellet. Vt cuſtodiret, corpus ſuum in ſeruitutem redegit, ieiuniis ac mortificationibus debilitando, ne incraſſatum recalcitraret, & inſuper ſenſus ab iſtis inferioribus per aſſiduam cœleſtium contemplationem retrahendo, vt huiuſmodi contemptis ſolum conciperet amorem æternorum. Vt aliis caſtitatem inſpiraret, non ſolùm ſanctis diſcurſibus in occaſionibus paſcebat, ſed etiam cuncta quæ nocere poterant remouebat: & quia tot caſuum experientia didicerat naturalem ſui corporis pulchritudinem aliquibus laſciuiæ occaſionem præbere, rogat inſtanter Dominum & Beatiſſimam Virginem, vt illam moderentur, quam ipſe tot mortificationibus non potuerat moderari: quod rogauerat obtinuit, nam viuacitas vultus in pallorem eſt conuerſa; vnde nihil in eo apparebat, quod laſciuis placeret oculis.

CAPVT

CAPVT IX.

De Virtute Paupertatis.

PAupertas voluntaria propter Deum ſuſcepta, quæ ſola eſt virtus, ſic Viris Sanctis eſt neceſſaria, quòd Chriſtus Dominus illam quaſi fundamentum perfectionis prædicauerit, dum illi Iuueni dixit; *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus.* Imò conſtituit illam vt primam baſim beatitudinis, dicens Apoſtolis; *Beati Pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum.*

Abſque virtute paupertatis eſt impoſſibile vitam Religioſam ducere; cum ſoli Deo Religioſus debeat attendere: ſi autem virtute paupertatis terrena non deſpiceret, ex affectu viſibilibus inhæreret, & ſic diuiſum, imò turbatum haberet animum: quod & ipſi Philoſophi cognouerunt. Vnde Socrates dicere ſolebat eum eſſe Diis ſimillimum, qui quàm pauciſſimis egeret, cum Dij nullius omninò indigeant rei.

Qui verè Pauper eſt, omnia mundi bona debet ex affectu contemnere, & eis tantum ad neceſſitatem vti, non ad delitias frui: vnde ſpretis illis, Deo ſolo contentus eſſe debet, & dicere cum Pſalmiſta; *Dominus pars hæreditatis meæ, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*: & hæc quantùm ad affectum. Quantùm verò ad vſum, debet cum Apoſtolo dicere; *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus*; *alimenta, non oblectamenta*; *quibus honoremur.*

Conſideremus, quàm Pauper fuerit Dominicus, etiam in ipſis ſuæ vocationis principiis. Pauperem ſemper geſtabat habitum, lectum magis pauperem habebat: nam, vt vidimus, dum Valentiæ Sacriſtam ageret, pro lecto capſa vili, & crate ferrea nodoſa libenter vtebantur; quibus

bus manifeſtè declarabat, quàm amicus non ſolùm mortificationis, ſed etiam paupertatis eſſet.

Poſtquàm ad renouatum tranſiit Carmelum, adhuc maiori paupertatem affectu coluit, tum generali, tum particulari. Generaliter Carmelitæ Diſcalceati curam paupertatis exactiſſimam gerunt: cum ſciant ſuos Patriarchas antiquos ſummam amplexos fuiſſe paupertatem, vt ex dicto & facto piæ Sunamitis colligunt, quæ videns S. P. N. Eliſæum ſæpiùs illac tranſeuntem, & ſciens quibus præciſè volebat vti, dixit marito; *Faciamus ergò ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & cellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos, maneat ibi.* Et certè tam exactam cuſtodimus paupertatem, quòd præter dicta & adhuc pauperrima, ac pios aliquot libros, ſanctorúmque imagines ex charta ad excitandum affectum, nihil aliud habere poſſimus.

Affectu quoque particulari Dominicus toto vitæ tempore coluit paupertatem, cum etiam in extrema ſua ſenectute ac in continuis infirmitatibus nihil aliud præter dicta vellet in cella retinere: & niſi Superiorum mandato, infirmitatis miniſtro fuiſſet obedire coactus, multa etiam preciſè neceſſaria rejeciſſet, ad ſanctæ paupertatis exercitium. Semper pauperem geſtauit habitum; non tritum tamen, quia deuotio populi non patiebatur, ſæpiùs enim pietatis intuitu veſtes ei ſcindebantur, vnde nouæ ſubminiſtrari debebant.

Quia Summi Pontificis iuſſu, ad multa pietatis opera colligebat eleemoſynas, aut Congregationi de propaganda fide applicandas, aut Eccleſiarum ædificationi & ornamento conſecrandas, aut pauperibus erogandas; ne quis fortè ſcandalum pateretur, videns ipſum pecunias ſeruare ac diſtribuere, ſolebat Apoſtolicum Breue quò ad hæc obligabatur, coram Communitate nonnunquam legere.

Qui tanto diligebat affectu pauperes, non poterat non diligere Paupertatem. Vidimus qualiter adhuc puerulus

Pauperes fouebat, & vnum ſingulis diebus ad menſam inuitabat, eique ſedulo tanquàm Chriſto miniſtrabat. Factus poſtea Religioſus, quomodo poterat, eis ſuccurrebat, ſaltem compatiebatur: cum ipſi licuit, copioſas pro eis emendicabat eleemoſynas, quas ſecundum indigentiam benignè ac liberaliter eis largiebatur. Quem erga Pauperes amorem Dominici ſæpiùs approbauit Deus in miraculoſa pecuniarum multiplicatione.

Poſſumus tandem colligere, quantum Dominicus virtutem Paupertatis diligeret, ex hoc quod tam perfectè Pauperem ſtatum Religionis amaret. Quamuis pluribus titulis, oblatos non ſemel Cardinalatus honores, vt humilitatis, ſemper reſpuerit: principaliter tamen reſpuit titulo paupertatis, nolens de paupere Religioſo fieri diues videns quòd Dominus cum eſſet diues, pro nobis egenus factus eſt.

CAPVT X.

De Virtute Humilitatis.

HVmilitas eſt Virtus, qua firmatur animus ne inordinatè extollatur. Admodum neceſſaria Chriſti Diſcipulis, tum ad acquiſitionem ac conſeruationem perfectionis, tum ad imitationem tanti Magiſtri, qui Virtutis huius imitationem in ſeipſo ſpecialiter propoſuit, dicens Matthæi 21. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Et certè Chriſtus in ſingulis ſuis actibus, geſtis & ſtatibus profundiſſimam exhibuit humilitatem: Deus homo factus eſt, Incarnationi ſuæ pauperem elegit Matrem, pauper Natiuitati ſtabulum, humile quieti præſepium, humiles operiendæ nuditati pannos: voluit circuncidi ac ſi eſſet peccator, fugit in Ægyptum quaſi timidus: inter publicanos & peccatores à Ioanne baptizatur: dum ad Regiam dignitatem quærebatur, ſe abſcondit; dùm iniuriis & conuitiis erat afficiendus,

afficiendus, ſeipſum prodebat; dum ab hominibus & dæmonibus laudabatur, eos ſilere iubebat; & ipſe ſilet humiliter, dum ab aliis vituperatur: & ſub finem vitæ Diſcipulorum pedes lauat, exemplum humilitatis relinquens: ac tandem durante paſſione mille protulit humilitatis profundiſſimæ exempla; nam ſæpiùs iniuriis tunc afficitur, colaphis cæditur, ſputis fœdatur, verberibus diſcerpitur, ſpinis coronatur, nudus inter iniquos in cruce moritur: vnde de ſeipſo per prophetam Regium ait; *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Et Apoſtolus ad Philippenſes de eo dicit; *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*: Quia vt ait Bernardus, *Exinaniuit ſemetipſum*, vt prius præſtaret exemplo, quod erat dicturus verbo; vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram, intolerabilis enim impudentia eſt, vt vbi exinaniuit ſe Majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat.

Octo ſolent humilitatis gradus aſſignari, per quos deſcendentem ſimul & aſcendentem Dominicum deducemus: in humilitate ſiquidem idem eſt magnum eſſe & paruum, altum & profundum, eminens & demiſſum, aſcendere & deſcendere; quia docente Chriſto, *Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

Primus humilitatis gradus eſt, quandò quis agnoſcens ex vna parte ſummos in ſe Dei fauores & gratias eminentes conceſſas; ex alia verò parte propriam infirmitatem ac vilitatem intuens: ſic ſoli Deo tribuendam eſſe gloriam, & ſibi confuſionem deberi cognoſcit, quòd in ſui cognitione perſiſtens, non ſeipſum, ſed ſolum Deum in ſeipſo laudari velit. In hoc gradu fuit Dominicus, qui dum videret populum acclamantem, & ex ſuo habitu reliquias ſcindentem, licet in principio ægrè ferret, poſtea tamen gloriam Deo referens, ſic humiliter de ſeipſo ſentiebat, vt de ſeipſo diceret, quòd ſi populus ſuam agnoſceret vilitatem, non jam habitum ſcinderet, ſed corporis membra ſcinden-

do torqueret : vnde concludebat; *Hic Deum in me honorat, ſi me peccatorem ingratiſſimum agnoſceret, partes corporis in vindictam Dei & mei punitionem abſcinderet.*

Secundus humilitatis gradus eſt, dum quis pro viribus conceſſos Dei fauores tegit, ſicut & talenta naturalia quibus poſſet honorari. Vidimus, quantùm Dominicus Beato Nicolao Factori reſtitit, dum ipſo referente didicit, quòd factus hæres ſpiritus ipſius magnas ecſtaſes paſſurus eſſet,& mirabilia coram populo facturus: quantum deprecatus eſt, vt ſimiles applauſus vitaret. Si quid de fauoribus Diuinis Dominico conceſſis agnouimus, ipſe ſola compellente obedientia retulit: & cum factus Generalis ſcriptas relationes ſuas inueniſſet, fregit & diſſipauit.

Tertius humilitatis gradus eſt, patienter abſque motu tam externo quàm interno contumelias & iniurias tolerare; hoc enim maius eſt opus humilitatis, quàm ſimpliciter honores fugere, & vanam gloriam deuitare. Vidimus, quàm patienter Dominicus Epiſcopi Tullenſis publicam tulit reprehenſionem, ac ſi foret inſenſibilis : vnde in ſeipſo manens immotus ſic mouit Prælatum, quòd ſua confuſus impatientia, & patientia Patris ædificatus, ad eum rediens veniam petierit, ac deinceps ſæpiùs dixerit ſe plus mirari dicti V. Patris Sanctitatem in hoc humilitatis heroïcæ exemplo, quàm & in communi ac publica eius fama, & in multitudine miraculorum.

Quartus humilitatis gradus eſt, lætanter ipſas contumelias & injurias pati; ad inſtar Apoſtolorum, qui ibant gaudentes à conſpectu conſilij,quoniam digni habiti eſſent pro nomine IESV contumeliam pati: Vidimus quàm lætanter Dominicus perſecutiones ſuas, tam domeſticas quam externas paſſus fuerit, imò & accuſationes ad Tribunal Inquiſitionis, vbi plures ipſi contumeliæ imponebantur; & tunc ipſe ſuos accuſatores excuſabat, ſe pejorem eſſe quàm illi crederent.

Quintus gradus humilitatis eſt,procurare contemptum;

quod

quod tunc contingit, quando quis proprios defectus naturales aut morales aliis manifeſtat: maioris enim eſt humilitatis indicium, contumelias quærere, ac ſibi procurare quàm ſolùm obiatas tolerare. Dominicus non tantùm defectus, quos credebat, in Capitulo & alis locis ad hoc deſtinatis juxta laudabilem Religionis vſum manifeſtabat; verùm etiam ipſum in die Inuentionis S. Crucis vidi venientem ad locum recreationis, ibique deprecantem humiliter omnes, vt culpas manifeſtarét, quas in ipſo deprehendiſſent.

Sextus humilitatis gradus eſt, ſe minimum & viliſſimum inter omnes reputare: ſicut enim ſuperbus ſe præfert aliis, ſic humilis ſe ſubiicit omnibus aliis. Talem vidimus Dominicum, qui ſé ſolebat ingratiſſimam creaturam nominare ac miſerrimum peccatorem; & hoc tanto cordis affectu, quòd ſimilibus humilitatis actibus dæmonem in ſua figura comparentem, & ſe verum eſſe Dominicum mentientem conuicerit, confuderit, & inde repulerit. Et ex hoc principio dignitates recuſabat, tam domeſticas Religionis, quàm externas, etiam maiores, vt Cardinalatum, cum ſe indignum omnibus illis reputaret.

Septimus gradus humilitatis eſt, ſuis peccatis & demeritis omnia mala, & ſiniſtros euentus attribuere. Hoc fecit Dominicus multis in occaſionibus, maximè dum in itinere aliquod infortunium ſuccedebat: cum enim aliquando muli lecticæ bajuli, vel dæmonis inſtigatione, vel naturali malignitate huc illuc impingerent ac in lutum caderent; & conductor quereretur, nunquam ſibi tot infortunia ſucceſſiſſe: Reſpondit Dominicus; *Non mirum, quia nunquam tam malam ſarcinam tuliſti.*

Octauus tandem humilitatis gradus eſt, ne minimum quidem vanæ gloriæ ſeu ſuperbiæ motum ſentire. Talem vidimus Dominicum, qui ex communi populorum applauſu, ex Summorum Pontificum æſtimatione, ex Regum ac Principum reuerentia, & ex ſumma Ferdinandi II. veneratione, non aliud quam confuſionem captabat: vnde in

mediis illis honoribus tam humiliter de ſe ſentiebat, quòd ſuum corpus lupis projiciendum judicaret.

CAPVT XI.

De Virtute Pœnitentiæ.

POEnitentiæ virtus ſuppoſito peccato neceſſaria eſt, vt pro illo ſatisfaciat Deo per aliquam compenſationem ſuæ Majeſtati offenſæ factam: vnde importat hæc Virtus voluntariam aſſumptionem pœnæ pro culpa; & ſi nulla fuiſſet culpa, non opus eſſet pœnitentia. Propterea nec in Chriſto Domino, nec in Beatiſſima Virgine Maria fuit pœnitentia, quamvis fuerit magna vitæ auſteritas. Iuxta rigorem & exigentiam juſtitiæ, Pœnitentia debet peccatis proportionari, ita vt qui magis vel intenſiuè vel extenſiuè peccauit, debet etiam magis Pœnitentiæ virtutem exercere. Verùm ſæpiùs contingit, quòd qui fuerunt magis innocentes, majores ſubeant pœnitentias: cum enim deformitatem vel minimi peccati contra Deum commiſſi Diuina luce cognoſcant, minimos in ſeipſis puniunt defectus extremis pœnitentiæ rigoribus, quos etiam prudenter aſſumunt, vt per corporis ſubjectionem noui defectus vitentur, & etiam ad imitationem Chriſti, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore ejus; & tamen omnium noſtrum ipſe peccata portauit, & pro nobis in cruce ſatisfecit.

Quàm innocens fuerit Dominicus, quandiu vixit in ſæculo; quàm immaculatus in Religione, quàm perfectus toto tempore vitæ? ſufficienter vidimus: Et tamen cœpit in ſæculo puellus adhuc pœnitentiam agere; imo Cuſtodis Angeli miniſterio docetur pœnitentiam; illam in Carmelo mitigato continuat & auget, ac tandem in renouato perficit, & illuſtris Pœnitens mori voluit.

Vita Carmelitæ Diſcalceati eſt magnæ exemplar pœnitentiæ, vt patet conſiderantibus perpetuam carnis abſtinentiam

tiam, aſſiduum penè jejunium, nuditatem pedum, rudem habitum, vilem cibum, pauperem lectulum, continui rigoris in diſciplina, cilicio ac ſimilibus exercitium, ſilentij ac receſſus ſtudium. Sed his non contentus Dominicus, tot opera pœnitentiæ ſupererogatoria conjunxit, velut hæc aliis communia nihil eſſent; quòd legentibus admirationem ac ſtuporem cauſent. Quæ ſupererogatoria breuiter hic indicanda duximus; aliis, imò ex ipſis pluribus dimiſſis.

Quantùm ad habitum, ſemper procurauit viliſſimum & rudem, ac opus fuit Superioribus Ordinis vigilare, ne tam facilè petitionibus ejus acquieſcerent, qui continuè cilicium geſtare petebat. Vidimus quam terribilem catenam acuminibus plenam diu tulerit, ita vt carnem ejus penetrans maximos ipſi dolores cauſauerit, intuentibus autem ac legentibus cum ædificatione ſimul horrorem: corpus autem his fractum multiplicatis lacerabat diſciplinis.

Quantùm ad victum, ſic pœnitens fuit, vt vilem cibum mixto cinere ſæpiùs inſipidum, & adhibito frequenter abſynthio reddiderit amarum, vt ita cibus vitam ſuſtentaret, delicias non miniſtraret. Eò mortificationis in hac parte deuenit, quòd à Domino dicatur obtinuiſſe, vt omnis ei cibus non ſolùm injucundus, ſed etiam moleſtus foret: ſic Romæ didici, & ab effectu colligebatur; nam cum tanto labore comedebat, vt nauſeam intuentibus pareret, & ipſe cum cibum ſumebat, non ipſum deglutire poterat, ſed tantum aliquem ſuccum exprimebat, reliquum ſanguine mixtum ab ore in catinum eiiciebat, & hoc multis perdurauit annis. Vnde ſolus in cella manducare cogebatur.

Quantùm ad lectum, vidimus quam pauperem ordinariè ac rudem habuerit. Vidimus aliàs ferreos crates nodoſos ſumpſiſſe pro lecto, quibus potiùs torqueretur toto corpore, quàm ſuauiter requieſceret. Vidimus etiam aliàs vſum capſa pro lecto, & ibi potiùs jacuiſſe velut mortuum, quàm dormientem quieuiſſe; nec ad illam aſcendere, nec ab illa

deſcendere poterat ſine labore. Tam parcus fuit in ſomno quòd à teneris annis ab Angelo cuſtode ſuſcitatus ad orandum ſurgeret; & poſtmodum decurſu totius vitæ tam parum dormiuit; vt eodem excitante Angelo ſpatiis intercalatis vix dormitaret,ac penè continuis aſpirationibus Deum alloqueretur. Ita vt pœnitentia Dominici non tam ex ejus electione naturali, quàm inſpiratione Diuina proceſſerit: vnde etiam vidimus, quod infantulus lactans,vigilias in lactis abſtinentia diſtinguebat.

Hunc Pœnitentiæ rigorem vſque ad mortem protraxit; nam in extrema infirmitate moribundus ſubuculam laneam conſeruabat, nec in induſium lineum mutaſſet, niſi Cæſar præcepiſſet,cuius authoritati Summus Pontifex Vrbanus VIII. Illum in Germaniam mittens ſubjecerat. Nec toto tempore infirmitatis induci potuit, vt linteamina in lectulo admitteret.

Quia inſufficientem pœnitentiam induſtria ſua factam credebat: Propterea frequentes dæmonum vexationes, & plurimas hominum perſecutiones, non tantùm patienter, ſed etiam lætanter ſuſtinuit, vt ſic aliorum auxilio fructus faceret dignos pœnitentiæ, Deoque gratiſſimos.

Tanto patiendi pro pro Deo flagrabat ardore,vt cum pœnitentiæ labores rigidiſſimi;non ei ſufficerent,martyriũ pati deſideraret;vt illud conſequeretur,ſæpiùs ſe obtulit ad Miſſiones; Et vt ad illud ſe præpararet, ac Deo voluntatem ſuam efficacem oſtenderet, ſe generosè inter vepres audiuimus injeciſſe.

Sic erat mortificationis & pœnitentiæ fidelis amicus, vt ferre non poſſet quòd Religioſi peterent à ſuis incommoditatibus liberari. Cum quadam die talis ad eum acceſſiſſet, ad patientiam illum hortatur dicens: *Tunſionibus, preſſuris expoliti Lapides, ſuis coaptantur locis per manus Artificis.* Et cum alia die cuidam religioſo mortificationis adueniſſet occaſio, & aliqui iniqua commiſeratione moti conquererentur; adueniens V. Pater miro feruore illos aggreditur,

greditur, & arguit quòd vellent ab illo religioſo exercitium patientiæ à Deo conceſſum, auertere, & factum illud quaſi graue piaculum deflentem vidi.

CAPVT XII.

De Virtute Miſericordiæ.

MIſericordia virtus eſt Deo maximè conueniens, cum ejus exercitium principaliùs & frequentiùs in eo reluceat; dicitur enim in ſacra Scriptura, quòd *Miſerationes* eius ſunt *ſuper omnia opera eius.* Virtutis huius obiectũ eſt aliena miſeria vt ſubleuanda: debet igitur, qui miſericordiæ vult exercitium colere, ſtatim ac proximi miſeriam aduertit, ei quantum poteſt ex viſceribus Chriſtianæ charitatis compati, & de ea ſubleuanda ſedulò cogitare.

Hanc maximè virtutem ſuis Dominus iniungit Diſcipulis, dum eis Lucæ 6. ait: *Eſtote ergò miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt; Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini; dimittite, & dimittemini; date, & dabitur vobis; menſuram bonam, & confertam, & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinũ veſtrum; eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Et Matthæi 9. proteſtatur dicens: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium; non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.*

Dominicus fuit virtuti miſericordiæ plurimùm addictus; & meritò cum S. Iob cap. 31. dicere poterat: *Si negaui, quod volebant, pauperibus; & oculos Viduæ expectare feci, ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea; quia ab infantia creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum &c.*

Sic à pueritia fuit erga pauperes infirmos miſericors, vt ordinariè de ſcola rediens ad xenodochium priùs quàm ad domum pergeret, & pauperibus tanquam Chriſto diligenter inſeruiret: illis compatiebatur, ad patientiam hor-

tabatur, ac deuotè ſolabatur; & non rarò, ſubtractum ſibi jentaculum illis offerebat.

Obtinuit à piis poſtea Parentibus, vt quotidiè vnum Pauperem ad menſam inuitaret, quem velut Chriſtum venientem excipiebat. Quod opus miſericordiæ ſic approbauit Dominus, quòd ſub forma Pauperum & Angelos & Sanctos Dominico miſerit, & ipſemet Dominus ad um aliquandò venerit.

Factus Religioſus eandem erga Pauperes commiſerationem, tam internam quàm externam exercuit. Vidimus ipſum xenodochio libenter inſeruientem, infirmis mira pietate condolentem, viliſſima quæque in eorum ſolatium obeuntem officia: cui Dominus in præmium in cœleſtibus communicationibus ineffabilem ſpiritus ſuauitatem conceſſit.

Vidimus ipſum Compluto relictis ſtudiis Barcinonem ex obedientia tendere, vt laborantibus peſte miſericorditer inſeruiret, & quantùm ad corpus & quantùm ad animam, non ſine euidenti mortis periculo, miſeriis eorum extremis ſuccurrens; ſed quò maior videbatur populi miſeria, major apparebat Dominici miſericordia.

Vidimus ipſum Romæ quaſi conſtitutum Patrem Pauperum, cui Principes tam Eccleſiaſtici quàm ſæculares, tam Romani quàm extranei copioſas pecuniarum ſummas Pauperibus erogandas committebant, quas illis miſericorditer tanquam fidelis Diſpenſator largiebatur, multiplicatas aliquandò miraculoſè. Vnde tunc eſurientes paſcebat, ſitientes potabat, nudos veſtiebat, ægrotos viſitabat, & collatis eleemoſynis quodammodo peregrinos excipiebat, captiuos redimebat, mortuos ſepeliebat.

Multò maiori aſſiduitate complebat opera miſericordiæ ſpiritualia: nam ſuis concionibus inſtruebat ignorantes, peccantes in confeſſione corrigebat, mœſtos in priuatis colloquiis conſolabatur, dubitantibus ſalutare dabat conſilium, admirabili patientia ferebat iniurias, libentiſſimè

remittebat

remittebat offenſas , & aſſiduè pro ſalute proximorum orabat.

Sed maximè miſericordiam erga fidelium animas in Purgatorio detentas exercuit,quibus iuuandis non ſolùm preces ſed etiam quàmplurimas mortificationes adhibuit : & hoc medio multas vidimus è Purgatorio liberatas , quæ poſtmodum apparentes ei glorioſæ, ſummas pro libertate gratias reddebant.

Præſertim in tribus ſuam maximam & vniuerſalem miſericordiam oſtendit Dominicus. Primum eſt, erectio domus Pœnitentiæ , in qua mulieres de peccato ac de ſtatu perditionis liberatæ, ſalutem ſuam operantur, ac multi homines à ruina præſeruantur.

Secundum eſt, promotio Congregationis de Propaganda fide, qua mediante tot infideles conuertuntur,& ad viam veritatis veniunt; & ſic ab æterna perditione , quæ eſt ſumma miſeriarum, miſericorditer liberantur.

Tertium denique eſt, fœdus illud ſpirituale, à Gregorio XV.confirmatum,quod qui ingrediuntur quotidie pro confœderatis exorant , vt à neceſſitatibus & miſeriis aut præſeruentur aut liberentur In his tribus firmiter ſtabilitis perpetuam Dominicus miſericordiam exercet.

CAPVT XIII.

De cæteris Virtutibus Dominici.

SIc virtutes in ſtatu perfecto ſunt inter ſeipſas connexæ, quòd impoſſibile penitùs eſt , vnam habere perfectam, & alias non habere ; ex hoc maximè , quòd obiecta virtutum ſunt permixta , nec quis poteſt actum vnius elicere, quin materiam alterius attingat : Propterea in deſcriptione earum, quas ſigillatim attigimus , toties eadem geſta Dominici retulimus , quæ ad diuerſas virtutes iuxta diuerſas conſiderationes pertinebant.Quia igitur ſatis ex dictis conſtat,

ſtat, Dominicum prædictas habuiſſe virtutes in gradu perfecto, conuincitur etiam habuiſſe cæteras: Et ne rursùs eadem repetamus, aliquas magis notas in hoc capite paucis indicabimus.

Habuit Dominicus puriſſimam in omnibus intentionem: nihil enim aliud quærebat in ſuis dictis & factis, quàm maiorem Dei gloriam, & animarum ſalutem; & ad hæc quæuis alia dirigebat. Non ad præmium, ſed ad Dei beneplacitum attendebat; cui vt placeret, omnes ſuas actiones, omnes motus, omnes cogitationes, & omnia verba ſæpiùs offerebat.

Habuit feruidum gloriæ Dei zelum, quo motus, cum Diuinæ gloriæ videret intereſſe, nulli parcebat, vt Dei cauſam ageret. Audiuimus, qualiter Imperatori comminatorias in nomine Domini ſcripſerit epiſtolas, vt eum à ſuſcepto contra Ducem Mantuæ Principem Catholicum bello deterreret. Eodem zelo quendam Romanum Principem excepit venientem, vt habitu noſtræ Religionis indueretur, dicens ei ad experimentum vocationis; *Iſti magni peccatores maiorem ætatis partem ſæculo conſecrant, & poſtea volunt vna hora cœlum rapere in Religione*: Quaſi diceret cum Ioanne, *Genimina viperarum quis vobis oſtendit fugere à ventura ira?* Quem Dominici zelum circunſtantes mirati reſponderunt, prædictum Dominum venire ad Religionem vt Deo ſeruiret.

Habuit maximam regularem obſeruantiam, à principio ſtatus religioſi vſque ad mortem; Et certè qui tot ſupererogatoria libenter exercebat opera, quæ Religioſorum electioni relinquuntur; non poterat præcepta Regulæ non obſeruare, quæ de neceſſitate Religioſis incumbunt. Ex hac rigoroſa legum obſeruantia primùm in Carmelo mitigato, deinde in renouato perfectus iudicatus fuit Dominicus: Apud Religioſos autem perfectio, non ex miraculis, ſed ex obſeruantia tanquam ex certa regula iudicatur. Non ampliùs in declaranda vniuerſali hac virtute, cuius exercitium

penè

penè ſingulas comprehendit, immoramur; cum paſſim in hac appareat hiſtoria.

Habuit magnum mundi ac vanitatum eius contemptum. Pontificum, Regum, ac multorum Principum accedentium fugiſſe vidimus conſortium, quantum potuit. Vidimus non ſemel oblatam recuſaſſe Cardinalatus purpuram. Vidimus eum in mediis honoribus ſic humilem, & in mediis ſæculi deliciis ſic mortificatum. Vidimus tandem in Curia Imperiali ſic ſolùm Diuina & Cœleſtia curantem, quaſi ſingula terrena cum Apoſtolo arbitraretur vt ſtercora.

Habuit incredibilem Patientiam, quam inter tot pœnitentias, inter tot hominum perſecutiones, inter tot dæmonum vexationes, tot in mediis infirmitatibus etiam grauiſſimis, ac in mediis tot itineribus tam prolixis & difficilibus euidenter oſtendit: Qua ſic animam ſuam poſſidebat, vt omnes pœnitentias libenter, perſecutiones lætanter, vexationes cum gratiarum actione, moleſtias infirmitatum gloriosè & itinerum labores generosè toleraret.

Habuit quoque magnam manſuetudinem, quam vultus eius hilaris demonſtrabat, & verba compoſita ſemper indicabant. Poſſem & verum iurare, quòd ipſum ſpatio circiter duorum annorum cum dimidio nunquam alteratum viderim, ſed ſemper eundem immotum, quamuis aliquando Dei zelo feruidum. Hanc manſuetudinem præſertim oſtendebat, dum bonum pro malo reddebat, dum pro perſecutoribus orabat, dum offendentes excuſabat: Sed illuſtre virtutis huius exemplum dedit, cum in ſolemni illo congreſſu tam acriter ab Epiſcopo reprehenſus, immoto vultu perſeuerauit, eidemque poſtea multos apud Principes obtinuit fauores.

Habuit mirabilem Prudentiam, qua difficillima tractabat negotia, & ad optimum finem perducebat. Hac domum Pœnitentiæ contradicentibus multis ædificauit, ſtabiliuit: Hac Ducis Lotharingiæ negotium tam arduum concluſit; Hac tot diſſentiones, tot inimicitias, tot lites terminauit:

Hac

hac noſtrũ Ordinem per omnes Officiorum gradus regendo, Religioſos inſtruendo, ac plures Conuentus fundando, mirabiliter promouit. Nihil pro gloria Dei aggrediebatur, quod fœliciter non concluderet.

Habuit eximium juſtitiæ cultum: & hæc prima virtutis iſtius principia, ſcilicet; Quod tibi fieri vis, alteri feceris; & Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, ſic exactè cuſtodiebat, quod in ſua conuerſatione ſingulis profuerit, nulli nocuerit: Omnibus enim omnia factus eſt, vt omnes Deo lucrifaceret.

Virtutem fortitudinis exercuit ſecundùm duplicem quem importat actum: Agrediendo ſcilicet ardua, & difficilia tolerando. Vidimus Dominicum in bello Pragenſi non ſolum fortem, ſed etiam magnanimum: Vidimus in grauiſſimis laboribus aggrediendis, & in tot doloribus tolerandis fortiſſimum: cujus fortitudo nec hominum perſecutionibus, nec dæmonum vexationibus, nec infirmitatum moleſtiis ſuccubuit.

Temperantiam maximè coluit; non ſolùm vt importat abſtinentiam ab illicitis motibus carnis, vt vidimus in virtute Caſtitatis; ſed etiam vt importat ſobrietatem & abſtinentiam à cibis, vt vidimus in virtute Pœnitentiæ: Fuit enim in vtraque mirabilis.

Fuit Dominicus erga ſuos Parentes pius, & hac virtute pietatis ad omnia eorum mandata obſequentiſſimus: propterea ſic fuit ab eis dilectus, vt cum aliàs eum ad virtutum opera propenſum viderent, piam ejus voluntatem in omnibus implebant.

Fuit modeſtus admodum Dominicus; ſiue conſideres oculorum cuſtodiam, in qua præcipuè reſidet modeſtia; ſiue conſideres totius corporis compoſitionem, in qua etiam modeſtia conſiſtit. Vidimus eum adhuc puerulum ita compoſitum, vt intuentes raperet: quam poſtea compoſitionem cum omnium ædificatione conſeruauit.

Silentium tanto rigore cuſtodiuit, vt admirationem

cauſaret

cauſaret, & ipſe ſilentium eius ordinarium videns miratus ſum ab ipſo hæc paucula verba poſt captam Rupellam audire; *Capta eſt illa rebellis* : præ ſpiritus enim exultatione tam fœlix nuntium ſilere non potuit. Nec mirum, ſi tacebat hominibus, qui Deo ac cœleſtibus continuò loquebatur, cujus conuerſatio in cœlis erat.

Habuit miram ſimplicitatem, ſeu ſinceritatem aut candorem mentis : quæ virtus eſt maximè neceſſaria viris in ſocietate viuentibus, & illam Dominus prudentiæ conjunctam ſuis optabat Diſcipulis, dum illis ait; *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Hæc virtus ſancta, quæ Veritas etiam, aut Veracitas appellatur, in oculis, in geſtis, in verbis, & in factis Dominici relucebat.

Vt vno verbo concludamus, omnes Dominicus habuit virtutes, nec tantùm in gradu ordinario, ſed in gradu heroïco. Quia imò illas habuit, quæ ſtatui Religioſo contrariæ videntur, & tamen non ſunt: qualis eſt Liberalitas, quæ paupertati videtur oppoſita; Vidimus ipſum non tantùm affectu, ſed etiam effectu pauperibus valde liberalem: Qualis etiam eſt Magnificentia, eidem apparens paupertati contraria, quam in Eccleſiarum extructione & ornamento, ac in ſimilibus pietatis operibus exercuiſſe vidimus.

CAPVT XIV.

De Donis Spiritus Sancti.

DOna Spiritus Sancti dantur Iuſtis in auxilium virtutum infuſarum, quibus decoratur & perficitur anima ſecundùm ſuas potentias, vt miris ac extraordinariis modis ab eodem Spiritu Sancto ad ſuas operationes facilè moueatur. Septem ſunt dona Spiritus Sancti, Videlicet Intellectus, Sapientiæ, Scientiæ, Conſilij, Pietatis, Fortitudinis, ac Timoris Domini. Quatuor priora pertinent ad intellectum

Intellectum, quintum ad Voluntatem, ſextum & ſeptimum ad Appetitum. Quamvis autem in omnibus Iuſtis hæc Spiritus Sancti dona reperiantur, cum virtutibus infuſa: in eximiis tamen Sanctis perfectiori modo reperiuntur, & frequentiùs relucent, vt ſigillatim de illis diſcurrentes oſtendemus in Dominico, breuiter tamen.

Donum Intellectus eſt habitus ſupernaturalis attingens prima principia fidei, non aſſentiendo ſicut Fides, ſed ea penetrando; ſe extendit ad penetrandum omnia, ad quæcumque judicanda vel applicanda ſe extendunt Sapientia, Scientia, & Conſilium, ac rursùs ad omnia quibus Fides: licet objectum principale ipſius ſint veritates Diuinæ, quæ juxta majorem intellectus eleuationem perfectiori modo penetrantur. Certum eſt, Dominicum has veritates per donum Intellectus perfectiſſimè cognouiſſe, quantum ſtatus mortalis vitæ permittit: Nam vidimus ipſum ſæpiſſime toto decurſu vitæ raptum in ecſtaſim, ac præſertim aliquot diebus ante mortem, vbi penitùs à creaturis abſtractus ſoli Creatori totaliter adhærebat, ibique ſic Diuinas penetrauit veritates, quòd antequam Theologiæ Scolaſticæ ſtuduiſſet, de illis tam aptè & tam clarè diſſerebat, cum propriis etiam terminis, vt Viris doctis admirationem cauſaret, ſicut Dertuſæ vidimus contigiſſe, cum ad ſuſcipiendos Ordines ſacros examinaretur.

Donum Sapientiæ in ſua contemplatione conjunctam habet ſaporoſam delectationem, diſtinctam ab illa quam donum Intellectus ſecum affert, eique ſupperadditam; vnde tunc major percipitur delectatio per aggregationem vtriuſque. Fide enim veritates proponuntur, Dono Intellectus penetrantur: Dono verò Sapientiæ habetur de illis rectum judicium quòd ſit eis inhærendum, & ab oppoſitis recedendum, quantùm ad res Diuinas: quantùm verò ad res creatas tale judicium procedit à dono Scientiæ: & quantùm ad applicationem ad ſingularia opera, procedit à

dono

Dono Conſilij. Quamuis igitur omnis contemplatio ſuauitatem afferat, & contemplatio ſupernaturalis habeat majorem : in contemplatione tamen quæ procedit à dono Sapientiæ, maxima & ſaporoſa percipitur ; cum iam ſupponat ſuauitatem ex dono Intellectus, & propriam ſuperaddat, quæ maxima eſt ex parte obiecti Diuini, cui adhæret. Quàm ſublimem ex Dono Sapientiæ contemplationem habuerit Dominicus, colligitur euidenter ex ſaporoſa qua fruebatur ſuauitate. Hanc ſæpè vidimus in decurſu hiſtoriæ : ſed præſertim in extremo vitæ, nam præ lætitia & ſuauitate ſpiritus, ſeipſum non capiebat ;& cœleſtes illos fauores quodammodo reuelare cogebatur, quos antea pro viribus abſcondebat : vnde ſuauitate illa perfuſus clamabat ; *O fœlix nuntium, fœlix hora ! ô dies dierum quandò ô Domina, quandò aderit dies illa ! contentus ſum, contentus ſum, O fœlix nuntium !*

Donum Scientiæ, vt vidimus, importat judicium circa res creatas ex penetratione veritatum fidei. Quam rectum de rebus creatis iudicium ferebat Dominicus, per altiſſimam cauſam, Deum ſcilicet earum Creatorem ac Prouiſorem, ex dono Sapientiæ ; & etiam per cauſas proximas, ex dono Scientiæ, manifeſtum eſt ex dictis:nam ſicut mirabilia circa res Diuinas proferebat, ſic etiam circa res creatas ; ſolebat enim omnia quæ videbat & audiebat in ſenſu ſpirituali iudicare, eaque connaturali quodam inſtinctu ad Deum ordinare. Vidimus ipſum aliquando ſerpentem arripuiſſe, dicebat eſſe creaturam Dei, præceptum ipſius in omnibus ſequentem, ipſumque ſuo modo laudantem. In noſtro Quirinali horto, dum auiculas in mediis canentes arboribus audiebat, dicere ſolebat quòd Diuinas laudes perſoluebant.

Donum Conſilij pertinet ad intellectum practicum, ſicut tria præcedentia ad intellectum ſpeculatiuum;& propriè circa hoc verſatur, vt ad ſingularia opera mediis extraordinariis applicet, relictis ordinariis ; & maximè

in repentinis caſibus. Vidimus Dominicum in huius hiſtoriæ decurſu ſic ſæpiùs operantem, efficacia namque media ſtatim inueniebat ad concludendas res magis arduas, quæ paſſim hic occurrunt, vt ad fundandam domum Pœnitentiæ, ad ſuadendos Imperatoris Duces ad conflictum generalem, ad ſedandas inimicitias, ad animos reconciliandos, & alia huiuſmodi; iuxta Beati Nicolai Factoris prædictionem, qui dixerat nullum fore tam deſperatum negotium, nullum tam inextricabilem labyrinthum, cui remedium aut lucem non afferret Dominicus, hoc vtique dono Conſilij.

Donum Pietatis voluntatem inclinat per vias non communes, & præſertim in repentinis, ad eximia virtututum opera. Quàm promptum vidimus Dominicum ad eliciendos actus heroicos ſingularū virtutum, conſtat ex præmiſſis capitibus. Sed maximè viſus eſt hoc dono Pietatis motus, cum poſt inuentam Imaginem Beatæ Mariæ de Victoria prophanatam à Sacrilegis, ſtatim genuflexus valdè generoſum arduumque votum emiſit, efficiendi ſcilicet quicquid poſſet, vt ſacra Imago illa maximos conſequeretur honores, quod poſtea tam fideliter exequutus eſt.

Donum Fortitudinis eſt ad ardua toleranda, vel etiam aggredienda ex ſpeciali motione Spiritus Sancti. Vidimus Dominicum ſæpiùs & ardua toleraſſe, & etiam aggreſſum fuiſſe. Tot perſecutiones hominum, tot dæmonum vexationes tolerauit, quæ vires ordinarias virtutum excedere videntur; quas tamen hac ſpeciali Spiritus Sancti fortitudine non ſolùm patienter, ſed etiam lætanter ſuſtinuit. Quàm arduum fuit, domum illam ſpectris infeſtam ingredi, & noctu vigilando viſionem eorum inquirere, demonſtrauit deliquium ſocij, & timor qui legentem inuadit; & tamen aggreditur generoſè Dominicus: ſicut eadem fortitudine conflictum Pragenſem ſuadet, & medias militum turmas penetrat, vt illos exemplo ſuo ad pugnam animet.

Donum timoris Domini verſatur circa mala ardua pro-

pter

pter Deum fugienda, præſertim in repentinis caſibus, & in quibus virtutes non ſufficerent. Tanto Dei timore, non ſeruili, ſed filiali continebatur Dominicus, quòd potiùs millies mortem ſuſtinuiſſet, quàm Deum offendiſſet. Vidimus ipſum in materia Caſtitatis frequenter & acerrimè impugnatum, maximè dum præter carnis tentationem petulans puella preſentiſſimæ mortis nudo pugione minas intentauit: & tamen Dominicus hoc Domini timore firmatus, & blandientis tentationem carnis repulit, & imminentis periculum mortis deſpexit.

CAPVT XV.

De gratiis gratis datis.

GRatiæ gratis datæ potiùs ſunt ad aliorum quàm ad habentis vtilitatem; & ad ædificationem Eccleſiæ. Propterea in principio ipſius, vt pote magis tunc neceſſariæ communiùs & copioſiùs à Domino concedebantur: nunc fundata iam Eccleſia rariùs conceduntur; ſed ſemper Viris admodum Sanctis, quibus mediis mirabilia Dominus operatur, & his operibus miris eorum Sanctitatem demonſtrat.

Huiuſmodi gratiæ quædam pertinent ad cogitationem, vt Prophetia & Raptus; quædam ad locutionem, vt gratia linguarum, & interpretatio ſermonum; quædam ad operationem, vt gratia miraculorum, & operatio ſanitatum. Quia Dominicus fuit eximius, has etiam ei Dominus gratias copioſè conceſſit, & ab ipſis penè incunabulis, vt in tota hac vidimus hiſtoria: vnde breuibus tantùm reflexionibus ſingulas percurremus.

Habuit Dominicus gratiam Prophetiæ, quæ licet ad omnes temporis differentias ſe extendat; dum quis Diuina reuelatione cognoſcit vel præterita, ſicut Moyſes circa mundi creationem, vel præſentia quæ longè fiunt, vel futura: reſpectu tamen futurorum magis & euidentiùs re-

ſplendet; hæc namque in futuris contingentibus, & maximè à libero arbitrio dependentibus, ſola reuelatione Diuina ſciri poſſunt. Quòd Dominicus habuerit gratiam Prophetiæ circa prædictas tres temporis differentias facilè demonſtratur. Circa præteritum ex eo patet, quòd paruulus IESVS apparens ei, reuelauerit, qualiter illa Monialis ipſum impuris fœdauerit oſculis: circa præſens ex quodam caſu demonſtratur; cùm enim in Germania confeſſiones audiret, hæreticus accedens fictè voluit ſacramento illudere, quòd cœleſti luce cognoſcens Dominicus, ſicut & eius incorrigibilitatem, poſtquàm ipſum audiuit, ei dixit inſpiratione Diuina; *Ego te condemno in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: Circa futurum plura poſſent exempla proferri, ſed duo vel tria celebriora ſufficiat indicare; In Hiſpania præuidit infortunium Claſſis Hiſpanicæ contra Anglos: prædixit exiſtens in ecſtaſi Dominum Auriacum Cardinalem futurum; ac tandem victoriam Pragenſem pluries ac certiſſimè prædixit. Confirmatur ſequenti caſu: Inuiſens Maurbacenſem Carthuſiam, prædixit cuidam Patri quòd eiuſdem Prior futurus eſſet, vt poſtea contigit, licet tunc nulla adeſſet apparentia.

Gratia raptus, quæ coniungitur Prophetiæ; tam ordinaria fuit in Dominico, quòd deberet reſiſtere ne paſſim raperetur, maximè dum celebraret: ſed aliqui raptus tam violenti fuerunt, quòd non ſolùm animam ſupra ſe, verùm etiam corpus in aëra ſublimauerint, tamque leue reddiderint vt in aëre volitaret: plures huiuſmodi raptus habuit, ſiue publicos, ſiue ſecretos; publicum habuit coram Rege Hiſpaniæ, ſupra deſcriptum; ſecretum habuit iam indicatum coram æmulo, qui furtim ipſum ſcrutatus, vidit ſenſim eleuari ſurſum, & arripiens pedes, ſiſtere cogitabat; ſed malitiæ pœnas luit dum magno ſui damno cadit.

Gratiam linguarum habuit Dominicus, non quidem vt importat locutionem diuerſorum idiomatum, quæ ſolùm in principio Eccleſiæ videbatur neceſſaria, vt poſſet citò fides

dilatari:

dilatari ; ſed vt importat ſermonem ſapientiæ ac ſcientiæ, quo quis efficaciùs alios homines ad ſalutarem ſuſcipiendam cohortationem adducit : Et in hoc fuit mirabilis Dominicus ex Diuina diſpenſatione. Legimus, quòd in quodam raptu ſublimi ſuſcipitur à Beatiſſima Virgine, & per ipſam oblatus paruulo Ieſu, eiuſque pedibus prouolutus hanc percepit gratiam, Dominum enim ſibi dicentem audit ; *Volo, vt Apoſtolicus ſis concionator, & tuis prædicationibus plures Hæreticos ad fidem, & Catholicos ad vitam meliorem conuertas : nec enim eſt, quòd de libris & conceptibus ſollicitus ſis, ego quippe tuos defectus ſupplebo, & omnium tuorum ſermonum Ipſe Crucifixus thema ero : In meis vulneribus Diuina reperies myſteria, ſacræ Scripturæ expoſitiones, veræ Rhetoricæ eloquentiam, veræ ſinceritatis efficaciam, tanta promptitudine & copia, vt alio præceptore non egeas.*

Gratiam habuit interpretationis ſermonum, qua maximè pollebat dum ſacras Confeſſiones audiebat : Nam, vt vidimus, ſic pœnitentium excipiebat verba, quòd illa penetrans, ſenſum illorum perciperet; nec mirum, cum etiam ſecretiſſimos conſcientiæ ſinus penetraret, & ipſe pœnitentibus multa vel oblita, vel latentia ſuggereret, cum ipſorum admiratione

Gratiam miraculorum habuit Dominicus, hæres factus Beati Nicolai Factoris. Miraculum eſt operatio contra, vel ſupra, vel præter naturam : Contra naturam ; cum curſus naturæ vniuerſalis mutatur, vt dum ad imperium Ioſuë Sol ſtetit : Supra naturam, cum fit aliquid quod naturæ viribus fieri non poteſt, vt ſuſcitatio mortui, & illuminatio cæci: Præter naturam; cum illud quidem natura poteſt, ſed non tam citò, vel tam benè, vt eſt repentina infirmi ſanatio. Cuncta miracula ſola virtute Dei poſſunt fieri, qui cum ſit Author naturæ, poteſt contra, ſupra, & præter ipſam operari : Miracula primi generis rara ſunt, nec niſi grauiſſima vrgente cauſa ſuccedunt : Vnde non ea quærimus in Dominico.

minico. Miracula ſecundi generis plura fecit Dominicus: Vidimus ipſum ſuis precibus cæcos illuminaſſe, & ſuſcitaſſe paruulam. Miracula tertij generis etiam plura fecit; ſed quæ pertinent ad gratiam ſanitatis ſpecialem obtinent locum.

Quamvis operatio ſanitatum, vt hic accipitur, ſit miraculoſa; ſpecialem tamen locum inter gratias gratis datas obtinent, quia præter operationem miraculoſam, importat fauorem hominibus factum. Quàm mirabilis fuerit Dominicus in huius gratiæ miniſterio, paſſim apparet in hoc opere; rara quippe ſunt capita, in quibus non ſit aliquod huius gratiæ monumentum.

LIBER NONVS VITÆ V.P. DOMINICI A IESV MARIA, FAMA SANCTITATIS INCLYTI.

PROLOGVS.

NON mirum, ſi fama ſanctitatis inclytus fuerit Dominicus, cum illam Dominicus ipſe propriis virtutibus, & Dominus tot miraculis, totque prodigiis demonſtrauerit. Tam celebris fuit Dominicus vbicumque, id eſt in toto penè Chriſtiano Orbe, quòd vbi comparebat, affluentium concurſu populorum penitus obrueretur: vnde coacti non rarò fuere Superiores Ordinis, ad vitandos ſimiles concurſus, noſtro receſſui & ſilentio plurimùm contrarios, ipſum ad eremiticos mittere Conuentus. Sed præcipuè Dominicum venerabantur Principes, qui Sanctitatem eius euidentiùs intuebantur; quales fuerunt multi Summi Pontifices, Imperatores, Reges, aliíque Monarchæ, vt in hoc vltimo libro manifeſtabitur. Et quid mirum, ſi tot Principes Dominicum venerati ſunt, ſi Deum videbant tot prodigiis

Dominicum

Dominicum honorare; voluerunt ipſi vt Dei miniſtri, Dominicum eiuſdem Dei familiarem amicum, ac potentiſſimum apud Diuinam Maieſtatem Patronum & interceſſorem multiplici modo venerari.

CAPVT I.

Fuit inclytus opinione Sanctitatis Dominicus apud Viros Sanctos.

NVllus veriùs ac certiùs agnoſcit ſanctitatem Seruorum Dei, ac ille qui ſanctus eſt: ex quadam enim ſympathia connaturali quilibet ſuum agnoſcit ſimilem. Cum igitur in præſenti libro Dominici noſtri Sanctitatem, quam ex virtutibus ac miraculis velut ex cauſis intrinſecis demonſtrauimus, ex aliorum teſtimoniis velut ex cauſis extrinſecis demonſtrare etiam velimus; Incipimus à teſtimonio eorum, qui vel iam in Eccleſia creduntur Sancti, vel ex aliquo exteriori ſigno poſſunt tales præſumi.

Primus ſit Beatus Nicolaus Factor, Ordinis Minorum, qui poſt inſigne prodigium illud à Dominico coram ipſo patratum in mirabili liberatione energumeni, ſanctam & familiarem cum eo conuerſationem frequentat, & tot in iuuene Dominico diuinos fauores, tantamque perfectionem aduertit, vt mira de eo diceret encomia, quæ ſuprà libro 2. cap. 9. retulimus, hic breuiter indicanda. Dixit aliquandò Dominicum fuiſſe ſpeciali prouidentia Dei formatum, vt maxima totius Europæ negotia apud Deum oratione, & apud homines ſua prudentia expediret. Dixit aliàs non poſſe cogitari rem tam infœlicem ac deſperatam, nec labyrinthum tam inextricabilem, nec infortunia tam fatalia, quæ vel mutari, vel extricari, vel etiam impediri non poſſint oratione Dominici. Dixit aliàs & ſæpè, Dominicum cœlo natum, & non terris: & à Deo fuiſſe conditum, vt plu-

res hæreticos ſuo magiſterio & exemplo ad fidem Catholicam conuerteret. Plura ſimilia dixit hic Vir inſignis in laudem Dominici, quæ Diuina fuiſſe oracula, & non verba adulatoria confirmauit eorum exitus. Tandem quatuor menſibus, antequam hic Beatus Pater migraret in cœlum, Dei reuelatione didicit fœliciſſimum obitus ſui diem, & Diuinum recipit imperium, quo ei præcipitur vt conueniat Dominicum, ac ipſi cœleſte decretum intimet, fuiſſe ſcilicet electum à Deo hæredem pretioſi Spiritus ipſius Factoris.

Secundus ſit Beatus Ludouicus Bertran ex ordine Sancti Dminici, cui Beatus Nicolaus Factor voluit ſtrictiſſimo ſanctæ amicitiæ vinculo Dominicum connectere, ſignificans ei Diuinitùs ipſum fuiſſe conſtitutum ſui Spititus hæredem. Tali igitur medio Ludouicus & Dominicus tam ſtrictè coniuncti ſunt, vt vix ſeparari poſſent. Hanc autem mutuæ charitatis amicitiam ſic Deus approbauit, quòd continuato penè miraculo confirmauerit; cum enim non poſſent ſe inuicem corpore viſitare quoties vellent, in ſpiritu ſe viſitabant, ſibi mutuò nonnunquam apparentes, ac mente colloquentes. Et cum vterque videret, hæc tantùm ſupernaturaliter fieri, quilibet alterius attribuebat Sanctitati: vnde ſicut Ludouicus apud Dominicum erat fama Sanctitatis inclytus, ſic & apud Ludouicũ erat Dominicus eadem fama ſanctitatis inclytus. maximè poſtquam tot cœleſtia de ipſo per communẽ amicum Nicolaum Factorem oracula didicerat. Hæc ſancta Ludouici & Dominici amicitia perdurauit ad mortem; imò poſt mortem adhuc perdurauit: nam vt vidimus libro 3. cap. 12. cum noſter Dominicus iuiſſet ad Conuentum, vbi paulò ante Ludouicus Prior deceſſerat; & Religioſi Conuentus volentes Dominicum honorare, ipſum in cella B. Ludouici collocaſſent; volens etiam ipſe Beatus ſuum hoſpitem & amicum gratificare, de cœlo cum aliis Sanctis glorioſus deſcendit, viſitaturus quem ita dilexerat vt Sanctum: cumque maiorem

noctis partem in cœleſtibus colloquiis ſimul tranſegiſſent, receſſit Ludouicus relinquens Dominicum gratiis & conſolatione plenum.

Tertius ſit Venerabilis P. N. Petrus à Matre Dei Celtiber, quo vt ait Baronius ad annum 1187. tom. 12. vix aliquis Romæ Sanctior ſuo tempore poſſe reperiri crederetur; & qui poſt mortem ad inſtar noſtri Dominici cor & pectus incorruptum habere meruit; & quem ipſe Dominicus præ aliis *Noſtrum Magnum Patrem* nominabat, magnum Sanctitate, magnum Doctrina, maguum Prudentia magnum denique cæteris dotibus eximiis. Hic Vir magnus tantam habuit opinionem Sanctitatis Dominici, quòd omni diligentia poſſibili procurauerit ipſum ex Hiſpania, ad inſtruendam nouam congregationem Italicam, authoritate Pontificis Romam venire, & cum ad Pontificē pro grauioribus negotiis accedebat, Dominicum in ſocium aſſumebat.

Quartus ſit Venerabilis P. N. Ioannes à IESV MARIA, cuius mirabilem doctrinam aurea quæ compoſuit opera diuerſi generis commendant, & eximiam Sanctitatem incorruptio corporis poſt piam & irreprehenſibilem vitam demonſtrat. Hic Vir inſignis, cum maximas & aſſiduas per totam vitam afflictiones & anguſtias animæ cum eximia Sanctitate paſſus fuiſſet, voluit amicum fidelem Dominicum in hac vltima vitæ periodo ſecum habere ad animæ ſolatium, quàm vt illuſtrem Sanctum venerabatur, tum propter aſſiduum heroicæ virtutis exercitium, tū propter communicationes Diuinas ipſi factas, quarum certam habebat notitiam & eas ſcriptis mandaret: vnde de ipſo loquens dicebat, quòd eſſet *dilectus Deo & hominibus.* Venit Dominicus, afflictum & anguſtiatum ſolatur, & vltimum charitatis officium exhibens, ad cœleſtem patriam illum transmiſit. Poſt glorioſum tranſitum apparuit Ioannes Dominico, ſe gloria Paradiſi in præmium meritorum frui teſtatur, & amico vale dicit.

Quamvis

Quamuis plures alij virtutibus conſpicui Dominicum quaſi ſanctum venerati fuerint, vt conſtabit ex dicendis in ſequentibus: quia tamen nullum habemus Sanctitatis eorum euidens indicium, eos ad alias ſeries diſtribuemus, iuxta propriam ſingulorum dignitatem & conditionem, quorum tamen authoritas in hac parte maximi erit ponderis ac momenti. Hic tantum ſubiungo B. Hippolytum Florentinum, & V. Matrem Annam à S. Bartholomæo ſociam S. M. N. Thereſiæ, quorum Sanctitas eſt notoria.

CAPVT II.

Fuit inclytus fama Sanctitatis Dominicus apud Summos Pontifices,

QVia Summorum Pontificum dicta recipiuntur vt oracula, maximè dum alicuius illuſtris Viri Sanctitatem quouis modo, etiam vt Doctores particulares approbant: inde eſt quòd ad confirmandam Dominici noſtri Sanctitatem, poſt Beatorum authoritatem (quos vt ſuperiores meritis mortalibus cunctis agnoſcimus, ac Diuina loquutos inſpiratione credimus) Summorum Pontificum teſtimonium vt maximi ponderis adiungimus; Majeſtas enim ſummæ Dignitatis in omnibus plurimùm reddit circunſpectos.

Quinque vidit Romæ Dominicus Summos Pontifices, videlicet Clementem VIII. Leonem XI. Paulum V. Gregorium XV. & Vrbanum VIII. Et hi omnes Dominicum venerati ſunt. Peruenit Dominicus Romam die 26. Octobris anno Domini 1604. vltimo Clementis VIII. qui vix Dominici potuit familiaritate frui; illum tamen opinione ſanctitatis inclytum habuit, dum ex Hiſpania ad Italicam noſtram Congregationem promouendam euocauit.

Mortuo Clemente ſufficitur Leo XI. Florentinus ex inclyta domo Medicea anno 1605. qui breuitate Pontificatus non potuit ſignificare quam conceperat Dominici opinionem,

nionem, viginti namque & ſeptem diebus ab electione ſua deceſſit. Hic Pontifex ſub miniſterio V.P.N. Petri à Matre Dei (quem non ſolum habuit Apoſtolicum Concionatorem iam à Clemente VIII. electum,ſed etiam à ſe delectum ad ſacrum munus pœnitentiæ ſibi impendendum) animam fœliciter Deo reddidit victor & triumphator ampliſſimus, vt ait Baronius. Huic Summo Pontifici morienti Dominicus Petro ſociatus aſtitit ; ab ipſo namque Dominico referente didici,quòd cùm ipſe demortui Pontificis pedes oſculari voluiſſet ; & affectu pio pedibus oſculandis diutiùs inhæſiſſet , ſenſit veneni malignitate (quo credebatur extinctus) irrepente totam faciem accendi : Hæc Dominici aſſiſtentia famam ſanctitatis eius apud hunc Pontificem ſatis confirmat.

Leoni XI. ſucceſſit Paulus V. qui plurima venerationis extraordinariæ erga Dominicum multis in occaſionibus dedit teſtimonia , quæ cum ſupra fuerint ſatis fusè recenſita,nunc breuiter indicare ſufficiet. Vix cœperat Pontificatu potiri , cum vocat Dominicum,& venientem benignè ſuſcipiens dixit ; *Benè Pater Dominice fugis Nos ? ſcimus qualia ſibi ſint à Rege Hiſpaniæ commendata negotia , quare non petiit Audientiam vt illa expediret ?* Cum Dominicus fuiſſet electus Prior conuentus Neapolitani , & relatum fuiſſet Pontifici:Reſpondit Pontifex;*Non,non;Nos volumus P.Dominicum Romæ pro noſtra conſolatione.* Ipſi poſtea tanquam Inſtitutori & Confeſſori ſuum nepotem paruulum Principem Sulmonæ commiſit,quem voluit Dominicum in conuentu noſtro conuenire. Conceſſit illi & fontem,& partem viæ publicæ. Aduentantem ſemper & humaniſſimè Dominicum excipiebat, quando forent aliis clauſæ ianuæ ; & ſemel in monte Tuſculano poſt negotiorum expeditionem, coram Curia vocato Nepoti tradens ipſum ait; *Conſigno vobis meum hoſpitem , tractate illum benè , & cras in rheda dimittite , non enim volo permittere , quòd pedes tot milliaria conficiat.* Vix permittere poterat , quòd Dominicus exiret

Roma,

Roma, concedebat illi quicquid peteret. Totum vnico complector verbo Domini Cardinalis Burgheſij : *Apud Paulum V. omnipotens erat Dominicus, cui in Germaniam proficiſcenti grauia commiſit negotia apud varios Principes Catholicos; eumque iteratis reuocabat epiſtolis, quem ſibi morienti volebat aſſiſtere.*

Paulo V.ſucceſſit Gregorius XV.qui in veneratione Dominici cedere noluit ſuo prædeceſſori. Statim ac fuit aſſumptus,Dominicum ex Germania reuocat,eumque venientem ſingularis beneuolentiæ ac obſeruantiæ verbis & geſtis excipit dicens; *Gaudeo videre tandem apud me tam bonum & antiquum amicum,quem apud Deum interceſſorem ſemper habuiſſe credo,& deinceps habere deſidero :* Statimque conceſſit ipſi roganti canonizationem S.M.N.Thereſiæ,cuius beatificationem Paulus V. conceſſerat. Ad ſatisfactionem Dominici tam ſolemnem triumphum Beatæ Mariæ de Victoria celebrat, ipſique aſſiſtit, vt vix quid ſimile iam à multis ſæculis in illa Ciuitate viſum fuerit. Dominico præcipit, vt librum ſpiritualem ad animarum conſolationem edat, & vtitur ipſo, vt Ducem Bauariæ ad Electoratum ſacri Imperij promoueat. Pati non poterat, quòd egrederetur Roma, ſtatimque reditũ ipſius accelerabat. Tandem infirmus Pontifex confeſſionem generalem Dominico facit,& eum moribundus in Palatio apud ſe retinet, vt in extremo mortis agone ſibi ſua præſentia proſit, & precibus adiuuet.

Gregorio XV. ſufficitur Vrbanus VIII. qui Dominicum eadem veneratione colit, dum ipſum ſimilibus beneuolentiæ ſignis honorat : Romæ penes ſe retinet quantum poteſt, per aliquot annos Imperatori aliiſque Principibus denegat, & cùm eum mittere cogitur, vt Eccleſiæ rebus ſubueniat, quaſi ſuum mittit Legatum. Ipſum Romæ degentem ſæpiùs vocabat,& occaſione data veniens ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Victoria mira vrbanitate viſitabat.

CAPVT III.

Fuit inclytus fama ſanctitatis Dominicus apud Imperatores.

TAntam in Dominico ſanctitatem venerabantur Imperatores Ferdinandus II. & Ferdinandus III. vt Imperialis ſuæ Majeſtatis obliti viderentur, quoties cum Dominico, vel de Dominico agebant. Nudo loquebantur capite, propria manu directas ad ipſum epiſtolas ſcribebant, & ſimilia præſtabant, quæ non alio quàm eximiæ ſanctitatis titulo feciſſent.

Prima vice, qua Dominicus in Germaniam venit, ipſum Ferdinandus II. ſtatim ad Curiam Imperialem inuitat: Et à Victoria Pragenſi redeuntem miris honoribus excipit, ipſumque in proprio receptum Palatio quaſi Diuinæ voluntatis interpretem, tam de internis conſcientiæ motibus, quàm de negotiis Imperij conſulebat: Ac diſcedentem muneribus ditiſſimis ditiſſimis cumulat Beatæ Mariæ de Victoria dedicatis. Deinde epiſtolis iteratis ad Summum Pontificem, imò & Oratoris ſui pluribus inſtantiis eiuſdem Dominici reditum impetrauit: Venientem velut Angelum excepit: Infirmo quaſi ſeruus Domino deſeruiuit; nam vt referunt teſtes oculati, aperto capite ipſum decumbentem alloquebatur: Poſt ſumptum Viaticum oſtendit Imperator, quàm eximium ſanctitatis ipſius haberet conceptum, nam ereptum è ſocij Patris manibus vaſculum ablutionis, ſuâ ipſe ſummiſſis humi genibus porrexit. Mortuo Dominico manus ac pedes eadem reuerentia oſculatur Imperator: Ac tandem maxima qua potuit inſtantia canonizationem procurauit. Quæ omnia demonſtrant euidenter, Dominicum apud iſtum Imperatorem fama ſanctitatis inclytum fuiſſe.

Ferdinandus III. piiſſimum Parentem in omnibus imitatus; eximia ſemper Dominicum pietate coluit: Viuum quidem, ſimul cum Parente, dum ipſe foret Rex Hungariæ; Mortuum verò, dum eſſet Imperator, ſui namque Parentis inſiſtens veſtigiis canonizationem ipſius adhibitis pluribus

diligentiis

diligentiis procurauit,& formatis iuridicè proceſſibus multum promouit: Quod manifeſtè declarat, quantam ſanctitatis eius opinionem habeat; quæ etiam colligitur ex ipſius epiſtolis circa negotium iſtud ſcriptis veneratione ac cultu mirabili plenis. Cum anno 1634. idem Ferdinandus III. tunc ſolùm Rex Hungariæ & Bohemiæ, à parente ſuo declaratus eſſet exercitus Cæſarei Generaliſſimus, antequam ad bellum contra Suecos & hoſtes alios Imperij procederet, illo ipſo die quo Vienna diſceſſit, V. P.N. Dominici ſepulchrum inuiſit, ac ſimul promiſit, ſi victoriam obtineret, complura mittere vexilla militaria ad eius ſepulchrum appendenda. Voti compos factus (nam eo ipſo anno munitiſſimam vrbem Ratisbonam Suecis eripuit, & ad Nordlingam toto celeberrimam orbe Victoriam contra eoſdem obtinuit) promiſſa miſit Viennam vexilla, ſuæ erga Dominicum pietatis monumenta.

Imperatrix Eleonora Ferdinandi II. coniux videtur voluiſſe mariti pietatem erga Dominicum ſuperare: nam ſeipſam in omnibus velut humilem filiam, imò ſæpiùs velut ancillam exhibebat. Illum venerabatur vt Sanctum, ſeruiebat vt Domino. Plenæ ſunt epiſtolæ eius opinione ſanctitatis, quam de ipſo formauerat.

Imperatrix Maria Ferdinandi III. coniux & Hiſpaniarum Infans demonſtrat clariſſimè, quàm eximium habeat de ſanctitate Dominici conceptum, dum ſcripta ad Vrbanum VIII. epiſtola pro eius canonizatione, deprecatur interim, vt permittat mirabilem vitæ ipſius hiſtoriam in lucem edi, & vota fidelium ad eius ſepulchrum appendi.

Poſſent hic eiuſdem Imperialis familiæ Germani Principes apponi, vt Carolus & Leopoldus Archiduces, qui miram de ſanctitate Dominici opinionem habuerunt; cum ipſum ſpeciali reuerentia coluerint. Qui plura de concepta Dominici ſanctitate Domus Imperialis teſtimonia voluerit, conſulat tum librum quintum, tum ſeptimum. Adducta hic ſolùm attigiſſe ſufficiet: Quibus tamen addam verſus

aliquos

aliquos idiomate Italico compoſitos tam à Ferdinando III. quàm ab Eleonora Auguſta, qui conceptam ab ipſis opinionem ſanctitatis Dominici confirmant. Sic ait Imperator ad Dominicum.

Nel opre tue ſempre fuſti vn portento,
Il zel diuino ogn' ora tu ſpiraſti,
Tanto il proſſimo amaſti,
Che l'aggiutando il fuſti con granſtento.
A te non fur eguali
Nel amor verſo 'Dio,
Che per alzarti à ſe, ti poſe l'ali.
Verſo te fuſti rio,
Ogn' or' obediente,
Ai far l'honor' ti monſtri renitente.
Chiamato alla gran Reggia di Fernando
Tutti iui à te rapiſti col tuo eſſempio;
E faceſti temer il buon, è l'empio.
Al fin laſciaſti le tue ſante ſpoglie;
E con eſſe mil' benedittioni deſti,
E al Padre, è à Figli tu felice feſti;
Beato luoco, che tua membra accoglie.

Imperatrix autem ad Ipſum etiam ſic ait.

Seruo fedel' al tuo Signor; è Dio,
Che zelo aueſti del teſor' dell' alma,
Delle ſant' opre tue porti la palma.
Mà più tua carità ch' acceſo il ſeno,
Veggio rapirti al Ciel' di gioia pieno.
Spiegar' lingua non può, capir concetti,
Della gloria, ch' in Ciel' hanno gl' eletti.

CAPVT

CAPVT IV.

Fuit inclytus fama Sanctitatis Dominicus apud Reges.

DVos tantum Reges, ſed præcipuos Chriſtiani nominis afferam, ſcilicet Chriſtianiſſimum Galliæ, & Catholicum Hiſpaniæ:hi namque ſoli Dominicum viderunt, & vt Sanctum venerati ſunt; Regem Hungariæ ſub Imperatore Ferdinando III. retulimus. Non dubium, quin alij Reges Chriſtiani,vt Polonus, eadem habuerint opinionem Sanctitatis Dominici, in multiplicibus mirabilium ipſius fundatam relationibus: de Regibus Hæreticis non curamus, qui Dominicum ſuæ ſectæ infeſtum nominabant Magum, & abominabantur; ſed eorum accuſatio, Dominici juſtificatio eſt.

Incipiendo igitur juxta ſeriem temporis, Philippus II. Rex Hiſpaniæ, dictus Prudens, Dominicum noſtrum adhuc in Carmelo mitigato reſidentem plurimùm coluit. Cum eſſet Valentiæ in Hiſpania, mira de ipſo audiens, voluit ipſum viſitare, & propterea ad Eccleſiam Carmelitarum accedit, poſtea Dominicum inuiſurus: fugit applauſum Dominicus, & latet; ſed obedientiæ præcepto compulſus adeſſe, Regem ſalutat; cui Rex ſubridens ait, *Et nos fugitis Frater Dominice?* Deinde Superioribus Ordinis præcepit, vt ipſum frequenter ad Curiam mitterent, & cum eo ſæpiùs agebat, quia velut Sanctum colebat.

Philippus III. pium ſuum parentem in hac parte ſuperauit vt ex dictis libro 3. cap. 13. facile colligitur: ſici enim Dominici votis deferebat, vt cùm ille partem vic publici ad conſtruendum chorum noſtri Conuentus Toletani petiiſſet; Rex cum ſumma benignitate ter replicauerit, quòd darent Patri Dominico non ſolùm partem vici quam petebat, ſed etiam integrum vicum ſi vellet. Sic eius Sanctitati credebat, quòd veniens poſtea Toletum, ad noſtrum venerit Conuentum viſitaturus Dominicum, cu-

jus præſentia & colloquiis ſummopere delectabatur; imò ad cellam Patris aſcendit, ſuper lectum pauperem ſedet, familiariter cum eo diſſerit, ſeipſam & Regnum eius precibus commendat, ac die Veneris Sancti cum eo in communi refectorio ſolo pane & vino veſci voluit; cum Religioſos ſolo pane & aqua veſci videret.

Tandem cum Dominicus in Italiam profecturus Valliſoletum ad Regem acceſſiſſet, vt ei Vale diceret; illum Rex humaniſſimè recipit, & libenter eius diſceſſum impediiſſet: poſtulat ab eo benedictionem, petit vt apud Deum ac Summum Pontificem ſui totiuſque Regni memor in ſuis orationibus exiſtat, eumque diſcedentem votis fœlicibus & lachrymis comitatur.

Margarita Hiſpaniæ Regina Philippi III. Coniux, piiſſimum imitata maritum, ſingulari veneratione Dominicum proſequebatur: Socia namque Regis fuit, dum Dominicum Toleti viſitauit, dum ad eius cellam aſcendit, dum in communi refectorio tam ſobriè pranſit. Fuit etiam Socia in recipiendo humaniſſimè Dominico mox in Italiam profecturo in poſtulanda eius benedictione, in commendando precibus ipſius Regno, ac tandem in ipſo votis & lachrymis comitando: ad quem, Principiſſam Annam tunc infirmam, nunc in Gallia regnantem, adduxit, vt ei benedictionem largiretur.

Ludouicus XIII. Rex Galliæ Chriſtianiſſimus etiam Dominicum veneratus eſt ſolo ſanctitatis motiuo. Hanc venerationem piam manifeſtè declarauit, cum renitentibus Regni Miniſtris voluit ipſum in Gallia admittere, præſentem ſalutare, ac ſalutaribus eius conſiliis vti, cuius rectam intentionem ex ſcripta eius epiſtola didicerat: cum ipſi iam aduentanti Nobilem quendam cum curru delegat & adductum honorificentiſſimè ſuſcipit.

Anna Regis dilectiſſima Coniux iam ipſum Regem præuenerat in veneratione erga Dominicum, quem in Hiſpania, ſed adhuc puella viderat: nam cum puellis honorariis

honorariis Miſſæ ipſius intereſſe voluit, ac de manu eius ſimul cum illis voluit communicare. Parem Frater Regis venerationem exhibuit Dominico, nam tunc infirmus voluit ipſum videre, ac benedictione eius muniri, cuius virtutem in morbi leuamine ſenſit.

Iam Regina Mater Maria Medicæa Turone Dominicum exceperat vt Sanctum à Deo miſſum ad animæ ſolatium: eius Sanctitatem didicerat, dum in epiſtola ipſius ſecretam aliquorum rebellionem legerat, & quam ſola reuelatione diuina ſcire potuerat: illi ſuas communicat miſerias; cui Dominicus ſolatium affert, aliqua prædicens futura de ſuo ſtatu, fœlicia & triſtia.

CAPVT V.

Fuit inclytus fama Sanctitatis Dominicus apud S. R. E. Cardinales.

SI nominandi forent ſinguli S. R. E. Cardinales, qui Dominicum velut Sanctum venerati ſunt, omnes eſſent adducendi longa ſerie, qui cum ipſo familiariter egerunt; & vix vllus eum agnouit, qui conuerſationem ipſius non magni duxerit. In ſuo conclaui non defuerunt aliquot, qui titulo Sanctitatis eximiæ ipſum ad Sanctiſſimum Summi Pontificatus ſtatum datis ſuffragiis ſublimare voluerunt. Sigillatim tantùm aliqui ſunt referendi, de quibus in huius hiſtoriæ decurſu mentionem fecimus, dimiſſis pluribus aliis.

Cardinalis Sabaudiæ valde Dominicum venerabatur, ipſum non rarò viſitabat, eique pro decoranda Beatæ Mariæ de Victoria celebri Capella Crucifixum pretioſiſſimum cum ſex candalabris ex cryſtallo rupis dono dedit.

Cardinalis Florentiæ, Fratris magni Ducis Hetruriæ, ac Matris pietatem imitatus, plurimùm venerabatur Dominicum, maximè poſt viſa, quæ patrauit ipſe prodigia, Floren-

tia tranſeundo.

Edoardus Cardinalis Farneſius tantam habuit opinionem Sanctitatis Dominici, quòd ipſum Genuam properantem rogauerit ire Farneſium, & Gradolim, vt Ducem Parmæ totamque ſuæ Farneſiorum familiæ propaginem ſua benedictione ſanctificaret; eiuſque intuitu magnificum Caprarollæ nobis Conuentum ædificauit.

Cardinalis Montaltus ſpeciali reuerentia Dominici Sanctitatem colebat: vnde ipſum frequentabat, eique velut Pauperum Patri ſuum theſaurum in eleemoſynas elargiendum confidebat.

Cardinalis Aldobrandinus cum magna reuerentia Dominicum Parmæ ſuſcepit, cuius ſolius authoritatem in opinione Sanctitatis fundatam credidit ſufficere, vt ſuæ Sororis Duciſſæ Parmenſis afflictioni ;mederetur.

Cardinalis Vbaldinus Leonis XI. ex Sorore Nepos, ſic Dominicum venerabatur,vt ſæpiùs ipſum de internis conſuleret; quamuis fratrem eximiæ Sanctitatis apud nos haberet P. Alexandrum à Sancto Franciſco ,qui prorſùs eadem die factus eſt Carmelita Diſcalceatus, qua Auunculus eius poſt electionem Summus Pontifex adorabatur.

Cardinalis Burgheſius Paulum V. imitatus reuerebatur Dominicum, quem frequenti conuerſatione Sanctum agnouerat. Eius intuitu frontiſpicium Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Victoria decem millibus aureis, vt dicebatur, ædificauit; cumque mirarentur aliqui de ſimilibus expenſis, reſpondit ſe cuncta libenter facturum pro Dominico.

Cardinalis Ludouiſius non poterat non colere Dominici Sanctitatem, quam & in ſuipſius, & in Patrui Summi Pontificis curatione prodigioſa viderat. Vnde frequenter Ipſum conueniebat.

Franciſcus Cardinalis Barberinus maximam ſemper Dominico reuerentiam exhibuit; Ipſumque ſæpiùs, maximè decumbentem inuiſebat, tam ſuo, quàm Patrui Vrbani VIII. Summi Pontificis nomine.

Cardinalis

Cardinalis Gymnaſius, dum Nuntius eſſet Apoſtolicus in Hiſpania, videns publicam Dominici Sanctitatem, voluit Ipſum in Italiam mittere, tum vt noſtram Congregationem ejus perfectione firmaret, tum vt ſuam patriam tanti Viri ſanctitate decoraret.

Cardinalis Borgias, ſi quis alius, fuit ſanctitatis Dominici cultor: frequentiſſimè ad animæ ſuæ ſolatium eum conueniebat, & beneficij loco habebat, cum ab ipſo ad aliquod obſequium applicabatur; & tantam ex verbis eius dulcedinem percipiebat, vt vix ab eo recedere poſſet.

Cardinalis Auriacus euidentem Sanctitatis Dominici demonſtrationem habebat; Ipſum enim in Hiſpania viderat raptum in ecſtaſim, ſibique ſtatum Cardinalatus prædicentem cum tot aliis circunſtantiis, quæ mirabilem indicabant Sanctitatem. Vnde toto vitæ tempore Ipſum coluit vt Sanctum.

Cardinalis Vrſinus ſic Dominicum venerabatur Sanctum, vt ſæpiùs ad ipſum quaſi filius ſpiritualis accederet, & directionis internæ modum, ac mortificationis exercitium ab Ipſo àddiſceret; & cum aliquando forte Roſarium eius obtigiſſet ſibi, ſuſcepit illud quaſi pretioſum theſaurum.

Cardinalis Mutius ante Dominicum audiuerat Sanctum, in mirabilium operatione tam in Monaſterio S. Roſæ quàm alibi Sanctum videt, qui tot poſſit prodigia patrare.

Cardinalis Riuarola Sanctitate Dominici conuictus, ſe beatum credit quòd Genua Romam vſque poſſit illum conducere: ſicut & Cardinalis Zacchias, quòd Ipſum poſſit Faliſci in ſuo Epiſcopali palatio tam Sanctum Hoſpitem recipere.

Cardinalis Mellinus, quia meliùs Dominicum & viſu & relatione didicerat, vtpote noſtræ Religionis Carmelitanæ Protector; ideò præ cæteris venerabatur, vt conſtat ex pluribus epiſtolis ad Ipſum ſcriptis.

Cardinales denique Pallota & Harrachius tam Sanctum crediderunt morientem Dominicum, vt loco maximi be-

neficij credidiſſent, ſi petentibus ipſi Sacramentum Extremæ-Vnctionis miniſtrare conceſſiſſet Imperator. Et Cardinalis Kleſelius Dominico petenti ipſius benedictionem in fine vitæ, reſpondit ſe potiùs ab illo exoptare.

CAPVT VI.

Fuit inclytus fama Sanctitatis Dominicus apud Principes.

CVm multis egit Dominicus ſæculi Principibus, qui omnes Ipſum opinione Sanctitatis inclytum habuerunt. Ad quorum ordinatam inductionem incipiamus ab Italia: Et primus ſit Magnus Dux Hetruriæ Coſmas II. qui Dominicum iteratis epiſtolis Florentiam ad ſuam Curiam inuitauit: vt audiuit accedere, mittit obuium ei D. Petrum Caponium cum rheda, venientem ſumma excipit reuerentia, in ſuo colligit Palatio, quò poſſit ad animæ ſolatium habere præſentem; jubet vt primogenitus ei celebranti deſeruiat, & ipſe de manu eius communicat; eius intuitu nobis Conuentum fundauit, & de ſuo penu Religioſis alendis prouiſit.

Ex quibus facilè colligitur, apud hunc Principem fama Sanctitatis inclytum fuiſſe Dominicum. Huius Principis Mater D. Chriſtina à Lotharingia plurimùm æſtimauit Dominicum, dum ſæpiùs ad eum ſcripſit, dum grauiſſimis applicuit negotiis, quæ ſola poterant eius Sanctitate perfici: plurimùm etiam æſtimauit magni Ducis Coniux Auſtriaca, præſertim cum eius interceſſione Maritum infirmum conualeſcere vidit. Plurimùm tandem æſtimarunt filij, qui iam mortuo Patre cum Romam incogniti veniſſent, ad Dominicum tamen inuiſendum in noſtrum Quirinale ſeminarium ſe transferunt; diutiùs cum Dominico agunt, Eccleſiam & Sacriſtiam Beatæ Mariæ de Victoria viſitant: & Primogenito tunc magno Duci lepidè dixit Dominicus; *Domine Veſtra Celſitudo eſt in ſua ditione;*

ne; cui mirabundo Dominicus explicauit ænigma, quia ſcilicet eius expenſis marmoreum Sacelli maioris pauimentum fuerat ſtratum.

Dux Mantuæ tam Sanctum credebat Dominicum, vt ipſi celebranti Miſſam inſeruire voluerit: & poſt omnia reuerentiæ ſigna, Dominico diſcedenti pretioſiſſima conceſſit dona Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Victoria Romæ dedicanda. Parem habuit opinionem Sanctitatis eius, Duciſſa Coniux piiſſima, Matrem ſuam Chriſtinam à Lotharingia Magnam Duciſſam Hetruriæ in hoc imitata, cuius interceſſione Dominicum Mantuam attraxit.

Dux Parmæ non ſemel Dominicum videre voluit, quem velut Sanctum reuerebatur. Primò ad inſtantiam Cardinalis Farneſij vidit Grandoli facientem prodigia: Deinde ad ſuam Curiam Parmenſem inuitauit, vt grauiſſimum & domeſticum negotium concluderet, cui terminando ſolam Dominici Sanctitatem ſufficere credebat.

Dux Mutinæ Dominicum conſiderauit vt Sanctum, dum in ſuam Curiam venientem honorificentiſſimè ſuſcepit: & rogauit vt ſe Mirandulam transferret ad liberandam à dæmonum vexatione Filiam, quam vidit liberatam. Eius etiam Sanctitatem coluit Princeps Mirandulanus, qui dicti prodigij teſtis oculatus fuit.

Princeps Maſſæ ſæpiùs tranſeuntem Dominicum vidit, & in ſuo ſuſceptum palatio habuit; cuius tantam credidit eſſe Sanctitatem, vt ipſemet videns prodigia quæ ibi fecerat, examine diligenti teſtium multa probauerit; & Romam in effectum canonizationis miſerit: non enim poterat non Sanctum credere, quem tot patrare videbat miracula.

In Germania piiſſimum habemus Maximilianum Ducem Bauariæ, qui tanta Dominicum viuentem reuerentia coluit, vt vix deſcribi poſſit; & maximè poſt inſignem illam victoriam Pragenſem, cujus ille ſpectator fuerat, & ex omnibus circunſtantiis ſuperiùs adductis Dominici meritis fuiſſe miraculoſam credebat. Tam Sanctum poſt mor-

tem piè judicauit, vt factis de ejus Sanctitate juridicis proceſſibus, ad Vrbanum VIII. ad effectum canonizationis ſcripſerit. Pium maritum in hac parte ſunt imitatæ coniuges, Prima Lotharingica erga Dominicum viuentem; ſecunda verò Auſtriaca erga Dominicum iam mortuum. Nec ampliùs in ſæcularibus Germaniæ Principibus immorabor

Dux Lotharingiæ, ſororum, nempe Magnæ Duciſſæ Hetruriæ ac Duciſſæ Bauariæ, præuentus epiſtolis de Dominici prodigiis, Ipſum ad ſuam Curiam aduentantem velut Angelum Dei ſuſcepit, in ſuo voluit Palatio habere hoſpitem; Et ſic eius detulit Sanctitati, vt ei ſoli conceſſerit quod omnibus aliis negauerat.

Tandem Belgij Principes ſummum de Dominici ſanctitate conceptum formauerant. Albertus iam moribundus venientem amplexatur Dominicum, & ſe fœlicem credidit, qui in manibus eius poſſet animam ſuo Creatori reddere. Iſabella Clara Eugenia, quæ ſanctis Dominici colloquiis & exemplis in Hiſpania frui potuerat, poſt tot alia quæ audiuerat prodigia, ſic ipſum venerata eſt, vt ſe filiam ſpiritualem commiſerit, & miſſam ab Imperatore ipſius demortui cappam, velut pretioſiſſimas receperit honorificè reliquias, ipſumque velut Sanctum mirabilem coluerit.

CAPVT VII.

Fuit inclytus fama ſanctitatis Dominicus apud Prælatos Eccleſiæ.

MVlti fuerunt Eccleſiæ Prælati (Epiſcopos & Archiepiſcopos intelligo) qui prodigiorum Dominici notitiam habentes, ipſius ſanctitatem venerati ſunt. Non omnes hic apponentur, ſed illi ſolùm, quorum in huius hiſtoriæ decurſu fecimus mentionem, iuxta temporis ordinem.

Primus occurrit D. Ioannes Iſquierdo Dertuſanus Epiſcopus, qui non ſola relatione, ſed etiam experientia Domi-

nici

nici ſanctitatem nouit: Cum enim ægrotaret quo die ſacros Ordines conferre vellet, & ſe non poſſe iudicaret; prædixit Dominicus, quòd Ordines conferret, ſed quòd eſſet vltima ordinatio quam faceret. Ex primo ſuccedente iuxta verbum Dominici collegit ſecundum, & cœpit eum velut Sanctum venerari.

Dominus Ioannes Ribera Valentinus Archiepiſcopus, & Antiochenus Patriarcha, nouerat Dominicum Innocentem & Sanctum; cum ipſius cauſam tam generosè ſuſcepit, dum ab æmulis penè oppreſſus, & Valentia pulſus eſſet, nam apud Superiores Ordinis ſic inſtanter egit, quòd ipſum Valentiam reuocauerint, & commotam aduersùs eum perſecutionem ſedauerint diſſipatis omninò calumniis.

Dominus Didacus de Yepes, Turiaſonenſis Epiſcopus, & quondam S. M. N. Thereſiæ Confeſſarius valde Dominicum honorauit, Ipſumque velut Oraculum voluit conſulere in materia viſionum ac reuelationum; dum luci parat hiſtoriam eiuſdem Sanctæ Matris.

Epiſcopus Lucenſis non ſolùm prudentiam, ſed etiam Dominici ſanctitatẽ expertus eſt: cum ipſo mediante tam apud Deum, quàm apud homines, pacem obtinuit, quam alia via fruſtra procurauerat; Dominicus enim Magnũ Ducẽ Hetruriæ induxit, vt dimiſſo ciuitatis Lucẽſis patrocinio, cui ciues plurimùm fidentes Epiſcopum in ſua iuriſdictione vexabãt, eam Antiſtiti ſuo reconciliaret, vt poſtea fœliciter ſucceſſit.

Dominus Landrianus Papienſis Epiſcopus Dominicum agnouit Sanctum, cum in ſeipſo veritatem prædictionum eius expertus eſt. Conſtructa fuerat apud illam ciuitatem pulcherrima Eccleſia, vbi miraculoſa Beatæ Virginis Mariæ conſeruabatur Imago: Clericis eam Epiſcopus dare volebat, noſtris negabat Diſcalceatis; cui veniens Dominicus dixit: *Domine, veniet tempus, quo nobis ipſam libenter dabis, nec tibi deerunt tribulationes donec dederis.* Et ſic omninò ſucceſſit.

Dominus Briuius Cremonenſis Epiſcopus, cum hono-

rificè Dominicum excepiſſet non potuit ipſum non venerari velut Sanctum, poſtquam vidit eum energumenos liberare, infirmos ſanare, & inueterata inimicorum odia ſedare, ipſos reconciliando.

Tullenſis Epiſcopus eximiam in tentatione Dominici Sanctitatem eius expertus eſt; cum enim in occaſione ſuperiùs dicta grauiter eum in publico reprehendiſſet, & mente ac corpore vidiſſet immotum; imò poſtmodum in Curia tam Ducis Lotharingiæ quàm Summi Pontificis intercesſorem in pluribus negotiis habuiſſet, ac proinde iuxta conſilium Apoſtoli reddentem ſibi bonum pro malo; cœpit dicere ſe Dominicum agnoſcere Sanctum ex hoc potiùs tam heroicæ virtutis exercitio, quàm ex relatione tot miraculorum ipſius: & cum eſſet in extrema infirmitate, de prædicta reprehenſione mœſtus dicebat; non habeo quod me magis affligat in hoc tranſitu, quàm ſic pàrùm æſtimaſſe magnum illum Dei Seruum (loquebatur de Dominico) in cujus ſanctis orationibus nihilominus confido.

Virodunenſis etiam Epiſcopus in Curia Lotharingiæ plurimum Dominici Sanctitatem æſtimauit; tum propter ea prodigia, quæ in Germania patraſſe audiuerat; tum propter alia, quæ per ipſum facta viderat in reconciliatione Ducis cum ſuo Fratre, quæ velut impoſſibilia judicabantur.

Archiepiſcopus Treuirenſis Sacri Imperij Elector non minori reuerentia Dominicum excipit ſuo palatio, & ibi infirmatum ad mortem omni diligentia poſſibili curat.

Similiter Archiepiſcopus Colonienſis eiuſdem Sacri Imperij Elector, quantum Dominici Sanctitatem æſtimarit, euidenter oſtendit, dum audito eius aduentu, Bonâ venit Coloniam vt ipſum viſitaret, dum apud eum confitetur omnes ſuæ conſcientiæ ſinus aperiendo, dum ſacram ab eo Communionem recipit, & extraordinariæ ſigna reuerentiæ præſtat.

Magna Sanctitatis opinione Dominicum habuit magnus

gnus ille Richelius, tunc Luſonenſis Epiſcopus, poſtea S. R. E. Cardinalis, cum Reginæ Matri Turone aſſiſtens ipſum in ſuo palatio receptum conſiderat, & multa Reginæ ab ipſo prædicta conſpicit eueniſſe.

Tandem Epiſcopus Aſſiſij, vt plures alios omittam, Dominicum agnouit Sanctum, poſtquam miraculoſam eius interceſſionem, & propheticam prædictionem in ſeipſo fuit expertus, ex infirmitate mortifera precibus eius reſurgens, & tempore præfixo breuiter conualeſcens.

CAPVT VIII.

Fuit inclytus fama Sanctitatis Dominicus apud Magnates.

CVm Summi Pontifices, Imperatores, Reges Galliæ ac Hiſpaniæ, cæterique Principes Chriſtiani tam Eccleſiaſtici quàm ſæculares, Dominicum noſtrum velut Sanctum venerati fuerint; non dubium, quin Magnates Principum Curias frequentantes eadem veneratione fuerint ipſum proſequuti, cum iuxta commune proloquium habeatur quòd,

Regis ad exemplum totus componitur Orbis;

Et præſertim componuntur illi qui continuò Regi aſſiſtunt. Vnde paucis his verbis habetur, penè ſingulos totius Orbis Catholici Magnates Dominicum vt Sanctum fuiſſe veneratos: aliquos tamen in particulari nunc adducemus, qui in hoc excelluerunt.

Dux de Medina cœli maximè coluit Dominicum, & quem credebat Sanctum voluit præſentem familiariter venerari, ac eius præſentia beari. Propterea Superiores Ordinis rogat, vt ipſum Compluti Sacræ Theologiæ vacantem ad Arcem ſuam non longè diſtantem mitterent, vt ibi poſſet cum ſua Coniuge Dominici colloquiis frui.

Simili Dominicum reuerentia proſequebatur Dux de Monte Leonis Cathalauniæ Prorex, qui ipſum ex Hiſpania

mùm nobiles, ſic Dominicum venerabantur, vtipſum velut Oraculum in grauiſſimis negotiis conſulerent,& in periculis Protectorem habere vellent.

Dux de Feria Ducatus Mediolanenſis Gubernator plurimùm æſtimabat Dominicum; ſicut & alij Magnates illius Status; Ipſum enim illuc aduentantem ſumma cum veneratione viſitarunt.

Senatus Bononienſis intuitu Dominici, quem ſummopere colebat, miraculoſam Sanctæ Mariæ Lachrymoſæ Eccleſiam noſtris conceſſit Diſcalceatis.

Dux Alatrenſis tanti Dominicum faciebat, vt Ipſum procurauerit Farneſium adduci, vt ibi cum ſuis eius colloquiis & benedictione frueretur.

Comes Tillius Generalis exercitus Imperialis Dominicum audiebat vt Oraculum: propterea in conflictu Pragenſi plus eius dictis ac Sanctitati detulit, quàm rationibus humanis contrarium ſuadentibus: parta verò victoria, jam experientia confirmatus, Ipſum vſque ad mortem velut Prophetam Sanctum ſpeciali coluit deuotione.

Dux Niuernenſis Sanctitate Dominici motus, Ipſum Bruxellis Pariſios venientem humaniſſimis inuitat epiſtolis vt per ſuam ciuitatem iter conficiat, fœlicia ſperans Ciuibus ex eius præſentia.

Ducilla Nemurcenſis, vt ab ipſamet audiui, Dominicum venerabatur vt Sanctum, poſtquàm eius interceſſione miraculoſam conſequuta fuit ſanitatem.

Multi Principes ac Magnates Galli miris Sanctitatem encomiis extulerunt, Ipſumque Pariſiis commorantem inuiſerunt. Sed emicuit præ aliis Dominus de Mombazon Pariſiorum Gubernator, qui vt liberius Dominici conuerſatione frueretur, Ipſum ſecretò Charantonem ad noſtrum Conuentum deduxit. Emicuit etiam Dominus de Verdun primus Pariſienſis Senatus Præſidens, qui Dominicum à nobiliſſimis Artificibus depingi & ſculpi procurauit, vt ſic multiplicatus ad multorum ſolamen in Gallia remaneret.

Plures

Plures etiam Principes ac Magnates Romani Dominicum coluerunt, qui multa viderunt eius prodigia, Romæ ſiquidem diu commoratus eſt. Qui vellet ſingulos nominare, Lectori faſtidium pareret: ſufficit dicere, præcipuos in dignitate, fuiſſe præcipuos in eius cultu; ſæpiùs ipſe vidi D. Principiſſam Perretti, quæ in ſuis neceſſitatibus ad ipſum tanquàm ad azylum recurrebat.

CAPVT IX.

Fuit inclytus fama ſanctitatis Dominicus apud Religioſos.

Religioſi ratione ſui ſtatus tendunt ad ſanctitatem, ſunt enim in ſtatu perfectionis acquirendæ, in cujus acquiſitione ſanctitas conſiſtit. Propterea Religioſi tanquam experti, veram ſanctitatem ab apparente ac ſimulata diſcernere ſolent, illámque venerari, iſtam verò manifeſtare.

Si de domeſticis teſtibus, noſtris ſcilicet Religioſis loquar Carmelitis, tam mitigatis quàm primitiuis, omnes tandem Dominicum agnouerunt vt Sanctum. Inter mitigatos, vt vidimus, multas paſſus eſt perſecutiones, multos habuit æmulos, vnum præſertim qui furtim inſidiabatur, & cuncta ſcrutabatur ejus opera, adeò vt quadam nocte videns Dominicum coram ſanctiſſimo Sacramento orantem in ſublime tolli, arripuerit ejus pedes; ſed ſimul tractus dimiſit pedes, & in pauimentum ruens damno ſuo Dominicum agnouit eſſe Sanctum. Imò Superior Prouincialis aliquandò contrarius, miraculis ejus ad venerandam ipſius ſanctitatem compellitur.

Inter noſtros Diſcalceatos ſemper fuit habitus in magna Sanctitatis opinione, quandiu manſit in Congregatione Hiſpanica. Ibi Viri ſanctitate præcipui, de quorum agitur Beatificatione, vt P. Franciſcus à Sanctiſſimo Sacramento, & F. Franciſcus à Puero IESV: Et ſimiliter præcipuæ Moniales, vt Catharina à Chriſto, ipſum eſſe Sanctum crediderunt.

derunt.

In noſtra Congregatione Italica,quotquot noui viros illuſtres,Sanctitatem Dominici plurimùm æſtimarunt, teſtis oculatus loquor: nam præter P. Petrum à Matre Dei, & Ioannem à IESV MARIA, vidi & audiui Venerabiles reliquos Patres noſtros Dominicum velut Sanctum habentes; quam æſtimationem collatione multoties iteratá Dignitatum omnium Religionis confirmarunt.

Duás inuenio occaſiones, in quibus Patres Dominicani, Dominici ſanctitatem plurimùm æſtimarunt. Prima fuit in Hiſpania propè Valentiam, cum illum accedentem ad ſuum Conuentum in cella Beati Ludouici Beltran exceperunt; hoc facto ſignificantes ſeipſos Dominicum Ludouico ſimilem in Sanctitate credere. Secunda fuit, cum ei mortuo ſolemnes exequias celebrarunt; hoc honore reuerentiam, quam meritis ejus exhibebant,atteſtantes.

Dominicum etiam credidit Sanctum Abbas Monaſterij Patrum Benedictinorum apud viam Treuirenſem, qui cum Ipſum Treuiris certò moriturum audiuiſſet, corpus ipſius ab Apoſtolico Nuntio D. Albergatio,qui monaſterium illud tunc inuiſerat, petiit & obtinuerat in ſua Sancti Maximini Eccleſia honore debito ſepeliendum.

Patres Ieſuitæ Parmæ teſtati ſunt, quantum æſtimarent Dominicum,cum in ſolemnitate Beati Aloyſij à Gonzaga Ipſum inuitarunt, vt in ſua Eccleſia Miſſam celebraret, communionem generalem adminiſtraret, & etiam publicè concionaretur.

Patres Capucini in Inſula lacus Wlſinij maximè Dominicum venerati ſunt, poſtquam cœleſtibus ejus colloquiis recreati viderunt plurimas aues hinc inde volitantes feſtum diem egiſſe Dominico, cum aliàs in tali loco vix apparerent.

Similem ei venerationem exhibuerunt Aſſiſij Patres Minores, viſis ibi ejus prodigiis; & maximè eorum Superior, qui Dominicum per ſanctas illas Stationes indiuiduus comes

mes deduxit, & poſtea Romam veniens viſitauit.

Quàmplures alios poſſem adducere tam Ordines Religioſos, quàm ſingulares earum perſonas, qui ſingulari reuerentia Dominicum venerati ſunt: ſed inductio longior forſan Lectori foret ingrata.

Quantùm attinet ad Moniales, non opus eſt longo diſcurſu: cum enim in variis eorum Monaſteriis múlta ſit operatus prodigia, quæ paſſim in tota hac occurrunt hiſtoria, non dubium quin ipſæ videntes ac palpantes, & ſimul verbis eius deuotis excitatæ Sanctum ipſum crediderint. Sed ex his Monaſteriis Monialium plura fuerunt Romæ, vbi Dominicus diutiùs fuit commoratus: præſertim verò in Moñaſterio Turris ſpeculorum, & in Monaſterio Sancti Syluestri in campo Martio celebertima fuit Dominici Sanctitas, in quibus eius miracula fuerunt plura, vel notiora. Eandem habuit, ſi non maiorem, Sanctitatis opinionem apud noſtras Moniales. Quò enim ampliùs videbatur & audiebatur Dominicus, eò tam verbis quàm factis mirabilibus maiorem ſui cauſabat æſtimationem: de meipſo loquor, qui per duos annos cum dimidio cum Ipſo egi; quoties eum videbam, interiùs vt Sanctum venerabar.

Subiungo pauca de Sacerdotibus in communi, qui parem cum Religioſis de Dominici Sanctitate conceptum habuerunt: & inter eos qui dum Pariſiis celebrare intermiſerunt, vt de manu ipſius celebrantis communicarent; miram inde conſolationem percipientes, ſe judicabant beatos ab illo recipere donum illud cœleſte.

CAPVT X.

Fuit inclytus fama Sactitatis Dominicus apud omnes populos.

TAnta fuit in ſingulis Nationibus, quas illuſtrauit ſua præſentia Dominicus, fama Sanctitatis eius apud populum,

pulum, vt nihil ampliùs deſiderari poſſet: quocumque ibat, vbicumque morabatur, ibi tantus erat populi concurſus, tantus eius applauſus, quòd nulla poſſet diligentia latère, nullibi quietus conſiſtere. Ne ſimiles concurſus & applauſus iterum deſcribamus, aliquas nunc occaſiones percurrendo tantùm indicabimus.

Incipiamus ab Hiſpania, vbi natus, vbi priùs vixit & mirabilia fuit operatus. Propter miracula quæ patrauit, propter mirabiles ecſtaſes, quibus in ſublime palam raptus eſt, ſic ei populus Valentinus adhæret, vt quamuis plateas & vicos ciuitatis celebriores fugeret, dum ad negotia charitatis & obedientiæ compelleretur exire, non tamen populum vitare poterat; imò contigit aliquandò, dum fieret ſolemnis proceſſio, quòd audito Dominicum illac tranſire, diſſolueretur populus, & ad ipſum videndum ac venerandum curreret. Hoc ipſum in aliis ciuitatibus accidit; & quandò Dominicus adueniebat de nouo, fama ipſum præcurrebat, ſæpiùs per vicos tranſire non poterat, in Conuentu non valebat ab irruente populo cuſtodiri. Dum iter agebat, quacumque tranſiret, concurrentes Ruſtici Sanctum appellabant, benedictionem poſcebant, per multa comitabantur ſpatia, donec aliis reſignarent: veſtes ſcindebant, vt ſibi particulas in reliquias pretioſas conſeruarent; imò qui veſtes habere non poterant, crines jumentorum, quibus inſidebat, nonnunquam vellebant. Nec tantùm hæc ſuccedebant, dum Regiam teneret viam, ſed etiam cũ ſemitas difficiles & ipſos Montes penetraret: & vbique vox reſonabat dicens, *Hac tranſit Sanctus.* Coactus fuit aliquandò Cymbas conſcendere & mare ingredi, vt congregatum ad littus populum fugeret. Et quandò Barcinone diſceſſurus in Italiam, vellet ad triremem ire, opus fuit quòd in tenebris, & per hortum Proregis ad mare deſcenderet.

Nec minorem habuit in Italia Dominicus apud populum Sanctitatis applauſum, vbique vocabatur Sanctus. Ro-

cus ex ſupremis chori feneſtris iteratis vicibus congregatæ multitudinis ſucceſſiuè benedictionem largiretur. Hæc populi deuotio erga Dominicum per cæteras Galliæ Ciuitates quas pertranſiuit iter agendo, perſeuerauit.

Nec mirum, quòd homines omnis conditionis Dominicum velut Sanctum venerati ſunt; cum etiam animalia irrationalia talem agnouerint. Vidimus, qualiter propè Valentiam in Hiſpania Gallinæ ac cæteræ aues domeſticæ ipſi de cœleſtibus diſſerenti auſcultabant, & diuinas laudes canenti concinebant: Vidimus etiam aues aduentitias in inſula lacus Vulſinij aduentum ipſius celebraſſe. Vidimus, qualiter in Hiſpanico mari Dominici fugientis populares applauſus ac mare nauigantis, piſces hinc inde accurrentes, circumquaque diſcurrentes, & circa nauiculam ſaltantes, præſentiam celebrauerint. Vidimus qualiter bubulos alioſque animantes iratos ſedauerit; imò creaturis inſenſibilibus imperauerit. Quid igitur mirum: Si rationales homines Dominici ſanctitatem agnouerint in miraculis, cum bruta ratione carentia cognouiſſe videamus. Vt autem Deus Dominici laudem ex ore infantium & lactentium perficeret, voluit vt propè Mediolanum infantulus coram ipſo tranſeunte, ſolius Diuini Spiritus motione; manibus junctis genuflecteret, non ſine deuotiore & admiratione videntium.

Hæc mihi circa vitam mirabilem V. P. N. Dominici à IESV MARIA, noſtræ Religionis olim Generalis occurrerunt dicenda: Quæ ſtilo ſimplici,& ſine fuco Humanæ Rhetoricæ, ſecluſa quoque omni exaggeratione, ex veris relationibus deſcripſi. Vtinam quæ dicta ſunt, cedant ad Maiorem Dei, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ipſiuſque Dominici gloriam, & ad animarum ſalutem: Et omnia infallibili Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiicio cenſuræ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS